

CHRONICON B U D E N S E.

POST

ELAPSOS AB EDITIONE

PRIMA ET RARISSIMA

TERCENTOS SEXAGINTA QUINQUE

ANNOS,

SECUNDAM ADORNAVIT,

TEXTUM RECOGNOVIT, NOTIS ILLUSTRAVIT, LEMMATA
AC INDICES ADIECIT, ET PRAEFATUS

EST:

Iosephus Podhradczky,

Excelsae Camerae Regiae Hungarico Aulicae Officii Rationarii Officialis,
Inclyti Comitatus Trencliniensis Tabulae Indiciariae Assessor, ac Eruditae
Societatis Hungaricae Correspondens Sodalıs.



BUDAE.

Typis Ioannis Gyurián & Martini Bagó. 1838.

„Schon sehe ich der grossen Freude entgegen, womit jeder verständige Patriot auch das erwünschte Chronicon Budense an dem Bücherschranke einstens betrachten wird! Vielleicht erscheint bald die Epoche, dass auch dieses seltene Werk nach Verlauf von drey hundert Jahren in einer öffentlichen ungarischen Bibliothek nicht bloss gemalt wieder glänzen soll.“

Zeitschrift von und für Ungern, herausgegeben von
Ludwig v. Schedius. III. B. 1803. S. 313.

Candido Lectori

S. P.

Iosephus Podhradczky.

Non est frustrata spes, quam anno 1833. in Simonis Kezæ Chronicon præfatus 1) agitabam; prodit enim Chronicon Budense, et quidem in Eximii Viri Nob. Dom. Sigismundi Ivanics veterani ac optime meriti pestiensis Bibliopolæ favorem, Magni Benefactoris sumtibus recusum, ut damna, quæ nuper in horrida Danubii exundatione pertulit, parte saltem minima reparet. — Ego autem eo maius operæ pretium me in edendo fecisse existimo, quo primum hoc, et vetustissimum Typi in Hungaria specimen rarius est. Praeter illud enim, quod e Bibliotheca Principis Transsilvaniae, Sigismundi condam Báthory de Somlyó,

1) Edidi illud munificentia Excellentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Domini Iosephi Kopácsy, Episcopi Veszprimiensis, S. C. et R. A. M. Act. Intim. Status Consiliarii, Serenissimæ Reginae Hungariae Aulae Cancellarii, ac Eruditæ Societatis Hungaricæ Socii Honorarii, Praesulis non minus omnigena Virtute, quam vasta Eruditione praeclare exculi et docti, Maecenatis Musarumque mearum Altoris benignissimi.

ad manus Thomae Deseöffy de Csernek et Tarkeó convenit, 1) quodve Spectatissimus Vir Dominus Nicolaus Jankovìch de Wadass et Jeszenicze aere redemit, ac nuper cum omni Collectione sua, Manuscriptorum, ac impressorum Librorum, nec non Cimeliotheca Antiquitatum, Raritatum et Pretiosorum Regno obtulit, 2) hactenus tria duntaxat exemplaria innotuerunt. Vindobonae in Bibliotheca Palatina unum; 3) Lipsiae in Academica alterum; 4) et Pragae in Universitatis tertium. 5) Plura nondum detecta sunt; ut ut Comes Fran-

-
- 1) K. k. privilegirte Anzeigen. IV. Jahrgang S. 287.
 - 2) Quae adhuc ad incrementum Musei Nationalis Hungarici, et ad praecipuam Nationis nostrae gloriam desiderabatur Collectio, Providentia Serenissimi Caesareo Regii Haereditarii Principis Domini Domini Iosephi Archi Ducis Austriae, Inclyti Regni Hungariae Palatini, ac Inclytorum SS. et OO. liberalitate comparata est.
 - 3) Paulus Wallaszky Tentamen Historiae Litterarum sub Rege Matthia Corvino de Hunyad in Hungaria. Lipsiae 1769. 4. p. 96—97.
 - 4) Idem ibidem „Nondum duobus plura eius licuit mihi videre exempla, in Augusta Vindobonensi puta, et Academica Lipsiensi, bibliothecis: quorum posteriori Illustris Consilarii (Caroli) Belii favore erga me singulari usus sum.“
 - 5) Zeitschrift von und für Ungern anno 1803. III. B. S. 311. „Das vierte Exemplar wurde zu Prag in der k. k. Universitäts-Bibliothek vor einigen Jahren aufgefunden, als Seine Excellenz, der durch die Stiftung der ungrischen Reichs-Bibliothek im In- und Auslande berühmte ungrische Mäcen Graf Franz Szechenyi, dieselbe besuchte.“ — Chronici autem Budensis, quod sciam, omnium primus David Czvittinger in Bibliotheca Scriptorum, qui extant de Rebus Hungaricis, Specimini Hungariae Litteratae adnexa. Francof. et Lips. 1711, in 4. p. 14. §. III. his verbis meminit: „Anonymi Chronicon Hungarorum, impressum Budae A. C. 1573. (1473) in folio.“

ciscus olim Széchényi de Sárvári Felső-Vidék Musei Nationalis Hungarici Stator, dimisso repetitis vicibus nuncio, 1) insigne hoc vetustatis monumentum quaesituro, pretium, quod peteretur, pro eo persolvendum obtulerit; — at irrito, illo potiundi conatu.

Codices tamen Manuscriptos plures possidet Hungaria; et me quidem iuvat plurimum Illustr. ac R. R. Dominus Antonius Ocskay de Eadem, Electus Episcopus Bacensis, Cath. Ecclesiae Magno Varadinensis L. R. Canonicus, S. C. et R. A. M. ad Excelsum Consilium R. L. H. Consiliarius, AA. LL. et Philos. nec non S. S. Theol. Doctor, et S. Sedis Consist. Assessor; Vir Dignitate non minus, quam Eruditione Illustris, Qui pro ea, qua est in omnes, summa humanitate, suum peramanter mihi commodavit exemplar.

Huic accessit Bibliothecae Regiae Universitatis Hungaricae exemplum, diligentia Stephani condam Kaprinali descriptum; qui Manuscripta tam historica, quam diplomatica facile centum sexaginta Tomos facientia partim ipse sua, partim scribarum manu conscripsit; partim ab aliis ante conscripta conquisivit. Tomulus Collectaneorum MS. VIII. in quarto littera B. notatus complectitur „Chronicon Budense anno 1473. per Andream Hess impressum, et ex ipso originali libro per Spectabilem D. Thomam Deseöffy communicato, accurate, ut illic erat, manu eius exscriptum.“ Alterum vero per Iohannem Menestarfer Artium Doctorem, Decretorumque Licentiatum die Lunae decima mensis Septembris Anno Domini 1481. Viennae transscriptum, quod Gabriel Hevenesi S. I. Sacerdos MSC. Tomo 50. p. 203—284. inseruit. Horum vero usum Hungaricae

1) In Zeitschrift V. B. S. 59 et VI. B. S. 81.

VI

Universitatis insigne Decus, clarumque in Litteratura Nomen RR. ac Magnus D. Georgius Fejér, Praepositus B. M. V. de Novo Monte Pestiensi, SS. Theol. Doctor Collegiatus, S. C. et R. A. M. Consiliarius, et Regiae Bibliothecae Universitatis, quae Pestini est, Praefectus, S. Sedis Consist. Alba Regal. et I. Comitatus Iaurinensis Tab. Iud. Assessor, cum de meo conatu comperisset, mihi sponte sua ac liberaliter admisit.

Atque hos in edendo fontes sectatus sum; prototypi enim Jankovichiani, quod olim versare mihi licuit, ob exundationem loco moti, copiam habere non potui.

Quantum denique in Bibliotheca Episcopatus Quinque-Ecclesiensis extare, Vivus Historiarum Fons Spectatissimus Vir, Dominus Stephanus Horvát, Bibliothecae Széchényio Regnicolaris Custos etc. (a quo haud parum profecisse me fateor, praecipue in iis, quae ad Gentis nostrae antiquitates spectant) mihi innuit.

Debet autem suum Hungaria Chronicon Budense, Ladislao Gereb de Vingarth 1) Praeposito Budensi, 2) et regnante, ac Musis favente Matthia de Hunyad Pro-Can-

-
- 1) Quod agnomen a loco non procul Alba Carolina sito habuit, conf. an. 1394. diploma Cod. Dipl. Tom. X. Vol. III. p. 163. natus patre Ioanne Gereb, matre vero Sophia Szilágyi de Horogszegh, Elisabethae, Matthiae Regis, quem Itali ardeliones Corvinum dixere, germana sorore.
 - 2) Intellige Capitulum Vetro Budense sub Turcis extinctum, quod semet constanter Ecclesiae Budensis scripserat; nec abs re: Budae enim nomen loco huic proprium, post cladem Tartaricam Castro Novo Montis Pestiensis, seu hodiernae Metropoli per ignorantiam adhaesit, ut haec Nova, illa autem Vetus Buda diceretur. Conf. Urbium Buden. ac Pestien. Antiquitates, quas an. 1833. Pestini in 8. edidi. Praepositurae autem

cellario. Qui dum in Italia Litteris operam navaret, contracta cum Andrea Hess 1) notitia; subin in Hungariam redux, eum Matthia volente ad exercendam Artem typographicam, circa annum 1470. Budam evocavit. Is ergo novae artis suae atque industriae periculum factururus, Chro-

Budensi Ladislaus anno 1468. admotus est; anno 1476. Episcopus Transsilvaniensis nominatus: ab anno 1481. ad annum 1484. Personalis Praesentiae Regiae in Iudiciis Locumtenens, etiam Legatus a Latere: anno denique 1501. ad Archiepiscopatum Colocensem translatus, cuius ultra annum 1502. memoria nusquam occurrit. Antonius Bonfinius Decad. I. Lib. I. de Transsilvaniensi Episcopatu agens: „Metropolis Alba Iulia, inquit, Ladislao Episcopo, praepontifice Ungarico, nobilissima Gereborum Familia nato, viro quidem probitate summa, non mediocri doctrina, pari eloquentia, regio nunc ista censetur: hic cum fratribus (Petro, ac Matthia) quantae sapientiae fuerit et dignitatis, in Beatricis Symposio scripsimus, et si vita supererit, in hac historia suo loco referemus.“ Symposion Trimeron, sive Antonii Bonfinii de virginitate et pudicitia coniugali Dialogi III. prodierunt Impensis Ioann. Car. Vnckelii Librarii Moen. Francof. Anno 1621. in 12. paginar. 494. priores editiones ad manus non habeo.

Monumentum eius et Armorum Insignia Frons Templi Alba Carolinensis septemtrionem respiciens exhibet:

„Matthiam Claro Tetigit Qui Sanguine Regem

Ista Ladislai Signa Fuere Gereb.“

Subiectum his Gentilitium Scutum, Pontificali Mitra intectum, in eius area Leo, posteriore parte Coronae quasi insertus insidens, et exerta lingua hians; in circulo eius haec leguntur: „Patr. B. M. Accepta Referentur.“ — Antonius Szereday Collectio continens Tabulas vetustorum, ac recentiorum monumentorum, quae in Templo Alba olim Iuliensi, nunc Carolinensi in Transsilvania sunt, fueruntque locata. Alb. Carolin. 1791. 4.

1) Fuerit is natione Hasso.

VIII

nica Hungarorum Ladislai opera, ex Regni, aut certe Capituli Budensis Tabulario in lucem extracta 1) anno 1473. Budae prelo subiecit, utve beneficii memoriam servaret, Maecenati suo inscripsit. — Quae ad typi genus, modulumque, item chartae nitorem spectant, Liber est in folio, ut dicunt, minori, charta crassitie sua, prope ad pergamenam accedens, Litterae initiales picturis inauratis passim conspicuae, typus vero ultra, quam reris, praeter illius aevi rationem, non monasticus, elegans. Cetera vero Libri propria, quum exemplar Jankovichianum ad manus non esset, Spectatissimus Vir, Dominus Franciscus Lechner ante hac Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Scriptor Primarius, datis ad me 23. Iunii 1838. humanissimis Litteris, ita describit: „Obgleich ich nicht mehr die Ehre habe in der Hofbibliothek angestellt zu seyn, da ich seit Februar zum Vorsteher der hiesigen Universitäts-Bibliothek

-
- 1) Nam annus conditae per Matthiam Bibliothecae in millesimum quadringentesimum octvagesimum octavum incidit; Petrus enim Ranzanus sculus Panormitanus, Episcopus Lucerinus, et Ferdinandi Regis Neapolitani ad Matthiam, Hungariae Regem Legatus, in Oratione eo anno ad Matthiam habita: „Audiui, praeterea, inquit, superioribus diebus, dum Viennam versus, iter ad te facerem, constitui nunc a te Bibliothecam ingentem, et omni ex parte eximie, mirificeque ornatam, in quam aiunt, multa millia Codicum non vilis, neque contemnendi pretii, id est, qui sint perpulebris exarati litteris, intusque, et extra; te et velle, et iam coepisse congerere.“ — Vide Petri Ranzani Epitome Rerum Hungaricarum edit. Buden. 1764. 4. p. 19. Exordia vero eius post nuptias cum Beatrice an. 1476. celebratas referenda esse, Bartholomaei Fontii Florentini Opera Matthiae Regi post annum 1487. dicata, innuunt. Ego editione, sumtibus Ioannis Caroli Vnckelii, Librarii Moen. Francof. an. 1621. forma 12. procurata usus sum.

ernannt wurde, so liess ich mir sogleich angelegen seyn, die Hofbibliothek zu besuchen, um das bezeichnete Chronicon einzusehen. Es hat, wie überhaupt die meisten Ausgaben des XV. Jahrh. weder Titel, noch Pagnation, noch Custoden; zählt 67. Blätter, und ist in folio minori gedruckt. Es beginnt auf der ersten Seite folgender Massen: „Ad uenerandum dnm Ladizlau prepositu ecclesie buden. pthonotariu serenissimi regis Mathie: i cronica hungaror. Andree prefatio.“ Am Ende: „Finita Bude Anno dni MCCCCLXXIII. in uigilia penthecostes: per Andrea. Hess.“ Cum itaque Titulum Operi suo Hessius non praefixerat, ab impressionis Loco passim Chronicon Budense audit; quem Titulum ac Nomen ego quoque servavi.

Quemadmodum vero Chronicon istud omnium, quos Hessius Budae edidit, librorum, primum est: ita incertum, an etiam alia ex hac Officina prodierint opera. Doctissimus quidem Nicolaus Jankovich in Sallustio Crispo quem anno 1811. Budae edidit, p. 91. C. Iulii Caesaris Orationem Vesontione ad Milites habitam cum Andreae Brentii Praefatione hoc in Typographeo procusam opinatur, quod non modo cum Budensis Chronici exemplo a se redempto colligata fuerit: 1) verum etiam eadem cum priore charta, idem formatum, typus, demum litterae, atque adeo interpunctiones eundem Typothetam arguant. Librum vero Basilii M. de Legendis Poetis cum Praefatione Leonardii Aretini Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, Budae prodiisse, ex Andreae Hess nominum initialibus litteris ad calcem, „Sic finis Libelli Basilii est: per A. H.“ reiectis pro certo affirmat. Dubito tamen vehementer, quum Hessius editionis locum, contra morem suum, sup-

1) Zeitschrift. III. B. S. 309.

primat. Videtur is mox, ac Budense Chronicon in lucem emisit, fatis cessisse, aut certe alio demigrasse; utpote Antonio Bonfinio Asculano, qui paulo ante, quam Matthias Viennam triumphanti similis anno 1485. ingressus esset, vulgato latissime Regis nomine, Rhetiam (ut ipse Dec. V. Lib. VII. edit. Lips. p. 652. de se ait) venerat: cuius Matthias Res Hungaricas scribendi provinciam mandavit, ne fando quidem notus. Et haec fuerit causa, quare Bibliopolae Budenses, quorum memoriam ex Panzeri Annalibus Typogr. ipsis denique originalibus Libris Doctiss. D. Stephanus Horvát in anni 1817. Tudományos Gyűjtemény Tom. VI. p. 67—97. excitavit, in exteris ditionibus prela exercerent. Gemina profecto Chronicorum per Ioannem de Turótz 1) compilerum Brunensis altera, altera vero Augustana, utraque autem unius, eiusdemque anni editio extranea est, haec Augustae Vindelicorum apud Erhardum Ratdolt impensis Theobaldi Feger Civis Budensis tertio nonas Iunii Anno 1488. illa Brunae in Moravia die XX. Martii eodem anno fuit impressa. Non est autem credibile, Bibliopolas Budenses, Augustam, aut Brunam Turótzii opus missuros fuisse, si Hessii Typographia Budae floruisset. Erunt forte, qui miraturi sint, cur Matthias popularium Typographorum, qui aetate sua Mantuae, Venetiis, Lugduni, Cremonae nominibus inclaruerunt, quosve laudatus D. Stephanus Horvát cit. periodici scripti anni 1817. Tom. I. p. 71—77. recenset, opera uti noluerit. Verum ratio in promptu est: quod exaratis, pictisque Codicibus, quibus colligendis totus incubuerat, plus nimio delectaretur.

1) Biographiam eius lege in an. 1822. Tudományos Gyűjtemény Tom. V. p. 58—62.

Pro coronide addo Eruditorum popularium de hoc Chronico iudicia; et quidem Matthiae Bel, qui in Praefatione ad Schwandtneri Collectionem Tom. I. §. XX. „Denique adminiculorum, inter ea, quae typis sunt excusa, quaeque in rem verti potuerunt, facile praestantissimum iudicaveris, inquit, Antiqua Chronica Hungarorum, cum praefatione ad Venerandum Dominum Ladislaum Praepositum Ecclesiae Budensis, Proto Notarium Apostolicum, nec non Vice-Cancellarium Serenissimi Regis Matthiae in folio minori, Budae per Andream Hess Anno Dominii 1473. in Vigilia Pentecostes impressa. Nam et his usus est (Schwandtnerus) longe omnium scrupulosissime, in reparando auctore suo (Turotzio) noster. Est autem, totus is commentarius, Chronicon Thuroczii in compendium missum, 1) quippe quod, et rebus, et dictione ita cum eo concordat, ut epitomatores habuisse credi possit, quemadmodum non ignarum Historiae Hungaricae, sic Thuroczio ipso multo adcuratiorem. Tametsi enim, sectatur subinde compendia; tamen, non raro, cum in describendis rerum gestarum circumstantiis, uberior est; tum maxime, in nominibus propriis expromendis, circumspectior. Dices eccur proinde, non est in Thuroczii isthoc comitatu, ad eum modum typis exscriptus? ut eiusdem bipartitae paginae obtutu, contendi invicem, et de utroque, Thuroczio, atque Budensi hoc Chronico, cum ratione ferri potuisset iudicium? Nempe, eadem hic causae militabant, quas supra ad manuscriptum illud Thuroczii prolixè edis-

1) Meo iudicio, inquit Georgius Ierem. Haner in *Adversariis de Scriptor. Rer. Hungar.* Vien. 1774. in 8. p. 49. non, quod Anonymus Thuroczium in Compendium miserit: verum, quod hic illius compendium variis accessionibus locupletatum, eval-

seruimus. 1) Quid? quod iniquum putaverimus, celeberrimi ex Hungaris, nobisque amicissimi viri, circulos interturbare; qui hanc edendi Thuroczii cum Chronico Budensi curam, ante propriam sibi fecit, quam de nostra hac vel cogitatio Vindobonae susciperetur. Quod unum, ad excusationem, satis esse opinamur.“ Et §. XXI. „In recognoscendo profecto, emendando, adcurandoque Chronici (Turotziani) textu, nihil residui fecisse existiman-

gaverit, statuendum est.“ — Verum neutra opinio sustineri potest; nam Praius Indicis Rarior. Libror. P. II. p. 403. ex authenticis instrumentis certum habet, Turótzium an. 1468. Fiscalem Procuratorem Regis; anno autem 1470. Notarium Conventus B. V. de Turótz; et 1484. Proto-Notarium fuisse. Adde, quod si Turotzius, Chronici Budensis compilator, aut saltem editionis auctor fuisset, illius Andreas Hess, quemadmodum Ladislai Gereb Mecoenatis, haud dubie meminisset. — Sed illud Turotzius nec accessionibus locupletavit; quum vicissim Hessium, eiusque Chronicon ne verbo quidem memoret: quod facturum non erat, si eius compendio uti voluisset. Immo altum adeo Chronici Budensis in coaevis monumentis silentium indicio est, perpauca eius saltem, nec obvia fuisse exemplaria; ut quae mox ab editione per harum rerum cupidos transcribi debuerint: tale Chronici Budensis exemplar manuscriptum memorat Gabriel Hevenes MSC. Tom. 50. p. 203 — 284. quod in haec verba desinit: „Finita Viennae per Joannem Menestarfer Artium Doctorem. Decretorumque Licentiatum. Die Lunae Decima mensis Septembris Anno Domini M.C.C.C.C.L.X.X.X. Primo. Sed impressa fuit Budae Anno Domini M.C.C.C.C.LXXIII. in vigilia Penthecostes per Andream Hess.“

- 1) Nempe §. XVII. ubi caetera inter: „Nullum facturum fuisset operae pretium Bibliopola, tametsi impensam in excudendum — nihil dubitasset profundere; quam quod cramben bis coctam Lectoribus Eruditis, adposuisset.“

duſ est, oculatiſſimus, idemque laborioſiſſimus Editor. Enim vero, ſingula, quae ſeu inſignis Codex MSC. ſeu impreſſae typis Brunenſis, atque Auguſtana editiones, laudatumque nunc Chronicon Budenſe, ſuggeſſere, ſuis omnia locis, opportune adſcripta, et redintegrando auctori, ſumma cum cura ſunt adhibita.“

Illuſtriſſimus vero Adamus Kollár Vindobonenſis Bibliothecae Palatinae olim Cuſtos Primarius in Petri Lambeckii de hac Bibliotheca Commentariis col. 690—691. poſtquam Simonis Kezae Chronici cum laude meminisset, hanc deprompſit opinionem: „Porro autem exemplaris huius Caesarei ſimillimum fuit illud, ex quo typis exſcriptum eſt Chronicon, quod eruditis noſtris Budenſe audit. Lucem id adſpexit Budaë A. C. 1473. opera Andreae Heſſi, Regis Matthiae Corvini typographi: quippe, cum is novae artis ſuae atque induſtriae ſpecimen edere vellet, hocce Chronicon delegit, quod mole quidem ſua exiguum eſſet, utilitatem tamen maximam fructumque promitteret. At vero typographi huius opera eo poſtiſſimum probari minime poſteſt, quod prologum, ſive epistolam Simonis de Keza, qua is opus ſuum Regi Ladislao IV. dedicaverat, reſcuerit, ſuamque pro illa typis ediderit Ladislao cuidam Praepoſito Eccleſiae Budenſis inſcriptam: quam ob rem etiam maiorem multo gratiam Heſſus a nobis erat initurus, ſi prologum Kezae typis exſcriptum edidiſſet, aut docuiſſet ſaltem brevibus, quiſnam ille mortalium fuerit, qui Simonis Kezae Chronicon ſub Rege Carolo I. recenſuerit, auxerit, et ad ſuam uſque aetatem perduxerit. 1)

1) Preſſo pede Kollariſm in iudicando ſequitur Ioannes Chriſtianus Engel. Vid. Kovachich Sammlung kleiner noch ungedruckter Stücke der Ungariſchen Geſchichte. Ofen 1805. in 8

Attamen Chronicon Hessi, sive Budense, exemplo Kezae Caesareo paulo prolixius est, utpote ad tempora Matthiae Corvini, per quae in lucem proferebatur, deductum; et praeterea certum mihi exploratumque est, facturum esse pretium operae, qui novam Chronici Budensis editionem adornaturus, exemplum m. s. Caesareum cum eo diligenter conferret: dissentiunt enim in nonnullis quibusdam, praesertim in partitionibus, quas Capita dicimus.“

Paullus autem Wallaszky in Tentamine Historiae Litterarum sub Matthia Rege in Hungaria. Lipsiae 1769. 4. p. 97 — 98. hanc tenuit sententiam: „Opus integrum in duas distinxit auctor partes. Priori exponit Origines Hungarorum fabulosas — Pars Chronici posterior, a secundo Hungarorum in Pannoniam ingressu, Ducum, et Regum res gestas, a primo (ut vocabant) Capitaneo Almo, ad Matthiae de Hunyad usque Coronationem per Capita in compendio exponit. Quae omnia hic recensere superfluum tanto magis videtur; quod haec ipsa totidem verbis in opere Turoczii, paucis quibusdam demtis, aliis vero interpolatis, occurrant. Pars certe integra prior, ex posteriore vero ad mortem usque Ludovici M. segmentum, vix ver-

S. XXXI. et Engelii Geschichte des Ungr. Reichs. Wien 1813. I. Th. S. 38. — Hessius non Simonis Kezae Chronico: verum anonymo codice usus est. Priscis enim temporibus idmodi Annales in Capitulis potissimum, et Conventibus per eos, quibus libuit, promiscue exarabantur; ac ideo veteres hos Codices, quorum magna apud nos copia fuit, hodieque aliquot supersunt, non abs re anonymos dixeris. Iniurii ergo in Hessium sunt, quiqui eum turpis plagii accusant, damnantque, quod Simonis Kezae dedicationem ad Ladislaum III. Hungariae Regem cognomento Cunum scriptam de industria resecuerit, ac suam ad Ladislaum Gereb substituerit.

bulo mutato, cum Turocziano concordat. — Unde in eam veni opinionem, ut credam, Turoczium, Budensis huius Chronici esse quoque auctorem, vel potius compilatorem. Composito nempe ex opusculis anonymi, et Ioannis de Kikellő adiectis, quae desiderabatur posteriorum regum rebus praeclare gestis, compendio, eoque Budae typis Hessianis anno 1473. excuso, cum probari popularibus industriam suam videret Turoczius: novam, eamque, quoad illa, quae ipse curis suis elaboraverat, auctiorem, Kikellőianis et anonymi relictis intactis, anno 1483. (1488) Augustae procurasse existimo.“ — In hunc fere modum edisserit etiam in Conspectu Reipublicae Litterariae in Hungaria, ab se secundis curis Budae anno 1808. edito.


Nihilo mitiorem de hoc Chronico tulit sententiam Thomas Szirmay Colonellus, qui (referente Samuele Székely de Doba, Incl. Legionis Eszterházyanae olim Centurione emerito) ad frontem exemplaris Jankovichiani (ut per Stephanum Kaprinai memoriae proditum est) sequentia adscripsit: „Haec Chronica continet: 1. Multas fabulas antiquitates. 2. Concinnata est e fragmentis diversorum Actorum ex Archivo Regni per Vice-Cancellarium Authori communicatis; satius tamen fuisset, Acta illa de verbo ad verbum describere, quam excerptando, et multa praetereundo, confundere, maiorque fides Actis illius temporis habita fuisset. 3. Circa res gestas Caroli I. et Ludovici I. Regum superat reliquos Hungariae Historicos, et vel ob id lectione digna Chronica.“ 1)

1) Bene monet Hadrianus Valesius: in *Gestis Francorum* Tom. I. Paris. 1646. in F. „Nos multum ieiunis istis aridisque scriptoribus debere, quod pro captu mediocritatis suae, et, ut illa ferebant tempora, annales qualescunque composuerunt,

XVI

Sed horum iudicia, ac meam in edendo industriam Eruditi Lectores discutiant. Aequum tamen est, ut mei dietim officiosis, seriisque distenti, habeatur ratio; in tumultuario enim hoc opere horas duntaxat subcisivas contrivi. Scribebam in Castro Novo Montis Pestiensis Die XXVII. Iunii Divo Ladislao Regi, Hungarorum Tutelari Sacra, post Budam feliciter recuperatam Quinquagesimo Secundo supra Centesimum Anno.

et quae ex maioribus natu acceperant, utcunque in epitomen coacta posteris velut per manum tradiderunt, nobisque haud pauca memoratu digna reliquerunt, in quibus suam quisque solertiam sagacitatemque exercemus, plerosque — annos sine ulla mentione transmissuri, si nihil ipsi literis mandavissent.“



Ad
Venerandum Dominum Ladizlaum Prepositum
Ecclesie Budensis, Prothonotarium Apostolicum,
nec non Vice - Cancellarium Serenissimi
Regis Mathie,

**In Cronica Hungarorum
Andree Prefatio.**

Cum superiori tempore, Venerande Domine, in Latio versarer, videremque, quanto emolumento ac decori hominum generi hi Viri forent, qui magno prestantes ingenio, suam divinam industriam comprimendis ¹⁾ Libris adhibebant; placuit mihi tam dignum, tamque excellens studium, mea pro virili capessere. Ut si quid demum assequi possem, id non in meam duntaxat: verum etiam plurium mortalium utilitatem converterem. Unde, cum Dei benignitate, pro voto meo aliquantisper profecissem, et ob id rei ad Inclytum Hungarie Regnum, Tua gratia accersitus, venirem, essemque non parum otiosus; suscepi laborem ingentem, dierumque plenum, imprimendi videlicet Cronicum Pannonie opus; laborem, inquam, quem omnibus Hungaris gratum atque iocundum fore putavi. Quandoquidem, ut quisque natale solum unice diligit, reliquisque Orbis terrarum partibus longe anteponit; ita et suorum, qualem vitam egerint, quique vernaticus ²⁾ scire plurimum exoptat: ut, si qua preclara, memoratuque di-

gna conspexerit, imitari debeat; si qua vero minus feliciter gesta compererit, doctus precavere possit. Sed cum animadverterem, et diu mecum ipse volutarem, cui meam primam in hoc sedulitatem pluribus diebus lucubratam, dirigerem, Te preter, Domine mi observandissime, invenio neminem. Quippe, et Tu de me optime meritus es: et sine Te susceptus labor neque iniri, neque expleri potuisset. Accipe, itaque, hoc munusculum nostrum, iure quodam Tue Excellentie dedicandum, ut Qui videlicet potissima laboris causa extitisti, ipsius quoque operis particeps esse debeas. Et si qua in dies maiora excudemus, Tuo etiam Illustri Nomini dedicanda putabimus.

¹⁾ Stephanus Kaprinai „componendis“ legit; verum haec lectio sensui adversatur: Hessius enim *Chronica Hungarorum* non composuit, sed impressit. Paulus quoque Wallaszky in *Tentamine Historiae Litterarum sub Matthia Rege de Hunyad in Hungaria*. Lipsiae 1769. in 4. p. 96 — 97. excuso Bibliothecae Academiae Lipsiensis exemplari usus, perinde pro „comprimendis“ accepit. Ita legerat etiam Johannes Menestarker iam anno 1481. quo *Chronicon Budense* descripsit; quemadmodum MSC. illius exemplar inter Hevenesii MSC. Tom. 50. p. 203. testatur. Omne vero, quod oboriri posset, dubium tollit exemplar MSC. Ill. ac RR. Domini Antonii Ocskay de Eadem, Electi Episcopi Bacensis etc. in quo, servatis ad amussim, ut originale habet, typi compendiis, hoc verbum „compmedis“ exaratum inveni.

²⁾ Vernaticus, domesticus, patriota.



I n c i p i t

Pars Prima Cronice

De origine Hungarorum, de Descensu de Scitia
in Pannoniam, de Bellis contra diversas Nationes
habitis, ac de Expulsione eorundem, et
Reditu in Scitiam.

Genesis Hungarorum.

Porro, cum per cladem diluvii, preter Noë, et tres filios eius, ac uxores eorum, deleta esset omnis caro, tandem ex Sem, Cham, et Japhet septvagina due tribus post diluvium sunt progresse. Ex Sem. XXII. ex Cham XXX. tres, ex Japhet decem septem. ¹⁾ Dum autem iste tribus, sicut refert Josephus, hebraica lingua uterentur, ²⁾ Ducentesimo primo anno post diluvium, Nemroth Gigas ³⁾ filius Tana, ⁴⁾ ex semine Japhet oriundus, ⁵⁾ cepit turrim construere, ⁶⁾ cum omni cognatione sua. ⁷⁾ Periculum preteritum attendendo, ut, si contingeret diluvium iterari, possent effugere iudicium ultionis, turris interfugio. Divini vero misterii arbitrata sententia, cui non valet resistere humanus intellectus, sic illorum mutavit loquelam, ac confudit; ut dum proximus a proximo non posset intelligi, tandem in diversas regiones sunt dispersi. ⁸⁾ Fecerat enim in turri ipsa, sicut refert Iosephus, Deorum templa ex auro purissimo. ⁹⁾

Palacia lapidibus pretiosis, columnas aureas, ac plateas diversimode petris coloratis, et diversis astragatis, ¹⁰⁾ et turris ipsa, in quadrum sublevata, ab uno angulo in alium habens passus longitudinis mille et quindecim, latitudinis totidem: quantitas vero altitudinis finita nondum erat, sed usque ad lunarem circulum cogitatu illorum debebat sublevari. ¹¹⁾ Grossitudo autem fundamenti trecentorum passuum erat: paulatim quidem artabatur, ut preeminens pondus posset levius sustentare grossitudo fundamenti. Sita enim erat inter Nubiam, et Egyptum, ¹²⁾ cuius antiqualia cernuntur usque hodie, euntibus de Ymphis ¹³⁾ Alexandriam.

¹⁾ Genes. Cap. X. Iapheti generationes XIV. Chami XXXI. Semi XXVII.

²⁾ Antiqu. Hebr. at Sacrae Paginae Gen. XI. v. I. „Erat autem terra labii unius, et sermonum eorundem.“ ubi non idiomatum mutatio: verum Chamitarum dispersio memoratur.

³⁾ Poseniense Chronicon constanter „Nembrothus gygas.“

⁴⁾ Huius nominis urbes in Sacris Literis occurrunt: Num. XIII. v. 23. „Hebron septem annis ante Tanim urbem in Aegypto condita est.“ Psalm. LXXVII. v. 12. „Coram patribus eorum (Hebraeorum) fecit (Deus) mirabilia in terra Aegypti, in Campo Taneos.“ Esaiæ XIX. v. 11. 13. XXX. v. 4. — Strabo. Lib. XVII. „Tanis maxima (in Aegypto) Civitas.“ — „Primus omnium Ninus rex Assyriorum — fuere quidem temporibus antiquiores, Sesostrius Aegypti, et Scythiae rex Tanaus; quorum alter in Pontum, alter usque Aegyptum excessit.“ — Iustin. Lib. I. cap. I. — Ut cetera taceam, Tanis Aegypti olim regia non procul a Tanitico Nili ostio, iam extabat tempore Mosis, qui „fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.“ Psalm. LXXVII. v. 12. Misraim in Chami filiis secundus censetur; nomine eius Aegyptus, Misraim vocatur in tribus Sacrae Scripturae locis, cuius metropolim Alcairo hodieque Arabes Meser nominant. A Tanao etiam Tanais fluvius denominatur. — Tana porro, celebre olim emporium ad ostia Tanais, de quo Strabo Lib. XI. „Ex omnibus Asianis Moëotis, iis, qui forum habebant, quod ad Tanaim est, parebant.“

⁵⁾ Hoc cum Sacris Codicibus male congruit; nam Gen. X. v. 6. 8. „Fili autem Cham: Chus, et Mesraim, et Phuth, et Chanaan — Porro Chus genuit Nemrod.“ — Sed et constans nostrorum a maioribus accepta, literisque mandata traditio tenebat, Hungaros a Chami nepotibus profectos esse: „Hunc Nemroth quidam voluerunt Hunnorum, sive Hungarorum fuisse parentem, inquit

Turótzi Chron. P. I. Cap. 2. Nam in uno dictorum voluminum positum est, quod Nemroth gigas — in terra Evilath, quae nunc Persida vocatur — ex coniuge sua Enech vocitata, duos generasset filios — ex quibus tandem universi Hunni, sive Hungari ipsorum generationis recepissent propaginem.“ — Verum haec postea traditio Hungaris Christianis, hos inter etiam Anonymo Belae Regis Notario, displicuit, malueruntque, contra Mosem et Esdram, qui Nimrod, Chami ex Chuso nepotem faciunt, originem a Magog filio Iaphet auspicari, quam domesticorum Annalium fide a Chamo repetere; ut ut ex tota Chronicorum narratione de Hungarorum origine illud eveniat, veritatisque consentaneum sit, eos a Chami posteris ortos, cum Cunis, Iazygibus, Siculis, Parthis, horumque cognatis unam, eandemque gentem esse. Confer. Doctiss. Viri Stephani Horvát „Rajzolatok a' Magyar Nemzet legrégiebb Történeteiből. Pest 1825.“

6) Tempus, quo turris condita fuit, satis aperte Moses designat, cum Gen. X. 25. dicit: Hebero natos esse duos filios, quorum uni nomen Phaleg eo, quod in diebus eius divisa est terra. Quod idem est, ac si diceret, terram fuisse divisam, quo tempore Phaleg natus est; qui, ut ex Gen. XI. 10. constat, in lucem editus est post diluvium anno centesimo primo.

7) Gen. X. v. 8—10: „Nemrod — coepit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino — Fuit autem principum regni eius Babylon, et Arach, et Achad, et Chalene in terra Sennaar.“ — in hodierna nempe Africa; Psalm. CIV. v. 23. „Et intravit Israël in Aegyptum, et Iacob accola fuit in terra Cham.“ — Psalm. CV. v. 21—22. „obliti sunt Deum, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham.“ — Codex autem Dubnitzensis Comite Illésházianus. nunc iam Bibliothecae Regnicolaris, quae Pestini est (Vid. Wiener Jahrbücher der Literatur 1826. Anzeige Blatt Nr. XXXIII. et XXXIV.) „Nemproth — cepit esse potens in terra, quia per potentiam alios sibi submittebat, et nolentes, ad opus predictum compellebat — ob hoc robustus venator i. e. oppressor hominum coram domino — ob hoc — quando — postea videbatur aliquis oppressor hominum, vocabatur alter Nemproth, vel similis Nemproth.“

8) Gen. XI. v. 7. „ut non audiat unus quisque vocem proximi sui.“ Huc faciunt laudati Stephani Horvát verba: „A' Szityák — nagy előmenetelt tévén a' tsinosodásban — a' nagy Pyramisokat kezdék fejedelmek emelni, a' mi utóbb nagy terhére esvén a' népnek, kivándorlást okozott. Ezt jelenti Mósesnek nyelvzavarodása, és a' Sennaar mezején Nubiában, nem pedig Ásiában épült nagy tornyot, vagy is Babyl, Babylonia várost.“

9) Turris nomine hoc loco venit Arx, Castrum, Civitas — Templum autem ex purissimo auro denotat Solem, cuius imago erat a-

rea, et omnia vestimenta aurea; Solis enim radii vivo assimilantur auro. Solis vero nomina erant: Bel, Belus, Belis etc. qui sub diversis nominibus tam ab Orientalibus, quam Occidentalibus pro Deo cultus fuit. Strabone teste Lib. XI. Massa Getae Solem unicum Deum agnoscunt, eique equum sacrificant. — Esai. XIX. v. 18. „In die illa erant quinque Civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan — civitas Solis (Heliopolis) vocabitur una.“ — A Bel alia quoque idola nomen acceperunt: Hungari profecto idolum hodieque Bálvány vocant; ipsa adeo Solis, Hungarorum Nap, denominatio e Can-opus Kan-Ap Regum, Deorum Pater *Θεοπατορ* derivatur. Chamum vero esse Iovem, nemo est, qui nesciat. Ex Africano Cham, natum est Ham Aegyptium, hinc Hammon, vel Ammon. Quid quod Africa universa dicebatur Ammonis, vel Ammonia ab Ammonis dei nomine, teste Alexandro Polyhistore, qui in Aegypto vixit sub Ptolemaeo Lathyro. — Stephanus: „Ammonia Africae mediterranea, sed et ipsa Africa universa sic ab Ammone vocabatur.“ Hinc de Ammone Lucanus Lib. IX.

Quamvis Aethiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Iupiter Ammon.

¹⁰⁾ Astragatis substituo pro abstractis; Alexius enim Horányi in Chronico membranaceo Simonis de Keza edit. Vien. et Buden. astracatas legit; videturque columnarum celaturas denotare, ac ex substantivo Astragulus (Vid. Vitruv. Lib. III. et VI.) detortum esse.

¹¹⁾ Phrasi nempe orientalium, qui iuxta receptum apud eos loquendi morem, pro alto passim usurpant τὸ in coelum. Sic in Homero legimus: „abies autem erat in coelum usque sublimis.“ Eadem hyperbole dicit Psaltes de iis, qui a maris fluctibus agitantur: „ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos.“ Strabo Lib. XVII. ita de Pyramidibus: „Memphis Aegyptiorum regia — XL. Stadiis ab urbe (in occidentali regione) progredienti est montanum quoddam supercilium, in quo sunt multae Pyramides — Earum tres eximiae sunt, sed duae inter septem spectacula adnumerantur. Singulae altitudine Stadii, figura quadrata, altitudinem habentes paulo maiorem quolibet latere, et paulo altera altera maior — Ulterius in maiore montis altitudine est tertia multo, primis duabus, minor, maiore tamen impensa structa. Nam ab ipsis fere fundamentis usque ad medium constat ex nigro lapide, ex quo mortaria faciunt, ab extremis Aethiopiae montibus delato, qui cum et durus sit, et operatu difficilis, reddit opus sumptuosum.“

¹²⁾ A^o Chánániak (Gen. X. 6—20.) nem de Cham maradékai és Áfrikaiak voltak a^o Szent Írás előadása szerint? A^o Chánániak — nem de Massar (későbbi nevezettel Aegyptosból) költöztek kai Palaestinába a^o Szent Írás előadása szerint? Már pedig köz vélemény volt a^o régieknél az Aegyptusiakról, hogy ezek a^o kö-

zönséges vizözön előtt virágozottak, 's hogy ezek tették a' legrégebb nemzetet. Conf. an. 1834. Tudományos Gyűjt. Tom. XI. p. 115. ubi e Diodoro Siculo I. 31—32. haec citantur: „Aiunt Aegyptii sub primum huius universitatis ortum primos etiam homines in Aegypto procreatos fuisse.“ Apollonius Rhodius Argonaut. Lib. IV. v. 267. „Aegyptus, mater primorum hominum.“ — Aristoteles Polit. Lib. VII. cap. 10. „Esse vero cuncta vetusta, signum est, quod Aegyptii, quorum antiquitas maxima putatur, leges habuerunt et civilem institutionem.“ — Damascius in Photii Myriobiblon. „Nemo adeo sero discere coepit, tardique est ingenii, quin fere ex omnibus et dicentibus et scribentibus audierit, Aegyptios omnium post homines natos esse antiquissimos.“

¹³⁾ Memphis, hodie Cairo in Inferiori Aegypto, ex Memphis, et Babyloniae ruinis nata, secus divortium Nili in mediterraneis. De Pyramidibus, quae orbem implevere fama, quasve ex Strabone iam memoravi, Ammianus Marcellinus Lib. XXII. „Pyramides ad miracula septem provectae, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, ultra omnem omnino altitudinem, quae humanis manibus confici potest, erectae sunt turres ab imo latissimae, in summities accutissimas desinentes.“ — Martialis Lib. I. Epigr. 1. „Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.“ et Lib. VIII. Epigr. 36. „Regia Pyramidum Caesar (Domitiane) miracula ride: iam tacet Eoum barbara Memphis opus.“

Dimissis igitur incidentiis, 1) que cepte materie dant colorem, redeundum est ad incepta.

¹⁾ Incidentiae: Casus, quomodo incidens dicimus. Otto a S. Blasio Cap. 12.: „Traditionesque Hebraicas cum incidentiis historiarum notas faciens.“ Du Fresne Gloss.

Eorum ex Africa in Asiam migratio.

Nemroth Gigas, post linguarum confusionem terram Evilath dicitur introisse, que regio Persiden isto tempore nominabatur; ¹⁾ ibique duos filios Hunor scilicet, et Magor, de Enech sua coniuge generavit: ex quibus Huni, sive Hungari sunt egressi. ²⁾ Sed Gigas Nemroth uxores alias, sine ³⁾ Enech habuisse perhibetur, ex quibus, absque ⁴⁾ Hunor, et Magor, plures filios, et filias generavit. Hii sui filii, et eorum posteritas Persiden inhabitant regionem, statura et colore similes Hunis: tantummodo differunt parum in loquela, sicut Saxones, et Turingi. ⁵⁾

Dum autem Hunor, et Magor, Nemroth essent primogeniti, a patre ipsorum in tabernaculis separatim inhabitabant. ⁶⁾ Accidit autem dierum una, venandi causa illos perexisse; quibus in deserto cum cerva occurrisset, in paludes Meotidas illam insequentes, fugit ante eos. Cunque ibi ante eos prorsus evanisset, diutius requisitam potuerunt nullo modo invenire. Peragratis tandem paludibus memoratis, pro armentis nutriendis ipsam conspexerunt opportunam.

¹⁾ Evilath regio, de qua Gen. II. v. 11. „Phison ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum.“ — Eusebio, ac S. Hieronymo in Quaest. Hebr. Phison fluvius, Gangem est; hinc iam certum, maiores nostros ex Africa in Asiam, et quidem in orientalem quoque Indiam concessisse: vetus ergo Persia ad Gangem usque exporrigebatur. Conf. Persepolis Inscriptiones Hungaricas (Die alt persischen Keil-Inschriften von Persopolis) in an. 1838. Tadamányos Gyűjtemény Tom. IV. p. 63. et sequ.

²⁾ De Enech confer. Numer. XIII. v. 23. 29. 33. 34. ubi de eius posteris Chanaan tenentibus: „Stirpem Enac vidimus - Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac, de genere giganteo.“ — At de Hunor, et Magor, Nemroti primogenitis Sacrae Paginae nihil testantur. Laudatus Steph. Horvát praesidio Sacrarum Literarum Deuteronomii VII. v. 1. docet, Chani nepotes esse Hethaeos (Paltzios) Gergesaeos (Magyaros) Amorrhaeos (Iazyges) Chananaeos (Cunos) Pherezaeos (Valos) Hevaeos (Siculos) Iebusaeos (Uzos) Veteribus Septem hae Gentes passim Scythae audiunt, ut ut vetus graecum hoc nomen, quod ferrum denotat, duntaxat Bissenis, seu Cunis ex Abissinia migrantibus sit proprium. Ex quo facile colligas, Scytharum nomen haud fuisse commune: verum Bissenis seu Patzinacitis proprium. Vide etiam Die Jaszen aus dem Magyarischen des Stephan Horvát übersetzt von Draudt — in der Geschichte der Magyaren von Johann Grafen Mailáth V. Band. Wien 1831.

³⁾ Sine, praeter.

⁴⁾ Absque, praeter.

⁵⁾ Saxones enim sunt origine Chorasmii Sachae, adeoque Hungarorum cognati. Conf. Stephani Horvát Rajzolatok p. 55. §. 84. Herodotus Lib. VII. Cap. 64. „Persae enim Scythas nominant Sacas.“

⁶⁾ Haec ad iura primogenitorum spectant. Apud nos Regum primogeniti olim tertiam Hungariae partem, Ducatus nomine, tenebant; qua de re suo loco plura.

E Persia ad Meotim Lacum.

Deinde ad patrem redeunt, ab ipso licentia impetrata, cum omnibus rebus paludes Meotidas intraverunt moraturi. Regio quidem Meotida, Perside provincie est vicina, ¹⁾ quam undique, preter vadum, pontus giro vallat; fluviis currentibus, herbis, silvis, piscibus, volucribus et bestiis copiat. Aditus illic difficilis et exitus. Paludes ergo Meotidas adeunt, quinque annis ibidem immobiliter permanserunt; anno vero sexto exierunt; sine maribus in deserto loco in tabernaculis permanentes uxores, ac pueros filiorum Bereka ²⁾ cum festum tube colerent, et choreas ducerent, ³⁾ ad sonitum simphonie casu reperierunt, quos cum eorum rebus in paludes Meotidas, rapinis celeribus deduxerunt. Hec fuit prima preda post diluvium. Accidit autem Dule, principis Alanorum, ⁴⁾ in illo prelio, inter illos pueros, duas filias comprehendit; quarum unam Hunor, aliam vero Magor sibi sumpserunt in uxores: ex quibus mulieribus omnes Huni, pariterque Hungari originem sumpserunt.

¹⁾ Poseniense Chronicon: „Regio quidem Meotida Persidis patrie est vicina.“

²⁾ Bereka, Simoni Kezae Belar, Berela, a quo Anonymi Belae Regis Notarii Bular, seu Bulgaria denominationem acceperit; — Joannes Plan Carpinus: „Terra comania ab aquilone immediate post Russiam habet Mordunos, Byleros id est: Magnam Bulgariam, Bastarcos (Bascartos) id est: Magnam Hungariam.“

³⁾ Apud Hebraeos Festo Noviluniorum, buccinae ab ortu solis, ad occasum clangebant; unde Festum Buccinarum quoque appellatum fuit. Inprimis autem celebre erat Tubarum Festum, quod ipsis novi anni Kalendis agebatur, seu initio mensis Tisri, quo tempore Judaei mundum creatum statuunt. An etiam haec festa huiusmodi fuerint, non habeo, quod pro certo affirmem.

⁴⁾ Wilhelm Rubruquis: „Comani, qui dicuntur Capehat. Teutonice vero dicuntur Valani (Walwen) et Provincia Valania. Ab Isidoro vero dicitur a flumine Tanai usque ad paludes Meotidis et Danibium Alania.“ — Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. C. 5. „Albanos et Massa Getas Alanos nunc appellamus“ et Lib. XXXI. Cap. 2. „Alani Hunnis — per omnia suppare.“ Nicephoras Gregoras Lib. VI. Cap. 10. „Massa-Gethae — quive Alani vulgo dicuntur“ et Lib. II. Cap. 1. et 2. de Sarmatis, Massa-Gethis, Go-

this, Melanchlaenis „Hi vero Hunni et Comani vocabantur, erant etiam, qui eos Scythas nominarent.“

Ex Maeotidis Regione in Scythiam.

Factum est autem, cum diutius in paludibus Meotidis habitassent, in gentem validissimam crescere ceperunt, nec eos capere ipsa regio poterat, aut nutrire. Exploratoribus igitur abinde in Scythiam destinatis, scrutinii astutia subtilissima; ¹⁾ Scythia regione explorata, cum pueris, et armentis ipsam patriam intraverunt permansuri. Regnum igitur ipsum, dum adissent, Alprosuros, ²⁾ qui nunc Pruteni nominantur, in eo habitantes invenerunt. Quibus deletis et expulsis, aut occisis, usque hodie ipsum regnum, invitis vicinis, possidere dinoscuntur.

¹⁾ Maiores nostros Oraculo Sagittarum, de quo Ezechiel. XXI. v. 21. sermo est: „Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens, commiscens sagittas; interrogavit idola, extra consuluit“ usos fuisse, disputavi in an. 1835 Tudományos Gyűjtemény Tom. X. p. 94—96. Hungari sane agros, prataque, quae inter se sorte dividunt, etiamnum Nyilasok vocant.

²⁾ Priscus Rhetor in Excerptis Legat. apud Bel in Adparat, Amaldsuros appellat.

Confusa Scythiae Descriptio.

Scythia enim regio in Europa, situm habet, et extenditur versus orientem: ab uno latere Ponto Aquilonari, ab alio vero Ripheis montibus includitur; ¹⁾ cui de oriente Asya, et de occidente fluvius Etul ²⁾ id est: Don. ³⁾ Gentes siquidem in eadem procreate ocia amplectuntur, vanitatibus dedite, nature dedignantis, actibus veneris intendentes; rapinas amant, generaliter colore plus nigre, quam albe. Scythia enim comprehensione una cingitur; sed in tria Regna dividitur principando, scilicet: in Bascardiam. ⁴⁾ Denciam, et Mogoriam. ⁵⁾ Habet quoque Provincias Centum et Octo, quae dudum per filios Hunor, et Magor, ob Centum et Octo progenies, quae egressae fuerant ex femoribus eorundem, de paludibus Meotidis intrantes Scythiam, sunt divise. ⁶⁾ Regno autem Scitico de oriente regnum iungitur Iurianorum, ⁷⁾ et post

hec Tarsia, ⁸⁾ tandem vero Mangalia, ⁹⁾ ubi et Europa terminatur. Ex plaga autem estivali subsolari gens iacet Corosmina, ¹⁰⁾ et Ethiopia, que Minor India dicitur. ¹¹⁾ Deinde inter meridiem et cursum Don fluvii, est desertum immeabile, ubi propter intemperiem aëris illius zone, sunt serpentes diversi generis, rane, ut porci, basiliscus, et plura animalia toxicata, tigris, et unicornis, ibi generantur. Don grandis fluvius est, in Scitia oritur, ac ab Hungaris Etul nuncupatur, et ibi montes niveos, qui Scitiam cingunt, transcurrit, amisso nemine, Don vocatur. Circa enim meridiem circa ipsum iacet gens Kytharonum, ¹²⁾ et gens Alanorum, tandem in Mare Rotundum ¹³⁾ cadit tribus ramusculis. Alter vero fluvius nomine Togata ¹⁴⁾ valde magnus, in regno nascitur Sciticorum, qui per silvas vadit desertas, paludes, et montes niveos, ubi sol nunquam lucet, discurrens, intrat tandem in Ircaniam, et ibi vergit in Mare Aquilonis. Longitudo quidem Scitie proprie trecentis et sexaginta Stadiis extendi perhibetur; latitudo centum et nonaginta. ¹⁵⁾ Situm enim habet tam munitum, quod in solo loco uno, parvissimo vadu, aditus illuc reperitur: propter hoc ipsi Scite, nulli imperio, nec etiam Macedonicis, aliquo tempore sunt subiecti. ¹⁶⁾ Et pro tanto, vocamus eos demptos, id est: exemptos ab omni potestate. Dicimus eos etiam demptos a dentositate; quia sicut dentes omnia corrodunt, et triturant: ita ipsi omnes alias nationes triturbabant. ¹⁷⁾ Unde Romani eos vocabant flagellum Dei. Solo tamen dicta Scitia in quibusdam locis satis leta esse dicitur, nemoribus, silvis, et herbis venustata, diversique generis bestiis dives et referta. Cui de oriente vicini sunt Bessi, et Cumani Albi. ¹⁸⁾ Circa etiam Mare Aquilonis de occidente, quod ei vicinatur, usque Susdaliā, ¹⁹⁾ est desertum silvestre, humano generi immeabile, quod ad magnum spatium extendi perhibetur, ubi nubium densitas per novem menses continue iacet, ubi sol non cernitur per menses memoratos, nisi in mense Iulio, Iunio, et Augusto; et id in tanta hora diei, quanta est a sexta usque ad nonam. In montibus enim deserti memorati cristallus invenitur, griphones

nidum parant, avesque legisfalk, que hungarice Kerecheth appellantur, pullos procreare dinoscuntur.

1) „Scythia autem in Orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, et ab altero montibus Riphæis, a tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem et latitudinem patet.“ — Iustin. Hist. Philipp. Lib. II. Cap. II.

2) Etul, Volga, seu Rha.

3) Don, Tanais. adde: iungitur.

4) Codex Ms. Bibl. insignis Collegiati Capituli Posoniensis in fol. Nro. 80 signatus: „Scitia enim comprehensione una cingitur, sed in tria Regna dividitur principando, scilicet in Woscardiam, Denciam et Mogoriam.“ Wilhelm. Rubruquis: „De illa regione Pascatir exierunt Huni, qui postea dicti sunt Hungari. Unde ipsa est Maior Bulgaria.“ — Abulfedæ Historia Anteiislamica. Lipsiae 1831. 4. p. 171. hodiernos Hungaros exerte Basch-Kerds nominat: „Basch-Kerdi magna gens, inquit, terris Alamannorum et Francorum interiecta.“

5) Cornides in Vindiciis Anonymi Belae Regis Notarii p. 255—256. post Godofridum Schwartz de Samuele Rege Hung. p. 42. Dentu-Mogeriam vocat Donensem Mogeriam, seu Hungariam a Don seu Thanai fluvio, vicinisque paludibus ad pontum usque late porrectum. — Georgius autem Dankovszky Hungaræ Gentis avitum cognomen, origo genuina, sedesque priscae p. 40. Dentu-Mogeriam, duce Constantino Porphyrogenita de administr. imp. cap. 38. Levediam esse docet, regionem quippe maribus Nigro et Caspio conclusam, et per Caucasum montem munitam. — De primis Hungarorum sedibus conf. etiam L. B. Iosephi Hammer-Purgstall Dissertationem Annalium Academiae Hung. Tom. III. Sect. II. p. 130 et seq. — Ad Eruditorum opiniones, notosque fontes provocasse suffecerit; non enim commentarios scribere, verum tumultuaria manu duntaxat notas spargere licuit.

6) De Hungarorum Generationibus lege Stephani Horvát „Magyar Ország gyökerekes régi Nemzetségeiről“ opus anno 1820 editum, ac Simonis Kezæ, Chronicon opera mea an. 1833 procusum.

7) Conradus Gesnerus Tigurinus in Mithridat. „Georgiani, velut a Turchis vocantur, Iuriani, non longe ab eo loco habitant, ubi Georgos collocant Geographi, iuxta Albanos.“

8) Tarsia, Tartaria.

9) Mangalia, Mongolia.

10) Corosminia, graecis Georgia, slavenis Iuria, trans mare Caspium.

11) Aethiopia, quae et Minor India dicitur. i. e. Armenia maior, Aethicus enim Tigridis fluvii, qui in Armenia maiore nasci-

tur, caput exerte in Aethiopia collocat: „Fluvius Tigris, inquit, etiam ipse de monte Caucasus quasi visitur, cum aestivis temporibus sub humo eum desuper Aethiopiam currere ex viriditate superni cespitis prodatur.“

¹²⁾ Bonfinio Dec. I. Lib. I. Gythones, seu Gothi, et „Polouci secundum latus septentrionale Euxini Maris commanentes ultra Paludes Maeotidis, quos alii Gothos appellant.“ — Ioan. Pistorii, Polonicae Hist. Corp. Tom. I. Iosuae Cap. I. 4. Chitthaei: „Vernaculo Hebraeorum idiomate Chuthaei vocati, Graecorum lingua Samaritae“ inquit Ios. Flavius Antiq. Iudaic. Lib. IX. Cap. 14.

¹³⁾ Don, Tanais ex Moeotica palude egressus, se mari Pontico immiscet. Herodot. Lib. IV. Cap. 57.

¹⁴⁾ Turotizio Chron. P. I. Cap. V. Togatha, Simoni de Keza, Togora, videtur Volga esse ab Attachiris, Tocharis ita dicta.

¹⁵⁾ Bonfin. Dec. I. Lib. I. „Scythia in partes duas a Tanai fluvio tota dividitur — altera Europica, Asiatica vero altera: ab occasu Germania, Vistulaque amne terminatur: a meridie Danubio, item Ponto, Hiberia, Albania et Perside: a solis exortu ad Araxem fluvium, et Seres usque protenditur. — Asiatica Scythia ab occidente Tanai, a meridie Corace Caucasoque monte, et sinu Caspio a septentrione, a solis exortu utroque Oceano terminatur.“

¹⁶⁾ Iustinus Hist. Philippicae Lib. XII. Cap. II. Alexander — Scythis bellum intulit; caesusque cum omnibus copiis, poenas temere illati belli, genti innoxiae luit.“ — Et Lib. XXXVII. Cap. II. „Itaque Scythas invictos antea, qui Sopyriona Alexandri Magni Ducem, cum triginta millibus armatorum deleverant; qui Cyrum Persarum regem, cum ducentis millibus trucidaverant; qui Philippum Macedonem regem fugaverant, ingenti felicitate perdomuit.“ Scytharum potentiae, inquit Thucydides, non modo gentes, quae sunt in Europa, aequari nequeunt, verum etiam earum, quae in Asia sunt, nulla gente genti opposita, Scythis universis, si concordet inter se fuerint, resistere valet.“

¹⁷⁾ Anonymi Belae Regis Notarii Dentu-Mogeri videntur hac in fabella latere.

¹⁸⁾ De Bessis seu Bissenis, item de Cumanis ceterisque Hungarorum maioribus, atque cognatis gentibus lege Doctissimi Stephani Horvát: Dissertationes in an. 1833. et 1834. Tudományos Gyűjtemény.

¹⁹⁾ Susdalia in Russico imperio ad Volgā, inter Rostov iam ab occasu, et Volodimiriam ab ortu.

Quando, quibusve Ducibus in Hungariam venerint.

In sexta igitur etate seculi, multiplicati sunt Huni in Scitia ut arena, que est in littore maris. Anno Domini CCC. vicesimo octavo ¹⁾ congregati in unum, inter se capitaneis constitutis, Bele filio Chele, de genere Zemyn oriundo, Keve, et Kadicha eiusdem fratribus, Atile, Keve, ²⁾ et Buda, filiis Bendekuz de genere Erd, occidentales regiones invadere decreverunt. De Centum enim et Octo tribubus, decies centena millia; scilicet de unoquoque genere decem millia armatorum virorum eligentes: aliis Hunis in Scitia derelictis, qui ipsorum sedes, regnumque ab hoste custodirent. Constituentes nichilominus inter se Rectorem unum, nomine Kadar, de genere Torda, qui lites sopiret dissidentium, fures et latrones, ac malefactores castigaret; ita tamen, ut si idem Rector immoderatam diffiniret sententiam, in irritum posset Communitas revocare, errantem Rectorem, et Capitaneos deponere, quando vellent. Consuetudo itaque ista legitima inter Hunos, sive Hungaros usque ad tempora Ducis Geyche, filii Toxun, extitit observata. ³⁾ Ante etenim baptismum Hungarorum, in Castris vox preconica clamando taliter Hunos congregabat ad Exercitum: „Vox Dei, et Communitatis universe, quod unus quisque in tali loco armatus, vel sicuti est, debeat precise comparere, Communitatis preceptum, ac consilium auditurus.“ Quicumque ergo edictum contempsisset, non valens pretendere rationem, cultro dividi per medium Lex Scitica sanxiebat, aut ire in desperatas causas, vel in communium servitium immisericorditer tradebatur. ⁴⁾ Vicia itaque, et huiusmodi excessus, unum Hunum ab aliis, fecerunt separari; alias autem, cum unus Pater, et una etiam Mater Hunos omnes generans procreaverit, quomodo unus nobilis, et alter ignobilis esse diceretur? nisi victus per hos casus criminis haberetur. Tunc omnes Capitanei simul, uno animo, unoque consilio egressi de Scitia, intrantes tandem Bessos, et Cumanos Albos, deinde Susdalos, Ruthenos, terramque Nigrorum Cumanorum intravere: abinde egressi usque ad Tysciam pervenerunt. Qua qui-

dem regione circumspecta, concorditer placuit omni cetui ulterius non incedere cum uxoribus et armentis; cum uxoribus enim, et bigis, et suis tabernaculis de natali solo descenderunt.

1) Hungari, Balamberis ducis auspicio Tanaim in Europam transiere, anno supra trecentessimum, quarto et septuagesimo. Qua de re, ac Atila id temporis nec quidem nato, lege Georgii Prai Annal. Veter. Hunnor. Avar. et Hungaror.

2) Simonis Kezae Chron. Lib. I. Cap. II. Reuwa.

3) His fere similia Anonymus Belae Regis Notarius Cap. VI. ut adeo Stirpi Arpadianae successio penes liberam electionem addicta, Duce Geysa imperante stabilita fuisse videatur; quemadmodum in Vita S. Stephani Regis de illo legitur: „convocatis pater suis hungarie primatibus, cum ordine sequenti, per communis consilium colloqui, filium suum Stephanum, post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum, a singulis sacramentum exegit. — Post obitum vero patris, Stephanus adhuc adolescens, favore principum et plebis, in patris solium laudabiliter provectus,“ in Vita S. Stephani Hung. Protoregis auctore Hartvico de Ortenburg Ratisbonensi Episcopo per me edita Budae an. 1836. in 8. p. 49—50.

4) Lege Simonis de Keza de Originibus et Gestis Hungarorum Lib. I. edit. Bud. 1833. p. 17 — 18.

Romanos rerum in Pannoniis dominos invadunt: ab his vincuntur, et vicissim vincunt.

Cunque eo tempore Pannoniam, Pamphiliam, Frigiam, Macedoniam, et Dalmaciam Tetrarcha Matrinus, natione Longobardus de Sabaria oriundus, gubernaret, armis bellicis informatus, audito, quod Huni super Tysciam resedissent, et de die in diem devastarent regnum eius, cum alumpnis regni sui ipsos aggredere formidans, ad Romanos nuncios suos destinavit, petens sibi auxilium commodari contra Hunos. Ex gratia etenim Romanorum in patriis memoratis imperabat. Romani vero eo tempore Detricum de Verona, natione Almanum, voluntarie super se regem prefecerant, quem petentes, ut Matrino subsidium importaret, illo autem animo gratanti annuente, egressus est cum exercitu Italico, Germanico, ac aliis mixtis gentibus partis occidentis. Pervenit tandem in Zaz-

halm, ¹⁾ ubi ipsi Longobardi ad Civitatem Potentianam ²⁾ fuerant congregati, ut tractarent cum Matrino consilium, utrum Hunos in eorum tabernaculis, in suo descensu, transmeando Danubium, vel in alio loco competenti invadere oporteret? In istis itaque consiliis, et tractatibus, Detrico, Matrinoque residentibus, Huni super utres, noctis in silentio, in Sicambria ³⁾ Danubium transfretantes, Matrini, et Detrici exercitum, quem civitas Potentiana capere non poterat, in campis commorantem crudeliter trucidarunt. Ex qua enim invasione Detricus acerbatus, exivit contra Hunos in campum Tarnokvelgy ⁴⁾ pugnaturus, qui commitendo prelium, Hunos fertur devicisse, cum suorum maximo interitu, et periculo. Ex Hunis vero, qui remanserunt, fugierunt ultra Tysciam. Ceciderunt autem illo die ex Hunis centum et viginti quinque millia, Kevaque Capitaneus interiit in ipso prelio inter illos deiectos. Ex Detrici vero, et Matrini exercitu, exceptis illis, qui in tentoriis suis in campis fuerant trucidati, ducenta et decem millia corruerunt. Videns autem Detricus tantam cedem accidisse sui populi in prelio, post congressum, altera die perrexit versus Tolnam ⁵⁾ civitatem, que tunc erat civitas Latinorum inter urbes Pannonie computata. Tolna civitas est in Austria, tres rastas distat a Vienna. ⁶⁾ Ut autem cognoverunt Huni retrocessisse suos adversarios, ad locum certaminis sunt reversi, et cadavera suorum sociorum, et Kevam Capitaneum, more Scitico, prope stratam, ubi statua solemnibus lapidea erecta est, decentissime subterrarunt, ⁷⁾ locumque illum, et partes illas Kevelháza ⁸⁾ vocaverunt. Experientes igitur in prelio precesso animositatem Romanorum, et armorum paraturam, resarcito exercitu, versus Tolnam civitatem, ubi se inimici eorum collegerunt, Huni perrexerunt. Contra quos Detricus cum Matrino in Cezmaur ⁹⁾ dicitur occurrisse, et a mane usque ad nonam preliantes, Romani sunt devicti. Ubi et Matrinus mortuus est: Detricus per sagittam in fronte vulneratus, totoque exercitu Romanorum interempto, ac fugato. Ex Hunis vero in illo prelio quadraginta millia perierunt. Bela, Cadicha, et Keve ¹⁰⁾

ibidem interfectis: quorum cadavera abinde removens, apud statuam memoratam sepulture tradiderunt. Postquam autem Romanorum exercitus de Cezmaur est dispersus, nunquam deinceps per plures annos contra Hunos congregari potuerunt.

1) Doctiss. Stephanus Horvát montes hos ad Érd sitos Szászhalom nominandos docet.

2) Potentiana seu Mogentiana urbs Schönwisnero in Hist. Sabor. Szala Eger-Szeg est. In Commentario autem in Romanorum iter per Pannoniae ripam L. I. p. 80. mansionem Matricam, Marteni forte patriam memorat, eamque agro Ercsiensi adscribit.

3) Sicambria hic pro Veteri Buda accipitur; de qua Ioannis Haugen Chronicon Lib. I. Cap. 1. „die Ungern (Atilani) die stat Sycambriam pawten.“ et Cap. 3. „Do nun Athila in die glori seiner königlichen werden erhaben — erwelet im Athila seinen sitzhoff zu halten in der benanten stat Sycambria, die er in Ungern zu pawen angefangen het.“

4) Tárnok-Völgy vallis paludosa hodie Comitatum Pilisiensem ab Albensi dividit, ubi et vicus Tárnok.

5) In aliis Codicibus Tulna, quemadmodum contextus quoque innuit.

6) Rasta, i. e. Milliare Germanicum. Gloss.

7) Herodotus Lib. IV. Cap. 71. „Humum certatim aggerunt, magnamque studium adhibent, ut tumulum erigant quam maximum.“ — et Wilhelm. Rubruquis: „Comani faciunt magnum tumulum super defunctum et erigunt ei statuam versa facie ad orientem, tenentem ciphum in manu sua ante umbelicum. Fabricant et divitibus Pyramides i. e. domunculas acutas etc.“

8) Forte, Türkevi in Cumania Maiori.

9) Hodie Zeiselmauer Inferioris Austriae oppidum, tribus supra Viennam milliaribus, in vicinia Tulnensis civitatis situm. Olim Cetii Murus, vel Cetia, Romanorum Colonia.

10) In Kezae Chronico Reva, Prisco Rhetori Roa, qui ante Atilam regnavit.

Devictis Romanis Atilam Regem eligunt.

Tunc Huni Atilam, filium Bendekuz, consuetudine Romanorum, super se regem prefecerunt, qui primo unus de Capitaneis habebatur. Et ipse Budam fratrem suum de flumine Tyscia, usque Don principem constituit ac Rectorem, vocarique se faciens Regem Hungarorum. Titulum siquidem suum tali sub forma scribi faciebat: Atila Dei

gratia filius Bendekuz, qui est nutritus in Engaddi, Nepos magni Nemroth, Rex Hungarorum, Medorum, et Gothorum, Metus Orbis terre, et flagellum Dei. ¹⁾

¹⁾ Hunos Balambere duce (a Balaam civitate Euthalitarum Hunnorum ita dicto) duce in Europas irrupisse: iam innuimus; huic, Iorande teste, successit Mundzuccus, domesticis scriptoribus Bendekuz, Atilae parens; hunc autem excepit Octar, et Rova, seu Réva; ab isto denique Atila regnavit. „Cum autem Rua mortuo, Unnorum regnum ad Attilam pervenisset,“ Priscus Rhetor. Causam vero, ob quam Atila se „Flagellum Dei“ nominarat, reddit Ioannes Haugen Chron. Lib. I. Cap. 5. et 6.

Atilae habitus, indoles, pugnandi ratio, tentoria et reliqua supellex domestica.

Erat enim Rex Atila colore teter, oculis furiosus, elatus incessu, pectore lato, barbam prolixam deferbat: venereus etiam erat ultra modum. In archa sua es tenere contemnebat, audacie quidem temperate, astutissimus in preliis ac sollicitus, fortitudinis competentis suo corpore habebatur, in voluntate magnanimus, armis politis, mundis tabernaculis, cultuque utebatur. Amabatur siquidem ab extranea natione, eo, quod esset liberalis et communis: ex natura vero serenitatem habebat, mirabiliter etiam a suis timebatur, linguarum ideoque diversarum nationes de finibus orbis terre ad eum confluebant, quibus liberaliter pro posse affluebat. Habebat enim decem millia currum falcatorum, diversas machinas, et omnia ingenia, ¹⁾ quibus castra, urbesque confringuntur, quae in suo exercitu secum ferebat. Tabernacula quidem variis modis diversorum regnorum habere consueverat operata: unum tamen habebat sic celebre, ac solemne, ut ex laminibus aureis mirifice coniunctim solidata, modo solvi, et nunc reconiungi ad tendentium staret voluntatem; columpne eius ex auro laborate, habentes iuncturas, opera ductilia, in medio vacuae, in suis iuncturis lapidibus pretiosis fabricate iungebantur. Sed et sua maristalla, ²⁾ dum pergeret ad exercitum, diversarum patriarum equis replebatur, quos quamvis visus esset habuisse, largiter tamen egentibus tribuebat: ita tamen, quod duos vix haberet

aliquando pro usu equitandi. Iste vero maristalle ex bisso et purpura habebant paraturam. Sed et regales selle ex auro fuerant et lapidibus pretiosis laborate. Mensa erat tota aurea, vasa etiam coquinarum aurea erant. Thalamus autem eius ex auro purissimo mirifice fabrefactus, secum in exercitu ferebatur. In huiusmodi igitur, et aliis huius mundi pompis Atila Rex Hunorum erat gloriosus. Expeditio vero sua, preter exteras nationes, decies centenis millibus virorum armatorum replebatur; ita quidem, ut si unum Sciticum decedere contigisset, continuo pro ipso alter ponebatur. Arma quidem gentis eius ex corio maxime, et metallis variis diversimode fuerant laborata: arcus habens et lanceas acutissimas, pariter et cultros accinctos in femore. Banerium quoque Regis Atilae, quod in suo scuto gestare consueverat, ³⁾ similitudinem Asturis in capite habebat cum corona. Quod signum Hungari, dum se regerent per Communitatem, usque tempora Ducis Geyche, filii Toxun, in exercitu semper communium gestavere.

¹⁾ Ingenium in Glossario aevi medii cetera inter significat instrumentum nauticum, trahendis navibus accommodatum. Apud nos Schwartnero, Introductio in Rem, Dipl. Hung. edit 1802, p. 225. Tormentum denotabat.

²⁾ Maristalla, Marestalla, Equile, stabulum equorum, Germanis, Marstall. Gloss.

³⁾ Banera, Baneria, Banerium, Bannearium, Vexillum, signum bellicum, ex Gallico Banniere. Gloss. verum hoc loco, ut res ipsa loquitur, scutum denotat. Simon de Keza „proprio scuto gestare consueverat — similitudinem avis — quae hungarice Turul dicitur, in capite cum corona.“

*Caesis ad Zeiselmaur Romanis, magnam Europae
partem depopulatur.*

Postquam autem commisso prelio in Cezmaur, rediissent Huni cum victoria ad sua tabernacula; diebus paucis ultra Tisciam cum uxoribus permanserunt. Et hoc facto Rex Atila ad Zeuuen ¹⁾ solemnem curiam fecit congregari. ²⁾ in quam Detricus de Verona cum principibus Germanie accedens, omnem homagionem et reverentiam

Regi Atile fecisse perhibetur. Suggestit itaque Regi ad partes occidentales personaliter accedere, ubi magnum honorem posset addipisci. Cuius quidem Huni amplectentes consilium, exercitu statim proclamato, egressi de Sincambria, primo Rex Atila, Illiricos dicitur invasisse: deinde Constantie Regnum pertransivit, ³⁾ cui Sigismundus Rex occurrit circa Basileam cum exercitu magno, quem cum gente tota conterens, suo dominio subingavit. ⁴⁾

1) In Kezae Chonico: Sceven, locus mihi ignotus.

2) Curiam congregare i. e. Conventum cogere. — Curiam habere dicebantur domini, qui facultate pollebant indicandi subditos suos in Curia (aula) sua; iudices autem ad dirimendas lites constituti, Comites Curiales (udvar bíró) audiebant; hodieque Aulæ Regiæ Index apud nos Index Curiae Regiæ appellatur.

3) Cum in exemplari „Constantie regnum“ legam, puto Rhenum pro Regno substituendum; Constantia enim sita est ad lacum Constant. ubi Rhenus ex eo effluit. Idem testatur Sidonius Carm. VII. ita canens:

„ — — cecidit cito secta bipenni
Hercinia in lintres, et Rhenum texuit alno,
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis,
In campos se Belga tuos.“

4) Intelligit Burgundiae Regem, sed dubito an rite; Prosper enim in Chronico Theodosii Iun. ad an. 435. Gundicarium Burgundionum regem memorat. Ceterum Atilae procursiones illustratas lege apud Georgium Prai Annal. Veter. Hunnor. Avar. et Hung. item apud Bel in Adparatu Iuvenci Caelii Atilam, nec non Excerpta ex Prisco Rhetore. Annales denique Melchioris Inchoffer.

Argentynam, aliasque urbes partim diruit, partim solo aequat.

A loco autem illo egressus, iuxta Renum, Argentynam civitatem obsedit, quam quidem Romanorum nullus Cesar potuit primitus expugnare, ipse Atila expugnavit, diruendo murum eius in diversis locis, ut cunctis advenientibus sine gravitate via libere preberetur, edicens firmissime, ne ipsius murus, ipso vivente, muraretur, ut eadem civitas non Argentina, sed Strosburg vocaretur propter viarum pluralitatem, quas in muro eius fecerat aperiri. Amoto igitur suo exercitu, de Argentina, Lu-

xonium, Bisantium, Chalón, Masticon, Ligonem, Burgundiam, et Lugdunum destrui fecit civitates usque terram. ¹⁾)

¹⁾ Luxovium Burgundiae oppidum. Bisantium Vesontio, vel Bisuntio. Chalón Cabillonium, seu Cabillonis. Masticon, Matisco, Matiscona, hodie Mascon. Ligonem, hodie Langres. Burgundia est nomen provinciae, quidam Burbonem, hodie Bourbon Lancy legendum putant. Lugdunum Gallis Lyon.

In Campis Catalaunicis praelium committit. A. C. 451.

Et egressus inde iuxta fluvium Rodanum pervenit Cathalannis, ibi diviso dicitur suo exercitu, videlicet terciam partem sue gentis contra Miramannionam Soldanum potentissimum ¹⁾ cum electis Capitaneis destinasse. Quo audito, idem de urbe Sibillie fugit ante Hunos in Marrochiam ²⁾ brachio maris, quod Strictum Sibillie dicitur, transpassato. Hoc facto, interea Regem Atilam, Romanorum Rex Patricius, dictus Eucius, cum decem Regibus occidentis invasit ex obrupto. ³⁾ Cunque insultum niteretur facere super Atilam, per nuncios petens inducias preliandi, ut copia sue gentis, que fuerat adversus Soldanum destinata, remearet. Illis renuentibus, inter ambos exercitus a mane usque ad noctem in campo, qui Bevind ⁴⁾ dicitur, praelium est commissum. Erat enim inter ambos exercitus fluvius discurrens tam parvissimus, ut si capillum quis in eum iactasset, suo lento motu potuisset vix inferius remove. Praelio autem iam facto, animalium et hominum sanguine inundando, tantus torrens fuisse perhibetur, ut aurigam cum curru intro traheret, ac armatos; fieretque mortalitas non modica per torrentem in utroque exercitu. Illud ergo prelium, quod commissum extitit inter Reges occidentis, et Atilam in campo Bevind Cathalannis, omnibus preliis huius mundi, que commissa sunt uno die et loco uno, terribiliora, et magis ardua per veteres non memorantur. ⁵⁾ In quo quidem conflictu Rex Gothorum maximus, nomine Aldaricus extitit interemptus, cuius quippe obitum, dum alii Reges cognovissent, qui occisi non fuerant, fuge late-

bras queritarunt. ⁶⁾ Ab illo ergo die elevatum est cor Hunorum, et Regis Atile, timorque eorum percussit orbem terre; quo audito, censu eis et tributo, plurima regna servierunt.

¹⁾ Ioannis Haugen Chronicon Lib. I. Cap. 5. „Soldan Miramon genant — der dissmahls ein herr Gallicie was.“

²⁾ Seu Seviliae, quae alias Hispalis dicitur: per Marochiam autem Mauritaniam intellige.

³⁾ Paulus Diaconus de Aetio: „Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Merovaeo, Saxones, Riparioli, Lambrones, Sarmatae, Armoritani, Liticiani, ac pene totius populi occidentis, quos omnes Aetius, ne impar Atilae occurreret, ad belli adsciverat societatem.“ — Iornandes his addit Ibriones et Celticas, Germanicasque nationes; Callimachus Britones.

⁴⁾ In aliis Codicibus legitur: Belinder, Belvider. Ioannis vero Haugen Chronicon Lib. I. Cap. 5. „baide heer in dem Cathalonischen veld (welches nach der leng zwey hundert, und nach der praitte sibenzig welisch meyl hat) zusammen kamen.“

⁵⁾ In Bibliotheca S. Marci Venetiis conservatur Codex MSC. seculi XII. N. 398. Armar. C. Th. IV. in cuius pagina 124. Praelium Atilae Catalaunicum describitur. Ita Clariss. olim Daniel Cornides in litteris Vienna 20. Junii 1769. ad Iosephum Benczur datis. Hanc vero pugnam non in Catalanis campis Tholosae proximis: verum Catalaunensibus in Campania sitis gestam fuisse, probat Bel in Aparat. Decad. I. Mon. III. p. 106 — 108. Liquet id etiam ex Ioannis Haugen Chron. Lib. I. Cap. 5. ubi hoc praelium variis traditionibus in vulgus non notis illustratum legeris.

⁶⁾ De Alarico, Romam circa an. 408. obsidente legito Epistolam S. Augustini 99. edit. Venet. 1729. in fol. p. 268. qui accepto a Romanis auro, recessit. De ista autem pugna Joannis Haugen Chronicon. Lib. I. Cap. 5.

Tertia Atilae exercitus pars in Hispaniis remanet.

Tertia vero pars exercitus Atile Regis, que non potuit in hoc prelio interesse, timens Atilam propter moram, usque vitam Atile remansit Cathalannis, eiusdem patrie habitatores tandem sunt effecti, Pannoniam nolentes remeare. Erant enim soli, qui adversus Miramamonam destinati, sexaginta quinque millia, excepta exterâ natione. Ex his etiam Hunis plures erant Capitanei

statuti, qui lingua eorum Spani vocabantur, ex quibus quidem nominibus Hispania tota nomen assumpsit. ¹⁾

¹⁾ Haec traditio non est contemnenda. Nec temere est, quod pro Hispania Chronographus Spaniam scribit; Bochartus enim Geogr. Sacr. Lib. I. Cap. 35. p. 699. testis est, in vetustissimis msc. exemplaribus Spaniam pro Hispania creberrime occurrere. — Stephanus autem Horvát Hispaniae nomen a Paeoniis, Pannoniis, seu Iazigibus dudum ante Atilanos Hungaros Hispaniam tenentibus adhaesisse docet.

Gallias, finitimasque Provincias vastat.

In loco siquidem prelii, diebus paucis Atila commorante, regressus est demum cum victoria, venitque in civitatem Tolosanam, in qua per cives cum summa laude est receptus. Abinde se removens, abiit contra Remensem civitatem, scilicet capitalem urbem Gallicorum, que ei, dum pergeret Cathalanniam, restiterat vehementer; quam occupans sine mora, omnes contra se restantes, quos ibi reperit, igne, et gladio devastavit. Taliterque tota Francia, et Flandria demolita, pervenit Coloniam, ubi Sanctam Ursulam Bractanorum Regis filiam, cum undecim Millibus Virginum, Hunorum feritas crudeliter iugulavit. ¹⁾ Deinde Reno ibidem Colonie transpassato, intravit Turingiam, ubi apud Isnacum ²⁾ civitatem et in ipsa, curia solemni celebrata, super Dacos, Norvanos, Frisones, Litvanos, et Brutenos exercitum destinavit, quos devictos sibi fecit deservire.

¹⁾ Hac de re Prai disputat in saepe citatis Annalibus, ac in Supplemento ad Annales, Confer etiam Desericii Attilam Tom. IV. Item Ioannis Haugen Chron. Lib. I. Cap. 6. et 7.

²⁾ Isnacum, hodie Isenacum culta Turingiae urbecula, ad Nessam annem, qui paulo infra a Verra excipitur, in Hassiae confluiis. —

In Pannonias redux, Budam fratrem occidit.

Egressus vero, curia celebrata, Sicambriam, Pannonie civitatem intravit, in qua propriis manibus Budam fratrem suum interfecit, ac corpus eius in Danubium proiecit; quoniam ipso Atila in partibus occidentalibus demo-

rante, ibidem Buda inter ipsum, et Atilam fratrem suum metas statutas, transgressus fuerat dominando. Nam Sicambriam suo nomine fecerat nominari Buda Vara. Et quamvis Rex Atila Hunis, ac aliis gentibus posuisset interdictum, ut eadem Civitas non Buda Vara, sed urbs Atile vocaretur; Teutonici interdictum formidantes, Ecilburg eam vocant, id est: Urbem Atile; Hungari vero interdictum non curantes, adhuc eam Ó Budam usque hodie vocant, et appellant. ¹⁾

¹⁾ De Atilae fratre Buda consulantur Georgius Prai, ac Innocentius Desericius: de Veteri autem Buda commentarius noster „Sz. kir. Buda és Pest Várasoknak volt régi állapotjokról.“ Pest 1833. in 8.

Ad quatuor Mundi partes Speculatores destinat.

His itaque sic peractis, quinque annis Sicambrie requievit, Speculatoribus suis per mundi quatuor partes destinatis, sive distributis. Speculatorum quidem prima societas de Sicambria ordinata, in quantum unus clamor potuisset ad alium exaudiri, die ac nocte Colonie Germanie stare consueverat: altera pars usque Litvam: ¹⁾ tertia in littore Don fluvii, id est: Etul; sed quarta statio Iadrie, Dalmacie civitate consistebat; quorum quidem clamore et voce, quid Atila ageret, vel quali exercitationi esset deditus. ²⁾ mundi quatuor partes scire potuissent.

¹⁾ Turótzii Chron. Lithvaniam habet.

²⁾ Speculator non modo vigilem ac excubias: verum etiam oculatum testem significat.

I n c i d e n t i a.

Multarum urbium Cives, crebris bellis afflicti, demigrant.

Pannonie, Pamphilie, Frigie, Macedonie, et Dalmacie civitates, que per Hunos obsidione crebra erant fatigate, natali solo derelicto, in Apuliam per Mare Adriaticum, licentia ab Atila impetrata, servire ipsi Atile renuentes, dimissis armentis, transierunt. Vlachis, qui

ipsorum coloni extitere ac pastores, remeantibus ¹⁾ sponte in Pannonia.

¹⁾ Legendum: remanentibus.

Atila infesta arma in Carinthiam, Styriam, atque Dalmatiam infert.

Cunque Rex Atila quinque annis in Sicambria repausasset, sui exercitus defectum, videlicet tercie partis, quæ dudum remanserat Cathalannis, resarcire procuravit. Curiaque celebrata, egressus de Pannonia, in Corinthiam, Stiriam, et Dalmatiam, occupatisque rebellibus, pertransivit tandem apud urbem Salonam, et Spoletum, Mari Adriatico se coniunxit, ambasque urbes fecit concremari.

Et Aquilejam obsidet.

Ab illo vero loco egressus, perrexit circa mare, Traguriam, Scardonam, Sibinicum, Iadriam, Novam, ¹⁾ Sceniam, Penciam ²⁾ Polam, Caputstriam, et Terestianam civitates, et alia multa oppida; in montibus discurrens pervenit tandem Aquilegiam, cuius quippe magnitudine inspecta, abhorruit, et se confusum reputans, si dictam urbem inexpugnatam reliquisset, pro eo maxime, quia plures rebelles Longobardi de Pannonia fugisse in ipsam ferebantur. Quos cum per nuncios a civibus repetisset, illosque tradere recusassent, expugnare cepit diversis machinis civitatem, quam cum capere nullatenus putuisset, obsedit eam uno anno et dimidio. Accidit autem die uno, ut ipsam civitatem circumiret, multis Phitonicis ³⁾ lateri eius adherentibus, in quibus, iuxta fidei sue opinionem, spem maximam ponebat; videns ciconiam de mari evolantem, et in pinnaculo unius palatii, in quo habebat nidum suum, resedissee, acceptoque in rostro suo pullo uno, in maris arundines illum deportavit. Reversa iterato, et alios pullos suos, simul cum nido, transportavit. Quo viso, Rex Atila suos milites ad se vocans, dicit eis: Cernite socii, quam ista ciconia futurorum factorum indicia notat, et urbem istam per nos sentit destruendam; ad fugam, ne pereat cum civibus, se communit: estote ergo in prelio, die crastina, fortiores; nam

videbitis civitatem ruituram. Tunc edicto proclamato, machinarum omni genere adhibito, cum non potuisset civitatem expugnare cum machinis, consilio Sciticorum tandem usus, sellam unam ⁴⁾ ex decies centenis millibus, de quolibet postulavit, fecitque ex sellis, iuxta muri circuitum, congeriem vehementem, et iussit incendi sellas ipsas, quarum flamma et ardore murus nimium se dissolvens, cum turribus in terram est prostratus. Quo viso, cives omnes in insulam maris fugierunt; quandam enim insulam maris, Aquilegie contiguam, decreverunt introire, eterno ibidem permansuri, que Vetus Venecia usque hodie nuncupatur. In qua quidem aliquandiu habitantes propter metum Regis Atilæ; ipsa insula derelicta, insulam, que Realta dicitur, intraverunt permansuri. Veneti quidem sunt Troiani, ut Cronica canit Veterum; post excidium enim Troie, Aquilegie permanserunt, quam et fundasse perhibentur. Veneti quidem non accipiunt originem de Sabaria, ⁵⁾ sed de Troia civitate opimatissima: nam Sabarie Latini, Longobardi videlicet inhabitabant, ubi erat Scola generalis, tam ipsis Longobardis, quam aliis gentibus orbis terre, Poëtarum, multisque Philosophorum dogmatibus luculenter illustrata, et variis erroribus Ydolorum mancipata. Quam quidam Rex Gothorum, nomine Archelaus, diu obsessam, capere non potuit; demum metus orbis expugnavit, cuius nempe incole per Hunos expulsi sunt, et nunc habitant Papie in Italia, iuxta fluvium Tycini. Destructa itaque civitate Aquilegie, Concordiam demum in Foro Iulii destruxit civitatem: abinde in Marchiam intrans Longobardie, Tervisium, Paduam, Veronam, Brixiam, Cremonam, Mantuam, Pergamum, Mediolanum, Alexandriam, et Ferrariam, aliasque plures urbes ipsius regionis suo dominio subiugavit.

¹⁾ Fide aliorum Chronicorum legendum: Nonam,

²⁾ Turóczi Chron. Potentiam,

³⁾ Pythone Spiritu afflati.

⁴⁾ Sella i. e. Ehippium: „Observatum iam pridem a viris eruditis, sellarum equestrium haud fieri mentionem apud veteres Scriptores, atque adeo esse nuperum inventum: ita, ut earum nulla

fere occurrat ante tempora Valentiniani Imperatoris memoria.“
Du Fresn. Gloss. Romanos ergo Huni sellae usum docuerunt.

5) De Sabaria lege Stephani Schönvisner „Antiqu. Sabarien.
Pest. 1791. in 4.“

Expugnata Aquileja, Ravennam properat.

Post hec Ravennam dum venisset, Arianorum Archipresul, qui in ipsa civitate contra sedem Apostolicam duodecim Cardinales fecerat elevari, sectam suam imitantes; habens thesaurum copiosum, civibus ignorantibus, in urbem Ravennam clam Hunos intromisit, filiosque baptis-
matis, qui in ipsa civitate erant, fecit iugulari; permit-
tens nichilominus Regi Atile, quod si secte sue adhe-
sit, fueritque Christianos persecutus, totam Italiam, et
Romanam civitatem cum Affrica; sine fatigatione sue gen-
tis, et expensis, sibi subiugaret. Cunque Atila libenter
annuisset, magis oblectatus amore dominii, quam secte
memorate; cognoscentes Romani periculum, quod inde
potuisset emergere Christianis, Leonem adeunt Apostoli-
cum ¹⁾ ut ad Atilam debeat dirigere gressus suos, petens
eum ex parte Romanorum, ut acciperet census, et servi-
cia, quamdiu viveret ipse Atila. Interea Rex Atila ad
Apuliam exercitum suum destinavit, constituens ipsi ex-
ercitui Capitaneum Zoard, ex tribu Zoard oriundum, qui
quidem Apuliam, Terram laboris, ²⁾ et Calabriam usque
Regionam civitatem, ³⁾ et Cathonam, ⁴⁾ quam sapiens
Cato fundasse dicitur, spoliavit, et cum summa preda
revertitur.

¹⁾ Summus olim Pontifex proprie Apostolicus vocabatur; qua
quidem appellatione scriptores aevi medii saepissime, ne dicam
semper Papam indignant.

²⁾ Terra di Lavoro, cuius metropolis est Neapolis.

³⁾ Rhegium in Calabria.

⁴⁾ Catanea in Sicilia.

Ubi S. Leo M. Pontifex ei occurrit.

Cunque Leo Papa cum Cleri multitudine, ac cruci-
bus Ravennam pervenisset ad Atilam, in campo, simul
in equis colloquium habuerunt; et dum Atila promissa,

censum, et verba Imperialis Maiestatis audivisset Romanorum, onerosa videbantur Regi Atile; admittere tamen decuit, ¹⁾ postulata Apostolici, ob timorem; nam cum idem Rex oculos superius levasset, vidit supra caput suum pendere hominem in aëre, habentem gladium versatilem in manu sua, qui ipsius caput, quasi stridentibus dentibus, truncare minabatur. Et sic Romanis admittendo postulata, ac Apostolico licentia data; Rex Ravennam est ingressus, in qua quidem Archipresulem Arianum ²⁾ fecerat captivari suis cum consecraneis, Pape imitatus consilium: et postquam exegisset ab eo sexaginta mille marcas auri, ipso iugulato, cum omni copia exercitus, frena retrovertit, Pannoniamque est ingressus. Dum ergo per meridiem, occidentem, aquilonem, atque orientem longe, lateque suum imperium extendisset; vertebat in animo suo transfretare, ut Egyptios, Assirios, Africamque subiugaret.

¹⁾ Forte legendum: debuit.

²⁾ „genant Iohannes.“ — Ioan. Haugen. Chron. Lib. I. Cap. 9.

Ex Italia redux nuptias cum Micolch celebrat, noctuque supinus iacens, repente extinguitur.

Tunc filiam Regis Bractanorum, nomine Micolch, ¹⁾ supra formam humanam pulchriorem sibi adducunt ad amandum; quam in tantum adamasse perhibetur, ut modum excesserat, sicuti moris ei erat in potando. Factoque fine coitus puella, usuque consummato, de naribus eius sanguis egrediens, supinoque dormienti cruor per os in guttur intravit, ubi sanguis coagulatus, tractum impediens anhelitus, Atilam interemit. ²⁾ Micolch vero de somno excitata, cum suum Dominum motu celeri tetigisset, et ille se movere non potuisset, notans corpus frigidatum et privatum calore naturali, cubicularios regios, eiulatu magno ad se vocans, et Dominum suum eis demonstrans, universe carnis viam introisse; qui sane clamore terribili perstrepando, universos vigiles ad hostia palatii, eorum eiulatu fecerunt cursitare. Sepelierunt denique eum cum Bele, Cadicha, et Keve, aliisque Capitaneis Hunorum,

in loco superius memorato. ³⁾ Divulgato igitur eius obitu, obstupuit totus mundus, et utrum inimici eius lugerent, an gauderent, hesitabant, filiorum multitudinem formidantes, qui quasi populi, vix poterant numerari; timebant enim, aliquem, post obitum patris, ex filiis regnaturum. ⁴⁾

¹⁾ Kezæe Chronicon aequè Bractanorum habet; Plinius Hist. Nat. Lib. III. Bractiam Illyrici insulam memorat: Atila ergo Micolcham, quam Olabus Mykoltham; Ritius Muzotham appellant, in Italiam profectus, aut inde redux, sibi desponsare poterat. Non est igitur, cur eam a Bactris ex Asia in Europam cum Praio traducamus. Ioannes autem Haugen Chron. Lib. I. Cap. 10. de Italia Atile expeditione, hæc memoriae prodidit: „Nun was er noch nit an den grentzen Pannonie und Hungern, do kam zu im der kemerling Honorie der schwester des kaisers Valentiniani, welche derselbig kaiser bey sich verwaret hielt, und was des Kemerlings werbung, das könig Athila die von dem kaiser zu einem gemahel begeren solte. Do er aber aus Italia komen was, sendet er ein Legation zu dem kaiser, und liess durch dieselbig bothschafft begern, das er im sein schwester mit sampt dem halben Römischen reich, zu einem gemahel geb, oder er wölt sich wider omb wenden, und das Occidentisch reich noch einest verbrennen. Er het auch solchs gethon, wo er lenger gelebt het.“

²⁾ Auctor Chronici Alexandrini, qui usque ad Heraclii tempora scripsit inclusive, hæc consignavit: „Atila sanguine ex naribus prorumpente extinctus est, noctuque cum pellice Hunna, quæ puella de nece eius suspecta fuit, dormiens in tabernaculum delatus est.“ edit Monach. an. 1624. p. 737. et Chronicon Dubnitzense: „Mortuus est autem Atila post ingressum Hungarorum in Pannoniam anno LXXII. ab incarnatione autem domini anno quadringentesimo quadragesimo quinto, tempore Imperatoris Marciani II. et Papæ Gelasii I. Nocte autem illa, qua Atila mortuus est in Sicambria, vidit Marcianus Imperator in somnis arcum Atilæ fractum, ex hoc intelligens ipsum esse mortuum, qui tunc Constantinopoli morabatur.“ Conf. etiam Turótzii Chron. P. I. Cap. XXII.

³⁾ Keve ducem in Cumania Maiori cognomine loco sepultum fuisse, coniectura haud improbabili asseveravi.

⁴⁾ Polygamiam apud veteres Scythas licitam fuisse, ex Prisco Rhetore discimus; Atila itaque plures filios habuerit, qui per liberam electionem successerunt; ius hoc postea sub Geysa duce, Religionem Christianam amplectente, ad primogenitum translatum esse videtur.

Ab eius morte Regnum filiorum ambitu distrahitur.

Detrici vero, ac aliorum Principum Almanie, astutia, quibus Rex Atila imperando in collo residebat, Hunorum impartita Communitas in partes diversas est divisa, ita quidem, ut quidam Chabam Regis Atile filium, ex Grecorum Imperatoris, seu Honorii filia procreatum: ¹⁾ alii vero Aladarium ex Germanie Principissa, seu Domina Crimiheldina procreatum ²⁾ in Regem post Atilam sibi preficere nitebantur. Sanior vero pars Hunorum, dum Chabe adhesisset, Detricus autem, et extera natio cum paucis Hunis Aladario; et sic ambo regnare ceperunt: cunque alter alteri preferre moliretur, Detrici astutia, qui illo tempore Sicambrie Aladario adherebat, inter ambos Reges tam durum prelium ac forte est commissum, ut per quindecim dies continuos ita Danubium germanico sanguine inundavit, quod si Teutonici occisionem, que per Hunos facta est, diebus memoratis, ob odium non celarent, profecto possent confiteri, quod a Sicambria usque Potentianam, nec homines, nec bruta animalia de Danubio aquam puram bibere potuissent. Istud est prelium, quod Hungari Crimiheld prelium vocant usque in diem istum. ³⁾ In his itaque preliis semper Chaba, et Huni victoriam hahuerunt: postmodum vero Detricus de Verona per traditamentum ⁴⁾ Chabam fecit superari; devicerat enim Chaba primitus fratrem suum: sed tandem ultimo est devictus, ut vix quindecim millia ex parte Chabe remanerent; aliis Hunis, et filiis Atile totaliter deletis et occisis. Mortuo itaque Atila, tam filii sui, quam Huni inter se sunt necati.

¹⁾ Honorium, Theodosii Magni ex Flacilla filium ab anno 395. occidenti imperasse, et an. 423. obiisse historia testatur.

²⁾ Chriemhild, alias Hildich, Iornandi ex Prisco Rhetore Ildicon, Sidonio, et Callimacho Hildicon. Plura de ea lege sis apud Augustum Zeune, in Libro cui Titulus „Das Nibelungenlied.“ Berlin 1815.

³⁾ Scriptores tres duntaxat Atilae filios memorant: Ellacum, Dengizichium, ac Irnachum. Ellac in praelio, quod cum Ardarico Gepidarum rege habuit, caesus est; cui successit Dengizichius; Irnachum autem Tillemontius apud Praium Martiano imperatori se

cum suis dedidisse scribit, qui indubie Chaba est; constant sibi ergo patrii codices: domesticae iccirco traditiones non sunt contemnendae. Caeterum ea Budae regio, quae supra S. Gerardi montem in planitiem se se explicat, in priscis regum tabulis Krenfeld appellatur, cui hoc nomen a „Chriemhilda“ adhaeserit.

4) Traditamentum. i. e. proditio.

Csaba Atilae filius, conserto praelio, victus, in Scythiam trans Tanaim recedit.

Devictus itaque Chaba, idem, et germani sui, filii Regis Atilae, qui ei astiterant, numero sexaginta, cum quindecim millibus Hunorum, ad Honorium avum suum fugisse perhibentur. ¹⁾ Et quamvis Honorius Imperator Grecorum, incolam Graeciae cum facere voluisset, illo renuente permanere, paternam sedem, videlicet Scythiam moraturus repetivit; manserat namque Chaba in Graecia cum Honorio annis tredecim: sed rediit in Scythiam anno uno, propter viarum discrimina, et difficultatem passagiorum. ²⁾ Hic autem in Scythia, dum venit, uxorem ex ea non duxit, sed de Corosmenia ³⁾ traduxit de consilio Bendekuz avi sui, quem sanum, sed nimis decrepitum dicitur invenisse. ⁴⁾ Ex ista quidem uxore sua genuit Edemen, et Ed. Hic igitur Chaba suo ammonitu redire fecit Scythicos iterum in Pannoniam. ⁵⁾ Remanserunt autem ex Hunis virorum tria millia, qui per fuge interfugium erepti de prelio Crimiheldino, in campum Chigladmezei ⁶⁾ se colligere procurarunt. Et cum timerent occidentis nationes, ne eos invaderent ex obrupto, ad Erdeel intraverunt, non se Hungaros, sed Siculos alio nomine vocaverunt; isti enim Siculi Hunorum sunt residui, usque ad alium Hungarorum adventum, in campo prefato commorantes: dum enim Hungaros iterato in Pannoniam redire cognovissent, in Rutheniam eis occurrerunt, conquestantes ⁷⁾ simul Pannoniae regionem, ubi tandem in eadem sorte permanserunt: iidem namque Siculi Chabam in Graecia periisse putaverunt. Unde vulgus adhuc loquitur in proverbio: „tunc redire debeas, quando Chaba de Graecia revertitur.“ Ex isto etiam Chaba, filio legitimo Regis Atilae

procreati sunt filii Edemen, et Ed: quorum Edemen in secundo reditu Hungarorum in Pannoniam per se cum maxima multitudine, ex cognatione patris et matris sue, introivit. ⁸⁾ Ed autem remansit in patria, seu in Scitia. Ex isto etiam Chaba Abe generatio verissime est exorta. ⁹⁾ Exterminata itaque multitudine filiorum Regis Atile, tandem Pannonia remansit sine rege decem annis, Vlachis, Grecis advenis, Messianis ¹⁰⁾ Teutonicis, Sclavis exulibus remanentibus tantummodo in Pannonia, qui Atile serviebant.

¹⁾ Loco Honorii, Martianum esse intelligendum, quem per matrem habuit cognatum, paulo ante monui.

²⁾ Passagium: i. e. iter, via, et iter institutum; hinc transpassare, ultra progredi.

³⁾ Georgia nempe Caucasia.

⁴⁾ Forte huius nominis atavum; Bendekuz enim Atilae parens in Europa decessit.

⁵⁾ Nimirum per traditionem; altera enim in Pannonias migratio post natum Christum anno 884. contigit.

⁶⁾ Csígládmezei quidam hodiernum Czegléd (Csígléd Cségled) Provinciae Pestiensis oppidum interpretantur: verum contextus docet, hunc campum in Transsilvania quaerendum esse, quemadmodum etiam Simon de Keza innuit: „Zaculi (Zeculi) Pannonia conquestata, partem in ea sunt adepti, non tamen in plano Pannoniae, sed cum Blackis in montibus confinii sortem habuerunt.“ — Zecul enim, seu Székely confinium custodem significat.

⁷⁾ Conquestrare, conquestare: bello et armis acquirere.

⁸⁾ Nomen Edemen referre videtur Edelény oppidum in Provincia Borsodiensi.

⁹⁾ De genere Aba hodieque florent Somosii, Berthótii, Rhédei pluresque alii.

¹⁰⁾ Chronicon Posoniense: Marhianis.

Finis Europaei Hunorum imperii.

Surrexit post hec quidam princeps Svetibolug, ¹⁾ Morothi filius ²⁾ in Polonia, ³⁾ cepitque nichilominus et in Pannonia dominari. ⁴⁾ Hunc quidem primo Hungari de Erdeel, et de flumine Ungh, muneribus variis expollantes, practando ⁵⁾ diversis sermonibus; denique irruptione subita, in quodam oppido, circa Pontem Bani ⁶⁾ iuxta Tatam, cuius oppidi adhuc patet interruptio, cum

tota militia deleverunt, ⁷⁾ et sic populis ⁸⁾ memoratis, quos Morothi filius dilatando adauxerat, incepterunt dominari. Regnavit autem Atila annis XLIII. Ducatum tenuit annis V. vixit autem centum et viginti quinque annis. ⁹⁾

¹⁾ Sveti-Bolug Moravorum Princeps : de quo Ioannes Haugen Chron. Lib. II. Cap. 15. „Zwatapolug, so des geschlechts Athile gewesen, vnd von seinem sun Aladarius herkommen.“

²⁾ Moroth dux Bihoriensis ; eius nepos Anonymo Belae Regis Notario Mén-Morót appellatur Cap. XI. „quod plures habebat amicas.“ Ceterum, Morót Hungaris Moravum denotaf.

³⁾ Poloniam, in qua pariter Slavicae originis gentes habitant, accipit pro Moravia Magna, Sveti-Bolugi ditione. Chronicon Poseniense : „Moroti filius de Polonia cepit in Pannonia dominari.“

⁴⁾ Sveti-Bolug rerum potiri coepit an. 870.

⁵⁾ Practare, practicare, seu tractare.

⁶⁾ Pons-Báni, hodie Bán-Hida in Comaromiensi Provincia.

⁷⁾ Quod anno Christi 900 accidisse, colligitur ex his Luitprandi Lib. II. Cap. I. verbis : „Primo mortis huius (Arnulphi) natique eius (Ludovici) ordinationis anno, Hungari permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant, Bajoariorum etiam fines occupant, castra diruunt, Ecclesias consumunt, populos ingulant.“ Arnulphum Imp. an. 899. VI. Idus Decembris obiisse, docet lamina in eius tumba 1671. reperta. Vide Librum, cui Titulus : „Bericht von denen, welche in dem Fürstlichen Reichs Gottes Hauss S. Emmerami aufbehalten werden. Regensp. 1761. in 4.“ p. 91.

⁸⁾ Chronicon Poseniense : „Et sic populis Pannonie memoratis.“

⁹⁾ Atila imperii fascies anno 434. suscepit, anno autem 454. desiit, annos natus 41. confer. Georgii Prai Annales Veter. Hunnorum, Avar, et Hung.



Incipit Prologus
Secunde Partis Cronice
H u n g a r o r u m.

Digestis igitur Hunorum natalibus, preliis felicibus et sinistris, quotiensque eorum Loca immutaverunt? videndum nunc est: quo tempore in Pannoniam redierunt iterato, quique redeuntium fuerunt Capitanei, quantus quisque numerus armatorum in exercitu fuit? apponere in presenti opusculo dignum duxi.

H e c

Secunda Pars Cronice

e s t

**De secundo Ingressu Hungarorum in Pannoni-
am: et de Vita et Morte Regum eorundem
in dicto Regno hic inde successorum.**

Ducum, Regumque Hungariae Genealogia.

Porro Eleud, filius Ugek, ex filia Ennodbilia ¹⁾ in Mogor ²⁾ genuit filium, qui nominatur Almus ab eventu, quia matri eius in somnio innotuerat avis, quasi in forma Asturis veniens, dum esset gravida, et quasi de utero eius egrederetur torrens, ac in terra non sua multiplicaretur; ideoque fatatum fuit ³⁾ quod de lumbis eius Gloriosi Reges propagarentur. Quia vero somnium in lingua nostra dicitur Alm, et illius ortus per somnium fuit pronosticatus, ⁴⁾ ideo ipse vocatus est Almus, ⁵⁾ qui fuit Eleud, qui fuit Ugek, qui fuit Ed, qui fuit Chaba, qui fuit Atile, qui fuit Bendekuz, qui fuit Turda, qui fuit Scemeyn, qui fuit Ethei, qui fuit Opus, qui fuit Cadicha, qui fuit Berend, qui fuit Zulta, qui fuit Bulchu, qui fuit Bolug, qui fuit Zambur, qui fuit Zamur, qui fuit Leel, qui fuit Levente, qui fuit Kulche, qui fuit Ompud, qui fuit Miske,

qui fuit Mike, qui fuit Beztur, qui fuit Budli, qui fuit Chanad, qui fuit Buken, qui fuit Bodofart, qui fuit Farkas, qui fuit Othmar, qui fuit Cadar, qui fuit Beler, qui fuit Kear, qui fuit Keve, qui fuit Keled, qui fuit Dama, qui fuit Bor, qui fuit Hunor, qui fuit Nemroth, qui fuit Thana, qui fuit Japhet, qui fuit Noë. Almus autem genuit Arpad, Arpad genuit Zoltan, Zoltan genuit Toxun. ⁶⁾

¹⁾ Nemo hic Thygaterogamiam, seu impiam, suas ipsorum filias ducendi licentiam ethnicis Hungaris imputet; Ennodbilia enim nomen proprium viri est. „Ugek, inquit Anonymus Belae Regis Notarius. Cap. III. — duxit sibi uxorem in Dentumoger, filiam Eunedubeliani ducis, nomine Emesu, de qua genuit filium, qui agnominatus est Almus.“

²⁾ Mogoria, Magyaria, Hungaria, Georgia, Iuharia etc, ut iam memini.

³⁾ Fatatum ex fatare, i. e. Fato destinare.

⁴⁾ Pronosticatus, prognosticatus, ex prognosticare, praesagire, praedicere.

⁵⁾ Plurima huius nominis apud nos loca in priscis Regum tabulis leguntur, quae nostra aetate Almás appellantur. „Scythae, ut maiorum nomina servarent, quas aedificarunt urbes, ab eis nominare voluerunt, plurimos vicos, partim ab his Ungarorum ducibus, qui in Scythia prodeuntes, utrasque Danubii ripas occuparunt, nomen assumpsere.“ Bonfin Dec. I. Lib. I.

⁶⁾ Genealogia hic interrupta continuatur in historia S. Stephani Proto Regis „Toxun genuit Geycham, et Michaëlem, Michaël vero genuit Calvum Ladizlaun, et Vazul, Geycha vero — genuit Sanctum Stephanum.“

Hungari rursus Pannonias repetunt.

Imperante igitur Ottone Cesare, de Svevia oriundo, in Italia, et Germania: in Francia Iotarii ¹⁾ Regis filio Lodovico, ac Antonio Duro, filio Theodori, Anno Octingentesimo Octvagesimo Octavo ab incarnatione Ihesu Christi, vulgaliter Magyari, sive Humi, latine vero Hungari, denuo ingressi sunt Pannoniam, transeuntes enim regna Bessenorum, Alborum Cunanorum, Susdaliarum, et civitatem Kyo nominatam. ²⁾ Deinde transcenderunt Alpes in quandam provinciam, ubi viderunt aquilas innumerabiles, et ibi propter aquilas illas manere non potuerunt; quia de arboribus tanquam muscae descendebant aquile, et consum-

mebant devorando pecora eorum, et equos; volebat enim Deus, ut citius descenderent in Hungariam. Exinde montes transcendent, per tres menses tandem deveniunt in confinium Regni Hungarie, scilicet in Erdeel, invitis gentibus memoratis; ibique, terreis castris septem preparatis pro uxoribus et rebus suis conservandis, aliquamdiu permanserunt. Qua propter Teutonici partem illam, ab illo die Siebenburg, id est: Septem Castra vocaverunt. Cumque in eisdem Castris permanerent, irruptionem circumquaque iacentium dominorum formidantes, deliberato communi consilio, septem Capitaneos inter se prefecerunt, et in septem exercitus sunt divisi, ita, ut unus quisque exercitus unum haberet Capitaneum sine ³⁾ Centurionibus, et Decanis ⁴⁾ consveto modo positivis; unus namque exercitus habebat triginta millia virorum armatorum, sine Centum viris. Ex Centum itaque, et Octo Tribubus, in secundo egressu de Scitia, ducenta et tria millia virorum armatorum sunt egressi, familiarum numero non apposito. ⁵⁾

¹⁾ Lege: Lotharii.

²⁾ Kiowia urbs Sarmatiae ad Borysthenem fluvium.

³⁾ Sine, praeter.

⁴⁾ Decani, qui decem praesunt militibus. Minores Iudices, qui per Decanias ius dicebant, aequae Decani nominabantur.

⁵⁾ Familiarum voce indicantur servi, famuli.

Electo Arpado, qui toti Genti praeesset.

Fuerat autem ex istis Capitaneis ditior et potentior Arpad filius Almi, filii Eleud, filii Ugek. Huius autem pater Almus in patria Erdeel occisus est, non enim potuit Pannoniam introire. In Erdeel igitur cum quieverunt, et pecora sua recreaverunt, audientes terre utilitatem de inhabitatoribus, et quod optimus fluvius esset Danubius, terraque melior in mundo non esset partibus illis, accepto communi consilio, miserunt nuncium nomine Kusid, filium Kund, ut iret, et totam terram conspiceret. Cumque ergo Kusid venisset in medium Hungarie, et circa partes Danubii descendisset, vidit locum amenum, ac circumquaque terram bonam, et fertilem, fluvium bonum, ac pratosum, placuit ei. Deinde venit ad ducem provincie,

qui regnabat post Atilam, vocatum Sveti-Bolug, ¹⁾ salutavitque eum de suis, et causam, pro qua venerat, manifestavit. Hec audiens Sveti-Bolug, gavisus est gaudio magno; putabat enim illos esse rusticos, ²⁾ ut venirent, et terram eius colerent, propter hoc nuncium delicatum remisit. Kusid autem de aqua Danubii lagenam implens, et herbam periarum ³⁾ ponens in utrem, et de terra nigri sabuli accipiens, ad suos reversus est. Cumque narrasset omnia, que audierat, et viderat, valde placuit eis, et lagenam aque, terram, et herbam eis presentavit: de quibus ipsi sapiendo, ⁴⁾ bene cognoverunt, quod terra optima sit, et aquam habeat dulcem, et pratum cum herbis similibus, quo modo nuncius eis recitavit. Arpad vero cum suis de aqua Danubii cornu implens, et ante omnes Hungaros super illud cornu omnipotentis Dei clementiam rogavit, ut Dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis his verbis, omnes Hungari clamaverunt: Deus! Deus! Deus! tribus vicibus, et ibi inventus est usus iste, et servatur apud Hungaros usque modo. ⁵⁾ Deinde communi consilio ad predictum Ducem eundem nuncium remiserunt, et ei equum album et magnum, cum sella deaurata auro arabie, et freno deaurato miserunt pro terra sua. ⁶⁾ Quo viso, dux ipse magis gavisus, putabat, quod ei pro terra quadam hospitalari ⁷⁾ misissent. Nuncius autem impetravit ibi a duce terram, herbam, et aquam. Dux vero subridens ait: habeant, quantumcunque volunt pro hoc munere. Et sic nuncius ad suos reversus est.

¹⁾ Posenii residentem: „a' régi Beszprém várba, az az: Breiscburgba, vagy is Posonvárba, inquit Stephanus Horvát in Rajzolatok p. 50. §. 79. tsak itt lehetett elmenetelkor a' meg indulás előtt Duna vízével a' palatzkokat meg tölteni, és nem a' mái Beszprémben.“

²⁾ Rusticos, i. e. Agricolas.

³⁾ Herba periarum, beriarum, seu campestris; Beria enim aevi medii scriptoribus Locum planum, campestrem significat.

⁴⁾ Sapere, gustare.

⁵⁾ Haec ergo ad veterem Hungarorum religionem spectant; priscis temporibus herbae, ac telluris traditio investiturae symbolum erat.

6) Hinc liquet, ab Hungaris albos equos fuisse ad sacrificia adhibitos; nam hic quoque actus ad maiorum nostrorum religionem referri debet, ut ex Anonymi Belae Regis Notarii Cap. XVI. constat: „In eodem loco, more paganismo, occiso equo pinguiissimo, magnum Aldumas (sacrum epulum) fecerunt.“

7) Hospitalaris terra, seu censualis,

*Easque, velut aritas sedes, sibi armis vindicant,
subiguntque.*

Arpad autem interim cum Septem Ducibus Pannoniam intravit, non enim sicut hospites: sed sicut terram iure hereditario possidentes. Tunc nuncium alium ad Ducem miserunt, et ei hanc legationem mandaverunt: Arpad cum suis tibi dicit, quod super ista terra, quam a te emerunt, diutius nullo modo stes; quia terram tuam cum equo emerunt, herbam cum freno, aquam cum sella: et tu propter Emphiteosim, id est: inopiam et cupiditatem, terram, herbam, et aquam concessisti. 1) Cumque Duçi dicta esset legatio, subridens dixit: equum illum malleo ligneo interficiant, frenum autem in pratum proiciant, sellam autem deauratam in aquam Danubii abiiciant. Cui nuncius: Et inde Domine, quid damni habebunt? si equum interficies, canibus suis victualia dabis: si frenum in herbam proicies, homines sui, qui fenum falcant, aurum freni invenient: si vero sellam in Danubium abiicis, piscatores illius aurum selle super littus exponent, atque domi reportabunt. Si ergo terram, herbam, et aquam habent, totum habent. Dux ergo ille hiis auditis, exercitum cito congregavit, timens Hungaros, et auxilium ab amicis impetravit, et omnibus coadunatis, obviam illis venit. Illi autem interdum prope Danubium pervenerunt, et in campo pulcerrimo, summo diluculo, pugnam inierunt. Fuit autem auxilium Domini cum Hungaris, a quorum facie Dux sepe dictus se in fugam convertit, persecutique sunt eum Hungari usque Danubium, et ibi pre timore in Danubium se iactavit, in quo pre aquarum vehementia suffocatur. 2) Retradidit autem Dominus Hungaris Pannoniam, sicut tradiderat filiis Israël,

tempore Moysi, Seon regem Amorreorum, et Ogh regem Basan, et omnia regna Chanaan in hereditatem.

1) Herbam dare, porrigere, veteres dicebant alia omnino notione; de qua Festus: „Herbam do, cum ait Plautus, significat, victum me fateor, quod est antiquae et pastoralis vitae indicium; nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, cum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant.“ — Equi porro albi, olim triumphantium fuere. Terra denique dominium significabat. Non est igitur haec narratio ex aliis historiis male consarcinata fabula.

2) Nihil coaevi Scriptores de Sveti-Bolugo, Danubii undis hausto, quem Annalistae Metensis et Fuldensis naturali morte an. 804, decessisse; Cosmas Pragensis Lib. IV. et Dubravius nemine conscio, montem Zobor petiisse; vitam cum tribus eremicultoribus austeram egisse; nec, nisi paullo prius, quam ex hac vita demigraret, quis esset, sociis aperuisse, perhibent. Verum haec non videntur tanti, ut patriis annalibus derogare possent.

*Arpad primus Capitaneus in Partibus Albae-Regiae
considet.*

Dum ergo Capitaneus iste Arpad uteretur speciali quadam in Scitia dignitate, et hanc haberet ipsius generatio consuetudinem, Scitica legitima et probata, ut unus in expeditione gradientibus debeat anteire: in redeundo vero retrocedere; ipse pro eo alios Capitaneos fertur precessisse Pannoniam adeuntes. Eoque Arpad, Sveti-Bolug cum ceteris Hungaris, ut superius dictum est, debellato et occiso, Castra fixit in Monte Noë prope Albam, et ille locus est primus, quem sibi elegit in Panonnia: unde et Civitas Alba per Sanctum Regem Stephanum, qui de ipso processit, fundata est ibi prope. ¹⁾

¹⁾ Sunt, qui Albam Regiam longe vetustiore, et iam Romanis notam fuisse velint, Stephanus Schönvisner in Hist. Sabar. Romanorum Florianam mallet, nisi mensurae obstarent, huic civitati tribuere, tum ob loci huius celebritatem et antiquitatem, tum quia plura isthuc Romanorum monumenta reperiuntur. Verum situs urbis humili planitie positus, ac paludibus olim limosis Ingovány, et Sós Tó circumdatus is est, quo maiores nostri aedificare solebant. Videtur ergo Hungaricae originis, ac per Albos Cumanos, a quibus et nomen Albae habet, condita esse. Haec porro, quam Codex tenet, traditio Regum quoque tabulis mirum

quantum firmatur; Bela enim IV. Rex in Albensium civium privilegiis an. 1237. confirmatis memoriae prodidit, ea a S. Stephano fuisse ipsis civibus data. Conf. an. 1825. Tudományos Gyűjtemény Tom. II. p. 49. antiquissimarum praeterea Hungariae urbium privilegia ad Albensium Libertates, velut normam provocant; omnium ergo prima, et Regni Metropolis fuit: de hac urbis praerogativa idem Bela in an. 1254. diplomate: „Circa Albensem Ecclesiam intenti, nec immerito, utpote, ubi Solium Regni, et Corona conservatur; et ubi Reges Hungariae Sacro Consecrationis munere perunguntur; ubi nostrorum etiam Antecessorum Sacra Corpora requiescunt.“ — Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. II. p. 231. — Meminisse oportet etiam Hungariae, atque Transsilvaniae Locorum, quae ab Arpado denominationem mutuarunt, ut sunt: Arpád, Árpás. etc.

Alter Szabolts in cognomine Comitatu sedes figit.

Zaboley vero alius Capitaneus, unde Chaak oritur generatio, descendisse dicitur in ipso campo et loco, ubi Chaak-Vara nunc iacet desolata. ¹⁾ Illud etenim castrum Zaboley fundavit Capitaneus, quod postmodum Chaak, ipso mortuo, suo nomine a suis cognatis, atque familia iussit appellari, primo quidem Zaboley dicebatur. Illud etiam castrum temporibus Andree, Bele, et Levente, filiorum Zaar Ladizlai, per commune consilium Hungarorum est confractum.

¹⁾ In Szaboltsensi Provincia, quae etiam ab illo nomen accepit. Csák-Tornya in Szaladiensí Comitatu sita, ac paludibus aequae cincta seculo XIII erecta esse perhibetur. Simon de Keza: „Ab isto Zobole (Szabolts) generatio Chak esse habet.“ — De Cunis, Zavolch compellatis adi an. 1834. Tudományos Gyűjtemény Tom. V. p. 83. et Bocharti Geographiam Sacram col. 199.

Tertius Gyula Transsilvania potitur.

Tertius vero Capitaneus Gyula fuit, unde Gyula filius Ladislai derivatur. Eratque iste Gyula Dux magnus et potens, qui civitatem Albam in Erdeel in venatione sua invenerat, quae iam a pridem a Romanis constructa fuerat; ¹⁾ habebatque filiam pulcherrimam nomine Zarolth, de cuius pulchritudine Duces provinciales diutius loquebantur, quam Geysa Dux, consilio et auxilio Beliud, qui terram Kulan possederat, transduxit in uxorem legitimam. Isti Beliud, Kulan dedit

filiam suam, ut contra fratrem suum Kean debellaret, et post obitum suum terram suam, idem Kulan, ²⁾ Beliud hereditavit. ³⁾ Tandem, cum Gyula Hungaris in Pannonia habitantibus infestus esset, et multipliciter aggravatus, per Sanctum Stephanum Regem in Pannoniam est deductus; non tamen iste Gyula Capitaneus, sed ab illo tertius.

¹⁾ Hec Urbs iam tempore Romanorum floruisse creditur; postea a Gyula Duce, Gyula Fejérvár, Alba Iulia, iam vero Alba Carolina dicta, ut hoc diploma docet „Carolus Sextus etc. Illustres etc. Relatum nobis est, fidelem nostrum, nobis dilectum, Supremum in haereditario Transsylvaniae Principatu armorum nostrorum Praefectum, Equitumque Magistrum, Stephanum Comitem a Steinvillle, primum, uti vocant, lapidem, in Fortalitio, hactenus germanice Weissenburg, et latino idiomate Alba Iulia dicto, quarta elapsi mensis Novembris, in ipso S. Caroli Boromaei Festo, solita adhibita solennitate, posuisse, huicque Urbi, pro solido Provinciae tutamine crescenti, germanice Carlsburg, et latine Carolinae nomen imposuisse; quod nos publicum veluti devotionis et obsequii documentum, grato accipientes animo, benigne resolvimus: ut haec Urbs et Fortalitium, imposterum in omnibus actis publicis et privatis, tam scribendo, quam loquendo, germanice Carlsburg, latine vero Carolina, seu populari magis, et more, eo locorum frequentius usitato, Carliopolis perpetuo vocetur; id quod, ut per totam Provinciam innotescat, mox et de facto publicari, et tam per Vos, quam alios cuiuslibet status et conditionis subditos nostros observari volumus, et iubemus. Caeterum gratia nostra Caesareo Regia vobis propensi manemus. Datum Viennae die 23. Decembris Anno 1715. Regnorum vero nostrorum Romani quinto. Hispaniae 13. Hung. et Bohemiae etiam 5.

Carolus m. p.

Ioannes Iosephus de Kászón. m. p.

Ad mandatum etc.

Samuel Alvinczi. m. p.

Kaprinai MSC. B. 4. Tomo XX. pag. 277. manu sua: „Hoc diploma exscriptum est ex Libro Regio Cancellariae Aulico Transsylvanicae die 12. Aug. 1764. Eo die, quo annos quinquaginta complevi: Natus 1714. sub horam quartam postmeridianam Patre Francisco, Matre Clara Kulcsár Érsek-Ujvarini.“

²⁾ Legendum: Eiusdem Kulan.

³⁾ Kulan frater ducis Bulgarorum Kean, de quo in historia S. Stephani adhuc recurret sermo.

Quartus Kund Oras Szathmarienses occupat.

Quarti siquidem Capitanei vocabulum fuerat Kund, cuius filii Kusid, et Cupa prope Nyir fixere sua castra, ¹⁾ ibique post baptismum Monasterium fundavere. ²⁾

¹⁾ Simon de Keza in Append. „Quinti vero exercitus Cund est dictus Capitaneus. Hic circa Nyr habitavit, huius filii Cusid, et Cupian sunt vocati.“ — In Szathmariensi Provincia, ubi Praedidium Koppán-Telke, nomen Kupán filii Kund referre videtur. Conf. Cornidesii Vindicias Anonymi. p. 231. et sequ.

²⁾ Ordini quippe S. Benedicti sacrum, aequè apud Szathmarienses quaerendum; nemini, quod sciam, hactenus memoratum, ac ideo nec de nomine notum.

Quintus Lél Partes Nitrienses subigit.

Sed quintus Leel est nominatus, qui Messarios, ¹⁾ scilicet Bohemicos, de partibus Golgothe ²⁾ expulit, ibique diutius castra metatus fuisse perhibetur. Ex isto quidem Zouard oritur generatio, sive prosapia et origo.

¹⁾ In aliis Codicibus: Messiani; per Messianos autem Moesianos accipiendos esse, docet Daniel Cornides in Anonymi Vindiciis p. 277—278.

²⁾ Hodie Galgotzium ad Vagum adiacet in Provincia Nitriensi. Conf. Danielis Cornides Lib. cit. p. 275—278.

Sextus Vér-Bults circa Lacum Balaton dominatur.

Sextus Capitaneus Berbulchu ¹⁾ nomen habuit, qui circa Balatun sua tabernacula fixisse probatur. ²⁾

¹⁾ Vérbults tantundem sonat, ac sangvinarium Bultsum, adi laudati Cornidensii Vindicias p. 232—234.

²⁾ Balaton stagnat inter Comitatus, hinc Szaladiensem, et Veszprimiensem; illinc Simigiensem: longus milliaria 12. latus 2. passim et sesqui.

Septimus Örs Borsodiensem Provinciam sibi deligit.

Septimus Capitaneus Urs dicitur; istius siquidem generatio circa Seo locum habebat. ¹⁾

¹⁾ Adeoque in Borsodiensi Comitatu; Sajó enim fluvius apud Gömörienses ortus per Borsodiensem Provinciam labitur, ac in Tibiscum properat.

*Aliae Hungarorum Generationes istis haud inferiores,
Pannonias pro lubitu inter se partiuntur.*

Alie vero Generationes, que Genere sunt pares istis et consimiles, acceperunt sibi Loca et Descensum, ¹⁾ ad eorum beneplacitum. Cum igitur Codices quidam contineant, quod isti Capitanei Septem Pannoniam introierint, et Hungaria ex ipsis solis edita sit et plantata. Unde ergo venit Generatio Akus, Bor, Abe, aliorumque Nobilium Hungarorum? cum omnes isti non hospites, ²⁾ sed de Scitia descenderunt. Assignant enim hanc rationem solam, quam vulgus dicit Septem Hungaros ³⁾ Si ergo Septem soli sunt Hungari cum familia, et non plures familie, uxores, filii et filie accipi possunt servi et ancille. Nunquid enim cum tali familia regna possunt expugnari? Absit. ⁴⁾

¹⁾ Loca eis inhabitata, hodieque veneranda illorum Hungaris nomina referunt, quae ex ordine recensere paginarum angustiae prohibent.

²⁾ Hospites, i. e. advenae.

³⁾ Septem Hungari, Anonymi Belae Regis Notarii, Hetu-Moger i. e. Hét Magyar, seu Septem Gentes, Palocii nempe, Magyari, Jászi, Kuni, Váli, Székelyii, et Úzi. Posteriore igitur aevo Chronicorum compilatores non rite Septem Hungaros pro Septem Ducibus acceperunt.

⁴⁾ Chronicon Poseniense: „Constat itaque non tantum Septem Capitaneos, Pannoniam conquestrasse: sed etiam alios Nobiles, qui de Scitia descenderunt, qui sunt: Ugud, Ed, Chaba, Torda, Kadicha, Werend (Berend) Wilchu (Bulchu) Zumbur, Leventha, Om-pud, Mika, Chanad, Wunken (Buken) Othmar, Kewy, Kelad.“

Septem Hungari, quod in praelio ad Isnacum in Saxonia commisso gloriosam mortem oppetere nollent, ut propudiosi in servitutem redacti.

Accidit autem temporibus Toxun, Hungarorum exercitum versus Galliam pro accipiendis spoliis ascendisse. Qui cum in reditu, Reno transmeato, divisi forent in tres partes, due sine honore, una cum honore in Hungariam descendebat; quam Dux Saxonie apud Isnacum civitatem,

sine ¹⁾ Septem Hungaris, omnino interfecit. ²⁾ Septem autem ex ipsis reservatis; amputantis auribus, misit in Pan-
noniam; Ite: inquit, ad vestros Hungaros taliter enar-
rantes, ut amplius non veniant in locum hunc tormento-
rum. Due vero partes iam Sveviam introierant; audito,
ut acciderat eorum sociis et cognatis, dimiserunt spolia
accipere in Svevia, et quidquid eis occurrit a flumine Illi-
rici ³⁾ usque ad flumen Saar sive Saytah ⁴⁾ occiderunt
ab homine usque ad pecus. Hungaris autem Septem sine
auribus pro eo, ut vivi redierunt et se occidi cum sociis
non elegerunt, Communitas talem sententiam dedisse
perhibetur: omnia, que habuerunt, amisserunt tam in
re stabili, quam mobili, ab uxoribus et pueris illos se-
perantes, pedites sine calceis, propriumque nil habere
permiserunt, semper etiam in simul de tabernaculo in
tabernaculum mendicatum, usque dum viverent, ire com-
pulerunt. ⁵⁾ Qui quidem Septem ob offensam huiusmodi
Hét Magiar et Gyák sunt vocati. ⁶⁾ De istis itaque sic
damnatis vulgus dicit, non de Septem istis Primis. ⁷⁾

¹⁾ Sine, praeter.

²⁾ Melius est enim in libertate mori, quam in servitute vi-
vere; eapropter nonnemo de maioribus nostris „Gens in praelio
aut vincere sveta, aut e vestigio mori.“ Desericus hanc excu-
sionem ad an. 960. figit: Katona e converso Hist. Ducum p. 464—
469. Eam cladem Hungaris ad Augustam fuisse illatam coniicit;
mihi Desericii rationes praeplacent.

³⁾ Illirici fluvius, seu Iller in Svevia.

⁴⁾ Saar, seu Sare; corrigendus ergo Turotzius, qui Chron.
P. II. Cap. IX. flumen Saar sive Leytha habet. Sarra, Saravus
apud Salmonam oppidum Lotharingiae oriens, demum circa et citra
Augustam Trevirorum in Mosellam influit; Lotharingiamque a
Germania dividit.

⁵⁾ De his Seculi XV. Chron. apud Prai Dissert in Annales
Vet. Hunnor. Avar et Hung. p. 240: „Qui quidem Septem ob of-
fensam huiusmodi Mogorick sunt vocati — — qui Zent-Lazar us-
que modo Zegun nuncupantur. Et he sic vocate, quod S. Rex Ste-
phanus omnes illicite procedentes corripbat, istorum generatio-
nes vidit per domos, et tabernas cantando ad ipsorum Sectas (so-
cietates) et trussas (trusatores, iocastas ire) voluit edoceri; qui per
singula, qualiter eorum patribus per Communitatem acciderat, enar-
rarunt. Sed beatus Stephanus considerans, quod sine capite, et

principe, nemo bonus extitit, ideo eis commisit, ut ad subiectionem aversorum (poenitentium) Sancti Lazari de Strigonia subdere se teneantur; et ideo vocari Zent-Lázár Ziginy constat.“ Et Chronicon Dubnitzense: „Qui quidem septem, ob offensam huiusmodi, Lazari sunt vocati, vel sic: qui quidem septem, ob offensam huiusmodi Hetmagiar et Gyak sunt vocati.“

6) Per Ironiam. Gyák autem fama notatum, despectum et contemptum hominem significat.

7) Haec quidem minus recte ad Septem primos Capitaneos referuntur, ut iam alias monui.

*Septem Hungarorum Duces, populo ut placerent,
strenue fortiterque facta rhythmicis carminibus
vulgare commisi.*

Preterea, cum sit quodammodo proprium mundanorum arrogantie, plausum plus de se assumere, quam ex alienis de se ipsis componere; ideoque isti Capitanei Septem, cantilenas de se ipsis componentes, fecerunt inter se decantari ob plausum secularem, et divulgationem sui nominis, ut quasi eorum posteritas hiis auditis, inter vicinos et amicos iactare arrogantia se valerent. ¹⁾ Constat ergo et manifestum est ex hoc, non solum Septem Capitaneos Pannoniam conquestrasse: sed etiam alios Nobiles quam plures, simul cum illis de Scitia descendisse; unde in ipsis Capitaneis venerari potest nomen dignitatis plus aliis et potentie: Nobilitatis vero equaliter.

¹⁾ Has fabellas egregie refutat Anonymus Belae Regis Notarius Cap. VI. ubi ceteras inter conditiones haec quoque legitur: „Quidquid boni per labores eorum (Hungarorum) acquirere possent, nemo eorum expers fieret.“ Sed horum quoque Chronicorum Compiler superius narravit: „Alias Generationes loca sibi et descensum accepisse ad eorum beneplacitum.“ Quae igitur hoc loco referuntur, posterioris aevi foetus sunt.

Convenarum in Hungaria origines.

Cum ergo quidam sint Hospites, isto tempore Nobilitate pares Hungaris, inquirendum est: quare istud esse habuit, undeque processit? cum Hungari in numero valido ad implendam Pannoniam suffecissent. Geysa nam-

que Dux inter alios, divino premonitus oraculo, convertere cepit Hungarorum Gentem ad Fidem Christinam, et dum monitu illos convertere non posset paganismis ritibus deditos et intentos, oportebat quosdam armis edomare. Ad quod autem faciendum; quia plures fuere Fidei repugnantes, quam quippe adherentes, necessarium habuit desiderium suum divulgare Regibus, et Principibus Christianis. Quo audito, huius desiderio non solum iuvamen transmiserunt: sed etiam personaliter adierunt, quibus fuerat Hungarorum crudelitas nociva plurimum, ac exosa.

*Deodatus Comes Sancti Severini de Apulia primus
inter Convenas.*

Introivit ergo primo Deodatus de Comitibus S. Severini de Apulia, qui fundator extitit monasterii de Tata et parator. ¹⁾ Iste etiam cum S. Adalberto Episcopo Pragensi, Sanctum Regem Stephanum baptisavit. ²⁾ Cuius quidem monasterii nomen pro eo Tata appellatur, quia, cum Beatus Rex Stephanus ipsius nomen ob reverentiam, non exprimeret, sed eum Tata appellaret, abolitum est nomen Deodati, sed Tata extitit vocitatus; ³⁾ unde etiam ipsius monasterium taliter est vocatum. Huius quidem generatio in Pannonia non habetur; quia quamvis uxorem habuisset, tamen sine heredibus finivit vitam suam.

¹⁾ Erat id monasterium Ordinis S. Benedicti iam pridem extinctum.

²⁾ Strigonii, ubi natus erat. Conf. Vitam S. Stephani Bud. 1836. in 8. p. 47.

³⁾ Hac de re Bela IV. Rex in an. 1263. diplomate: „Prefatus Rex Sanctus Stephanus dictam villam (Tatam in Comaromensi Provincia) ob reverentiam et memoriam dicti Comitum Deodati et testamenti facti per ipsum, Tatam nominavit; quod pater spiritualis interpretatur vulgariter.“ Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 103—105. In his partibus proles parentes suos hodieque Tata vocitant.

Postea Volfger, et Hederic Comites de Houmburg.

Post hec de Almania Volphgerus, cum fratre suo Hederico de Comitibus Houmburch ortus, cum trecentis

tis dextrariis faleratis ¹⁾ introivit, cui Dux Geycha montem Kiscen pro descensu eterno contulisse comprobatur, ubi castrum ligneum edificavit, fecitque in eodem monte cenobium, ubi est tumulatus. ²⁾ De istis deinde Hederici generatio derivatur. ³⁾

¹⁾ Dextrarii, dextrales, Equi maiores et cataphracti; Dextrarii porro dicebantur, quod dextra ducerentur, donec adesset tempus praelii.

²⁾ Güssing, Német Újvár in Castriferrei Provincia. Abbatiae O. S. B. fundationales anno 1157. per Wolferum de Gissing editas lege: Cod. Diplom. Tom. II. p. 144 — 146. et Caroli Wagner Collect. Geneal. Dec. I. p. 75. et p. 132.

³⁾ Dicti Hedervarii; homonymum castrum in Insula Citnorum habebant. Kaprinai Hist. Diplom. P. II. p. 248. Konthios, atque Pálfiyos ab his descendisse scribit.

Vencellinus Bavarus de Weisenburg.

Descendit quoque de Bavaria Vencellinus videlicet de Veyzenburch, qui cum Sancto Rege Stephano in Simigio Cupan Ducem interfecit; Capitaneus enim exercitus extitit illo die. Ex istis Ják nascitur principium et origo. ¹⁾

¹⁾ Doctiss. Stephanus Horvát Magyar Ország gyökeres régi Nemzetségeiről p. 75 — 76. — „A' Nitzki Ág tőle származik. — Úgy hallottam, hogy a' Mélt. Sztáray Grófok is e' Nemzetségből származnak.“ Conf. etiam illius Dissert. de Vencellino in an. 1834. Tudom. Gyűjt. Tom. IV. p. 77 — 80.

Hunt, et Paznan fratres ex Sveria.

Adierunt etiam hiis diebus Hunt, et Paznan, ¹⁾ qui Sanctum Regem Stephanum in flumine Garany, gladio, Teutonico more, accinxerunt. ²⁾ Istorum namque generatio ab eisdem nominibus distare non videtur. ³⁾ Istorum itaque Comitum Dux Geycha fretus auxilio, et Sanctus Rex Stephanus suus filius, et divino potius; quosdam rebelles armorum terroribus, nonnullos voluntarie converterunt ad baptismum. Quos quidem Comites tam Dux Geycha, quam filius suus latis et amplis hereditatibus, pro ipsorum servitio ditavere, prout apparet

nunc manifeste; qui quidem temporis in processu Hungaris per contractus matrimoniorum sunt immixti. Istorum etiam consilio et auxilio, super Hungaros Rex est constitutus. Pluresque Nobiles Hungari Duci Kupan adherentes, baptismum, fidemque respuentes, ad turpia servitia sunt detrusi; ille namque in gerendis⁴⁾ iudicatus erat nobilior, qui fidei Christi citius adhesisset.

1) Simon de Keza „duo fratres carnales coridati (loricati) orti de Svevia.“ Ex hac generatione sati sunt Comites de Bozin et de S. Georgio. Wagner Collect. Geneal. Dec. II. p. 48. et Sequ. item Comites Forgach de Ghymes.

2) Antiquus erat hic mos creandi Equites. Conf. Struvium in Corp. Iur. publ. Germ. edit. 1738. in 4. p. 435.

3) Hunt Provinciae Hontensi nomen mutuavit: Poseniensis autem a Paznano denominata est; antiquis Posen, Poznan dicta: germanicum Presburg e Bretislavi (Beszprem) nomine detortum habet, Kusid legatus Hungarorum hic adiit Sveti-Bolugum. E florentissima Paznani familia ortus est nunquam sine ingenti laude nominandus Petrus condam Pázmány Archi Episcopus Strigoniensis, et S. R. E. Cardinalis, Universitatis Hungaricae Fundator, cuius biographiam anno 1836. ex originalibus potissimum documentis edidi.

4) Subaudi: rebus.

Ernestus a legatione, qua fungebatur, Poth seu nuncius dictus.

Poth vero generatio, unde Conradus de Altinburg derivatur, temporibus Regis Salomonis, filii Andree venit in Pannoniam. Hic Hernistus est vocatus; sed propterea Poth fuit appellatus, quia internuncius erat inter Imperatorem Conradum, et Andream, et Salomonem Reges; Poth enim Teutonice, latine nuncius sonat. 1)

1) Simon de Keza: Pot de Lebyn, ab huius nominis loco in Provincia Mosoniensi sito, qui primus Familiae descensus fuit, ubi anno 1209. celebrem Ordini S. Benedicti Abbatiam honori S. Iacobi dicatam construxit, iam dudum abolitam.

Becse et Gregorius natione Galli.

Gerse autem 1) et Gregorii generatio de Francia est, ex consanguinitate Guillermi dicti Corves.

1) Simon de Keza „Becse vero, et Gregorii de Francia generatio oritur.“ et Poseniense Chronicon: „Weecs (Becse) autem,

et Gregorii generatio de Francia est.“ A' Bétsi XIV. századi képes Krónikában Schwandtnernál SS. Rer. Hung. Tom. I. p. 88. Cap. 15. a' Merse, és a' Budai Krónikában is a' Gerse nevek hibás olvasások Becse helyett,“ inquit landatus Steph. Horvát libro citato. Plurima Hungariae Loca Becse appellata eius nomen referunt, Conf. an. 1834. Tudom. Gyűjt. Tom. XII. p. 101 — 103.

Kikinus, et Renoldus Hispani.

Kyquini quidem, et Rynaldi origo est de Hispania, cum Regina Margaretha ¹⁾ coniuge Bele Regis, filii Zaar Ladizlai ²⁾ Pannoniam adeuntes; hic enim Bela primo uxorem de Polonia habuit. ³⁾

¹⁾ Erat haec Margarita magnorum sanguis regum, Philippi, Galliae Regis soror, quam Henricus II. Angliae rex cognomini filio despondit an. 1158. Postquam eius maritus anno 1183. decessisset, ac eodem fere tempore Bela III. quoque coniugem Annam amisisset; hic viduus, eam viduam connubio sibi iunxit.

²⁾ Bela I. fuit Zaar Ladislai natus: hic autem Bela III. Gey-sam II. Regem habuit patrem.

³⁾ Bela nempe I. Richsam Mieceslai, et Richsae, Poloniae Ducum filiam.

Guth et Keled de Hohenstauffen, Sveri.

De Generatione autem Guth Keled plura enarrantur; sed pro certo per Petrum Regem, dum idem fugit ad Henricum Cesarem, ¹⁾ in adiutorium ei sunt adducti de Castro Stoph, sunt exorti de Svevia, ²⁾ unde Imperator Fridericus ³⁾ ortum habet; ista enim generatio de primatibus Svevie extitit procreata: pauperes enim sunt hereditatibus, sed probi et valentes sunt in patria memorata. Istius siquidem Guth Keled generatio temporibus Salomonis Regis, Ladizlai, et Geyche Ducum extitit exaltata; nam tunc ipsa generatio in duas partes divisa fuit: quidam Ducibus adherentes, quidam vero Salomoni, et specialiter Vid, quem Salomon exaltasse perhibetur super alios de generatione predicta.

¹⁾ Huius nominis tertium.

²⁾ Stoph, Stauffen, vel Hohenstauffen.

³⁾ Fridericus Comes ab Hohenstauffen, Henrici IV. Militiae Praefectus, a quo post mortem Rudolphi Reinfeldensis, Dux Sve-

viae creatus est. Báthorii huius generationis progenies sunt. Wagner Collect. Geneal. Dec. I. p. 27. nec non illi de Kis Wárda, Dec. II. p. 71. atque Buthkaii. Dec. III. p. 8.

Oliverius, et Ratoldus Apulei.

Generationem Ratoldi de Apulia exivisse, nullus debet dubitare; de cognatione Comitum Castrie ¹⁾ Oliverius Ratoldus oriundi, per Regem Colomannum filium Geyche Regis, qui Dalmaticos subiugavit, in Pannonia collocantur. ²⁾

¹⁾ Simon de Keza: „Post hoc intrat Oliverius et Ratoldus tempore Regis Kolomanni, de Regno Apulorum, de Caserta ortum habent.“ Caserta in regno Neapolitano. Conf. an. 1833. Tudom. Gyűjt. Tom. IV. p. 85 — 87. Ratoldus originem dedit familiae Lórántfi de Serke. Wagner in Dec. IV. p. 72.

²⁾ Venerunt cum Busilla Rogerii Siciliae Comitum, et Deliciae antiqua Normanorum Comitum stirpe ortae filia, Colomanni Hungariae Regis prima coniuge.

Hermanus Norimbergensis.

Hermani etiam generatio cum Regina Keyzla introivit, liberi homines sunt de Nurnberg, hereditatibus pauperes. ¹⁾

¹⁾ Cibinii in Transsilvania, Germanis, Hermanstadt conditor. Quae autem hic memoratur Gysela, coniux S. Stephani erat, Henrici S. Imperatoris soror; de qua Andreas II. Rex in Szatmár Nemetiensium privilegio anno 1230. edito: „Hospitibus Teutonicis de Zattmar Nemethi iuxta fluvium Zamos residentibus, qui se dicebant in fide Dominae Reginae Keyslae (Ex Bavaria) ad Hungariam convenisse.“

Buzad Comes Saxo.

De Generatione quidem Buzad est dicendum; huius enim generatio per Regem Stephanum filium Secundi Bele, in Hungariam adducitur in adiutorium Regis memorati. Ex Comitibus enim de Orlemund sunt; ¹⁾ primus enim, qui venit, Hadolth est vocatus, cuius filius similiter Hadolth, et Arnoldus; ex istis origo procedit Buzad Bani; hic enim Hadolth cum exprimi non potuit, paraloisando ²⁾ Hodolth ³⁾ dicitur. Generatio quidem

Chaak cum aliis quibusdam generationibus conspiraverat contra istum Regem, quas per Hodolth, et suam miliciam, quam cum ipso adduxerat, dicitur contrivisse.

1) Simon de Keza: „Buzad autem generatio de Mesn originem trahit, Nobiles de districtu Vurburg.“ Wartburg prope Ise-nacum; Orlamunda autem ad fluvium Orla, ubi in Salam cadit in Saxonia.

2) Paraloyzare pro Paralogizare „Qui virtutes vocabulorum ignorant, de facili paraloy santur, i. e. decipiuntur.“ Gloss.

3) Turótz: „Hic enim Hadolth exprimi non potuit; sed paraloyisando, Hoholt dicitur.“ Ceterum Hadolt idem fuerit, quod Hiodulphus, qui teste aevi medii Calendario per Zinkernagel edito 8. Junii colebatur. Generationis nomen perennat in Abbatia Hahót, quae olim in Szaladiensi Provincia florebat; cuius Historiam leges in an. 1818. Tudományos Gyűjtemény Tom. VII. p. 3. et sequ. Originem dedit familiae Bánfiorum de Alsó Lindva. Wagner Collect. Geneal. Illustr. Hung. Familiar. Dec. I. p. 9. et sequ.

Stephanus, Ladislaus, et Gregorius de Keled Saxones.

Stephani, Ladizlai, et Gregorii, filiorum Keled pro-sapia de provincia Mysne ortum habet. Stephanus enim filius fuit Mysnensis Marchionis, filii Comitis de Herford, qui occiso Turingie Lantgravio in Frankfordia in solenni curia, ubi Imperator eligi debuit per eum, ac per alios; dum reoccidendi sententia per Alemanie principes contra ipsum lata esset, diebus Geyche Regis, filii Secundi Bele, descendit in Pannoniam cum dexterariis faleratis LX. et a Rege predicto receptus solenniter, optime et latis possessionibus investitur, prout patet in ipso, in Mysnensis regionis proscriptionis penam incurrente. 1)

1) Simon de Keza: „Temporibus insuper Stephani Regis tertii intravit in Hungariam quidam miles Gottfridus nominatus, de Mesnensi regione, a quo egreditur generatio Philippi, Ladislai, et Gregorii filiorum Kelad.“

Babotsaii de Tanberg Srevi.

Eorum vero, qui dicuntur de Babocha, de Samberg, 1) descenderunt in Pannoniam.

1) Legendum: Tanberg in Svevia. De hac generatione Simon de Keza: „ad Ducem Geicham venit Comes Tiboldus de

Fanberg“ (Tanberg) qui Gravu Tibold est vocatus. Unde de eadem progenie Gravu quidam hodie usque simpliciter nominantur. Ex isto illi de Bobocha orti derivantur; isti enim sunt von Deuchunlant.“ — et Henr. Muglen: „und des grafen sun von helfenstein Bebetha (Babotsa) und Bamburg, das geschlecht kam gen pannonia“ Helfenstein eque in Vestphalia.

Simon, et Michaël Hispani.

Simonis enim, et fratris eius Michaëlis generatio Mortundorf nominantur. ¹⁾ Temporibus Andree Regis, filii Bele tercii descendit de Hispania. ²⁾ Castra quidem plura habet in Hispania illa generatio, ex quibus unum, quod melius est, Boyoth. ³⁾ Huius quidem Simonis avus, dum cum Rege Aragonum annis pluribus contendisset, tandem per eundem Regem captivatus, in carcerem traditur. Quod Simon Comes, et Bertramus formidantes, cum secunda uxore prefati Regis Andree, que fuerat de Campania, ⁴⁾ in Hungariam intraverunt; in Hispania enim nulla generatio in scuto suo Aquilam ferre audet, nisi Simon, et Michaël. ⁵⁾

¹⁾ Mortundorffarii ab oppido Provinciae Soproniensis Nagy Márton; iam extincti.

²⁾ Simon de Keza, cui et diplomata vellificantur, melius: „diebus Regis Emerici, filii Belae tertii, cum Regina Constantia, filia Regis Aragoniae, quae uxor erat Regis Emerici; honestis secum militibus, et familia decentissima introductis, in Hungariam pomposissime introivit.“

³⁾ Boyoth; Simon de Keza: „Unde prefati comites et eorum praecessores primum descensum (in Hungaria, Strigoniensi Provincia) circa Nergedseg (Nyerges Újfalú) Bojot vocaverunt.“

⁴⁾ Haec male cohaerent; de Andreae II. uxoribus lege Xysti Schier Reginas Hungariae.

⁵⁾ Quae hic desiderantur, peti possunt ex Chronicis Simonis de Keza, et Turótzii.

Aliarum Nationum Convenae.

Intraverunt autem in Hungariam, tam tempore Regis Geyche, ¹⁾ Sancti Regis Stephani, quam diebus Regum aliorum Bohemi, Poloni, Greci, Hispani, Ismaelite, Bessi, Armeni, Saxones, Cumani, Latini, qui diu-

tius in Regno commorando, quamvis illorum generatio nesciatur, per matrimoniorum diversorum contractus Hungaris immixti, Nobilitatem pariter, et Descensum sunt adepti. Quorum quidem nomina mihi nota essent; tamen huic operi non apponam.

1) Simon de Keza: „Intraverunt quoque temporibus tam Geichae Ducis, quam aliorum Regum.“ Exterarum Coloniarum nomina, pleraque loca retinuerunt, quorum nonnulla in Simonis Kezae Chronico enumeravi: ubi advenarum quoque generationum nomina et diplomatibus, aliisque fidedignis monumentis excitavi, secutus hac in re vestigia doctissimi Viri Stephani Horvát, qui de domesticis, convenisque Generationibus peculiari Libro 1) iam alias laudato, erudite disserit.

Hungari, profligato Sveti-Bologo, Moraviam, et Bohemiam spoliant Anno 895.

Postquam autem Sveti-Bolug per Hungaros, ut superius dictum est, necatus esset, et Hungari descendissent in Pannonia, per Sex annos eorum arma, et equos meliorare curaverunt. Anno deinde septimo, Moraviam, et Bohemiam, in quibus eo tempore Dux Wratislaus regnare videbatur, crudeliter spoliaverunt. Exinde cum victoria redeuntes, treugis 1) ordinatis cum prefato duce, uno anno quieverunt.

1) Treuga, Treva, Treuca etc. Pactitia armorum cessatio. Treuga, securitas praestita rebus et personis, discordia nondum finita. Gloss.

Carinthiam, Carnioliam, et Styriam infestant Anno 899. 946. 947.

Post hec Corinthiam hostiliter adeuntes, ultra castrum Leopach dux Meranie Gothfridus nominatus, et dux Corinthie Bernhardus, nec non Gregorius Aquilegiensis Patriarcha, ipsis occurrentes, insimul atrociter pugnaverunt. Et quamvis ex Hungaris plures ibi cecidissent: tamen ambos duces Hungari occiderunt; Patriarcha vero per fugam evadente. Abinde spoliata Corinthia, Carniolia, et Stiria, cum maxima preda sunt reversi. 1)

¹⁾ De Carinthia, et Styria per Hungaros vastata lege Anonymi Belae Regis Notarii Cap. XLV. L. LI. LIII.

In Italium procurrunt Anno 900. 948.

Audito igitur Conrado Cesare, quod Hungari imperii sui confinia intrassent, ducesque memoratos occidissent; decrevit venire in Hungariam: et cum exiisset de Italia, venissetque in Augustam Svevie civitatem, ut deinde in Pannoniam, invasurus Hungaros, descenderet; inter Romanos bellum generatum est interea intestinum, propter quod ipsum retrocedere oportebat. Inter hec Hungari tanquam immobiles, annis tribus ad nullas partes perrexerunt. Anno autem quarto Bulgariam invaserunt, ex eaque thesaurum, et armenta innumerabilia adduxerunt, castra ipsorum occupantes, que Domino concedente, et nunc habent et possident. Postquam autem memorata Regna devicerunt, per Forum Iulii usque in Marchiam Longobardie intraverunt, ¹⁾ ubi civitatem Paduam igne ac gladio consumserunt. Ex hinc intrantes Longobardiam Linthar ²⁾ Vercelline civitatis Episcopum, Imperatoris Caroli consiliarium fidissimum occidentes, ex ipsius Ecclesia thesaurum maximum rapuerunt, totamque pene Longobardiam spoliantes, cum maximo spolio in Pannoniam cum victoria redierunt.

¹⁾ Conf. Anonymi Belae Regis Notarii Cap. XLIV. LIII. LVI. et Chron. Monast. S. Galli Tom. III. du Chesne. Goldast. SS. Rer. Germ. Tom. I. Murator Tom. VII. XII. Lib. 8.

²⁾ In notis ad Turótzii Chronicon Luithar. Anonymo Belae Regis Notario Cap. LIII. Lutuardus episcopus Vercellensis ecclesiae-Caroli minoris — a secreto.“

*In Saxoniam, Sveviam, Franciam, et Bavariam
irrupunt.*

Post hec decem annis repausantes, anno undecimo Saxoniam, Turingiam, Sveviam, Francosque orientales, id est: Burgundos demoliti, in confiniis Bavariae ultra castrum Abah ¹⁾ circa Danubium Almanorum exercitus ipsos oneratos in reditu invaserunt ex abrupto; quos Hun-

gari in fugam turpiter converterunt, cesis multis millibus ex eisdem; in quo quidem conflictu ex Hungaris tria milia virorum perierunt: qui vero evaserunt, ad propria redeuntes, annis sedecim immobiliter in Hungaria permanserunt.

¹⁾ Hodie. — Abach. Vid. Anonymi Belae Reg. Not. Cap. LIV. LV. LVI. et Chron. Hildesheimense apud Leibnitz SS. Rer. Brunsvicen. Tom. I. et apud du Chesne.

Ad Augustam internecina clade profligantur Anno 955.

Regnante vero per Almaniam Conrado Primo, decimo septimo anno Hungari egressi, quibusdam partibus Teutonie devastatis, cum ad urbem Augustam pervenis-
sent, Ulrico Episcopo cum civibus, et Svevie primatibus resistentibus, tandem cum Hungari eandem obsiderent civitatem obstinati, nolentes de urbe recedere, missis nunciis ad Conradum memoratum, ut celeriter urbanis succurreret, idem venire non obmisit. Hungaris igitur se incaute circa obsessionem civitatis ingerentibus, Almannicus, et Italicus exercitus illos invasit ex abrupto, ut si fugere voluissent, nec potuissent; ex una parte fluvio Lili, ¹⁾ qui illis diebus per canales mirabiliter inundaverat, impedimentum faciens: ab altera vero ab exercitibus predictis circumvallantibus, sicut murus, illosque constringentibus. Sic itaque artati ab hostibus, quidam captivati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati: in quo loco Leel, et Bulchu ²⁾ illustres Capitanei captivati sunt et ducti coram Cesare. Quos cum Cesar requireret: quare Christianis essent sic crudeles? Dicunt: „Nos sumus ultio Summi Dei, ab ipso vobis in flagellum destinati: tunc enim per vos captivamur, cum persequi vos cessamus. Quibus Imperator: Eligite vobis mortem, qualem vultis. Cui Leel ait: Afferatur mihi tuba mea, cum qua primum buccinans, post hec tibi respondebo. Allataque est ei tuba, et appropinquans Cesari, cum se ingereret ad buccinandum, ipsum Cesarem sic fortiter in fronte fertur percussisse, ut illo solo ictu Imperator moreretur; dixitque ei: Tu peribis ante me, mihiq[ue] in alio seculo eris serviturus.

Est namque fides Sciticorum, ut quoscunque viventes occiderint, in alio seculo ipsis servire teneantur. Detentique sunt sine mora, et Ratispone patibulo suffocati. ³⁾

¹⁾ Licus, vulgo Lech inter Sleviam ad occasum, et Bavariam ad orientem, per Augustam in Danubium fluens, infra Verdam.

²⁾ Vér-Bulch, quasi vindex; de quo Simon de Keza: „Verbulch est vocatus, quia cum avus eius in praelio Crimildino per Teutonicos fuisset interfectus, — volens recipere vindictam super eos, plures Germanos assari fecit super veru, et tanta crudelitate dicitur in eos exarsisse, quod quorundam quoque sanguinem bibit, sicut vinum.“

³⁾ Simon de Keza „Quidam — fabulose asseverant, quod Caesari praesentati, unus illorum, cum tuba in caput ipsum Caesarem occidisset feriendo. Quae sane fabula vero simili adversatur — nam personae criminosae ligatis manibus conspectui principum praesentantur. Verum quidem est, et liber continet Cronicarum, ut blasphemati audacter, Caesari iniuriose sunt locuti, asserentes, quod si ipsos occidi fecerit, de gente sua, de cetero nullus captus vivere poterit, sed vel in perpetuam tradetur servituti, aut nullo iudicio praecedente, occidentur. Quod et factum est; quia, ut Hungari (domi) audierunt, ut Caesar sic ipsos occidisset; omnes captivos Teutonicos tam mulieres, quam parvulos, usque ad viginti millia iugarunt.“

Exercitus Hungarorum pars, a bello Augustano finitimis molestiam creat.

Alius autem exercitus Hungarorum, in quo erant bene virorum armatorum quadraginta millia, qui castra metatus est longe ab Augusta civitate, sentiens socios suos tam crudeliter artari, captivari, et occidi, seorsum in quandam silvam se recepit, expectans, ut se ab invicem Imperatoris exercitus separaret. Et dum maior pars Caesaris exercitus tenderet versus Renum, Hungari in campo quodam illos coniungentes, sagittis primitus illorum equos occiderunt, tota die ipsos nec descendere, nec quoquam fugere permittendo; tandem vero se movere dum non possent, captivari se dederunt, cum quibus socios suos Ratispone detentos redemerunt. ¹⁾ Ipsi vero exinde tali fortuna eis occurrente, monasterium de Vulda ²⁾ combussere, ubi multum de auro haurientes, abinde Reno

transpassato, Lotingensem Ducatum igne, et gladio vastaverunt, ubi circa Strozpur in quodam prelio Ekhardum Ducem Lotoringe, et Pertoldum Ducem Brabancie, qui ei venerat in auxilium, captivantes decollarunt. Inde vero Galliam atrociter affligentes, crudeliterque in Ecclesia Dei sevientes, Metense, ³⁾ Treverense, et Aquisgranense territoria igne devastarunt.

¹⁾ Ioannis Haugen Chron. Lib. II. Cap. 17: „Als sie gen Augspurg kamen — wurden die Hungern eins theils geschlagen, und ire beste hauptleut Leel und Bulchu gefangen, und an den Galgen gehenckt, die andern Ungern zugen hernach mit den gewaltigen und grösten hauffen biss in die 50. tausent, als si nun höreten, wie es den irn vor Augsburg ergangen was, zugen sie flüchtig ab mit vil rauben beladen. Den zoch eylend der heilig Bischoff sant Ulrich mit vil Fürsten und Herrn — nach, und erlangt sie bey Salgenaw zwo meil von der Newstat, da wurden sie abermals nicht ferr von dem Schloss Entzessfelt und Merckenstein geschlagen, der raub genomen, und die besten aus in gehenckt, auch iren vil die orn abgeschnitten, und die augen ausgestochen, und damit gen Ungern gejagt. Es ward auch den frommen Christlichen rittern, so in der schlacht ombkamen, daselbst ein kirchen zu irer begrebnus gepawt, so noch steht.“

²⁾ Vulda, Fulda, ad fluvium Fuldaham.

³⁾ Metense; Metis antiquissima Gall. Belg. urbs, est inter Tullum, Verodunum, ac Trevirim.

Ex Galliis per abrupta Montium Senonensium in Italiam infunditur.

Deinde per abrupta Montium Senonensium per populos Eterni Martis ¹⁾ viam, sibi gladio aperientes, paraverunt. Ubi siquidem Segusam, Taurinamque civitates destruxerunt, montesque prefatos perforantes, planum Longobardie cum vidissent, totam pene provinciam, concitatis cursibus, vastavere; et ita ad proprium regnum, cum victoria revertuntur.

¹⁾ In Dubnitzensi Chronico „Externi Martis;“ verum nostra lectio praeplacet; Senones enim Gentem Martiam Livius Lib. X. Decad. 1. celebrat, Caesar. Lib. VII. Claudianus „Et Senonum quatit arma fragor.“ Erant autem populi Galliae finitimi Belgis; eorum traduces Senones sunt Italici. Ioannis Haugen

Chron. Lib. II. 17. addit „Verjagten im gepirg die Senonenischen Völcker, und durchlöchernten die vorgemelten gepirg.“ Conf. Anonymi Belae Regis Notarii Cap. LVI.

*Bellum inter Hungaros et Bulgaros abortum, ac gestum
Annis 966. 967. 968. 969. tandem in Graecos movent
Anno 970.*

Annis vero XX. sine motu in Pannonia permanse-
runt; vicesimo autem primo anno egressi, in Bulgariam
intraverunt; et inde ad Idropolim ¹⁾ venientes, qua ex-
pugnata, Constantinopolim tandem obsederunt. In obsi-
dione igitur urbis memorate Hungaris constitutis, quidam
Grecus, sicut Gigas, emissus de urbe ad luctandum cum
eo duos Hungaros impetebat ²⁾ altercari, dicens: quod
si ambos devinceret, Imperator Grecorum Hungaris nil
pene dare teneretur: si autem ambos non devinceret, Gre-
corum Imperator censu Hungaris teneretur. Qui cum Hun-
garis infestus esset ultra modum, unum contrarium ³⁾ ei
invenerunt, qui oppositus Greco ita ait: „Ego, inquit,
sum Botond rectus Hungarus, minimus Hungarorum, ad-
iungas tibi duos Grecos, quorum unus conservare debeat
animam tuam exituram; alter vero cadaver tuum subter-
randum: quia certissime censualem faciam Grecorum Re-
gem genti mee.“ Tunc igitur Capitaneus Hungarorum no-
mine Opour, qui illi exercitui, de Communitatis volun-
tate, fuerat constitutus, iussit Botond cum dolabro ⁴⁾ suo
pergere contra portam urbis, que erat metallina, et in
porta declarare vires suas cum dolabro. Veniens autem
usque ad portam, talem ictum et cesuram ⁵⁾ in ipsa porta
fecisse perhibetur, quod puer annorum quinque per ipsum
foramen exire et intrare satis large potuisset. ⁶⁾ Facto
namque spectaculo Hungarorum, et Grecorum, parataque
area ad certandum ante portam urbis, parva hora simul
in unum dimicantes, Grecus in terram per Hungarum est
detrusus, et statim sine mora spiritum exhalavit. Quod
factum et casum Grecorum Imperator, qui stabat in urbis
propugnaculo cum coniunge, pro ingenti verecundia re-
putantes, facies averterunt suas, pergentes in palacium.

Verumtamen cum Hungari censum repetissent, pro quo certamen commissum fuerat et pugnatum; et dum risum faceret Grecorum Imperator de censu postulato, recesserunt Hungari de obsidione civitatis, depopulantes totam Greciam, haurientesque ex ea aurum, gemmas, et arma infinita, sicque ad propria sunt reversi. ⁷⁾ Communitas itaque Hungarorum cum suis Capitaneis, sive Ducibus, hec, et alia huiusmodi, usque ad tempora Toxun Ducis gessisse perhibetur. ⁸⁾

¹⁾ Hydropolis.

²⁾ Impetere, exigere, expetere.

³⁾ Molestum adversarium, et fortiorem aemulum.

⁴⁾ Dolabrum, Securis.

⁵⁾ In aliis Codicibus legitur: caesura, voces hoc sensu in Glossariis non facile obviae; quas Simon de Keza ita reddit: „tantamque fissuram in ea (aerea urbis porta) fecisse dicitur cum dolabro uno ictu, ut Graeci propter mostram, ipsam portam resarcire noluerunt.“

⁶⁾ De hac Fabella Anonymus Belae II. Regis Notarius Cap. XLII. „Sed quidam dicunt, eos ivisse usque ad Constantinopolim, et portam auream Constantinopolis Botondium cum dolabro suo incidisse; sed ego, quia in nullo Codice Historiographorum inveni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audivi: ideo ad praesens opus scribere non proposui.“

⁷⁾ Singularia idmodi certamina veteribus non erant inusitata.

⁸⁾ „Welche hauptleut die Hungern biss auff die geburt des heyiligen künigs sant Steffans 222 (124) jar geregirt und wol erweytert haben.“ Haugen Chron. Lib. II. Cap. 18. Excursiones maiorum nostrorum in ordinem digerere conati sunt Georgius Prai, Innocentius Desericus, Stephanus Katona, Melchior Inchoffer, alique passim.



De Generatione

Sancti Stephani

Primi Regis Hungarie, post secundum ingressum
de Scitia in Pannoniam, ac de Vita, Bellis, et
Morte eiusdem.

S. Stephani genealogia, nativitas, et filii.

Porro Toxun genuit Geycham, et Michaëlem, Michaël vero genuit Calvum Ladizlaum, et Vazul. Geycha vero divino premonitus oraculo, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLX. nono, quemadmodum in Legenda Sancti Stephani Regis scriptum est, ¹⁾ genuit Sanctum Stephanum Regem ex Sarolth filia Gyule. ²⁾ At Rex Stephanus plures quidem genuit filios, ³⁾ sed inter alios habuit unum filium nomine Emericum, Deo amabilem, et hominibus honorabilem, cuius memoria in benedictione est. Hic autem per inscrutabile Divini consilii iudicium raptus est de medio, ne malicia immutaret intellectum eius, et ne fictio deciperet animam eius, quemadmodum de immatura morte scribitur in Libro Sapientie. ⁴⁾ Ut ergo acta ne agamus, et exposita ne exponamus, quot et quantis virtutibus floruerit, et quam fervens in Dei servitio Sanctus Confessor Christi Emericus Dux fuerit, scribere supersedimus; quique enim hoc scire voluerit, ex Legenda eiusdem Beatissimi Confessoris plenam sanctissime

eius conversationis noticiam habere poterit. ⁵⁾ Nos enim ea potius, quae ab aliis Scriptoribus premissa sunt, breviter ac summatim scribere intendimus.

¹⁾ Legendam hanc, Librum Regium fuisse in Regni Tabulario Albae Regiae conservatum, regnante demum Carolo Roberto, Vissegradinum in Aulam Regiam delatum; in S. Stephani Vita per Hartvicum de Ortenburg Episcopum Ratisbonensem anno 1109. exarata, ac opera mea an. 1836. Budae edita, ostendi. Biographiae, porro, S. Stephani meminit etiam Innocentius III. P. P. in an. 1202. Bulla Calendis Novembris Indictione VI. Pontificatus sui anno 5^o edita, ac in Tabulario Exc. Camerae R. H. A. in seculi XV. copia existente, qua Ecclesiae Albensis Libertates hoc tenere ratihabet: „Libertatesque, seu Immunitates, Iura, et Dignitates praedictae Ecclesiae a S. Stephano Rege, qui Ecclesiam ipsam fundavit, quae in Vita sua leguntur, et aliis etiam Regibus indultas, et usque ad tempus recolendae memoriae Geysae (secundi) Regis conservatas, ratas habemus et firmas.“ Legenda, cuius noster meminit, Hartvici profecto non erat; qui annum nativitatis nusquam exprimit, nec aetatem S. Stephani litteris consignavit. Quam ob rem domesticis aequae, ac externi scriptores de nativitate eius anno disputant. Ego quoque Stephani Katona opinionem olim secutus, nativitatis annum ei 979. tribui; nunc tamen fide Chronicorum ad annum 969. refero: si enim ipso Katona teste, vicennis iam adolescens dici soleat, Hartvicus autem S. Stephanum, dum anno 993. vivente patre regni gubernacula suscepisset, primum adolescentiae gradum attigisse scribat, non video cur synchronorum, aut supparium scriptorum testimoniis, recentiorum opiniones, quae meris coniecturis nituntur, praeferam; praesertim cum Hartvici testimonio constet S. Stephanum non statim, ac in lucem editus est, a S. Adalberto sacris undis respersum fuisse; verum eam aetatem egisse, qua iam ipse fidei suae veritatem assequi potuerit. Conf. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. IV. p. 32—33. et 61.

²⁾ Ducis Transsilvaniae; et ante, quam sacro fonte ablatus fuisset, Belae nomen habuit; quemadmodum Ioannes Haugen Lib. II. Cap. 19. memoriae prodidit: „Nach der gepurt Christi, Neunhundert neun und sechtzig jar, gebar Geycha den heyligen könig sanct Steffan, aus Sarolth der tochter Giula, der ertslich in seiner geburt Bela (bohemice Waic.) genant ward.“

³⁾ E. Gisela, Henrici II. Imp. sorore; quam perinde peculiari corona redimitam fuisse, discimus ex Andreae II. Regis diplomate anno 1222. edito. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. I. p. 209. Filiorum S. Stephanus in diplomate pro Santimonialibus de Valle Beszprem dato illis verbis „pro animae meae salute, una et conthoralis, et filiorum meorum“ meminit. Pelbartus Serm. I. de laudibus S. Ste-

phani, praeter alios, filium ei tribuit Ottonem in haec verba „Nam filii sui parvuli, videlicet Otto, et alii, quorum nomina tacentur, diu ante mortem Regis decesserunt.“ Idque solita sua phrasi „Nam legitur de illo.“ affirmat. Quod indicio est, eum haec vel in alia Legenda, aut Chronico reperisse. Conf. Danielis Cornides. Vindicias Anonymi Belae Regis Notarii p. 254—255.

4) Cap. IV. v. 11.

5) Edidit eam Schwandtner SS. Rer. Hung. Tom. I. p. 429. et Georgius Prai sub Titulo „Dissertationes Historico Criticae de Sanctis Salomone Rege, et Emerico Duce Poson. 1774. in 4^o.“

Seditiosorum Ducem Koppán praelio vincit Anno 998. et Structuram Monasterii S. Martini supra Montem Panoniae a Geysa patre coeptam perficit.

Sanctus autem Stephanus iam pridem in adolescentia sua contra Cupan Ducem fortem et potentem bellum gessit gloriosum. Erat autem Cupan filius Calvi Zirind, qui etiam vivente Geycha Duce, patre Sancti Stephani Regis Ducatum tenebat. 1) Mortuo autem Geycha Duce, Cupan voluit matrem Sancti Stephani Regis sibi per incestuosum copulare connubium, et Sanctum Stephanum occidere, Ducatumque eius sue subdere potestati, hic fuerat Dux Symigiensis. 2) Sanctus autem Stephanus, convocatis proceribus suis, per interventum Beatissimi Confessoris Martini, 3) divine misericordie imploravit auxilium: postmodum vero, convocato exercitu, perrexerat obviam hosti suo, et ad amnem Garany primitus accinctus est gladio, ibique ad custodiam corporalis salutis sue, duos Principes Hunt, et Paznan constituit. Tocius autem exercitus sui principem et ductorem Vencellinum hospitem Almanum genere prefecit. 4) Commisso itaque prelio, inter utrumque diu et fortiter est pugnatum; sed divine miserationis auxilio Beatus Stephanus Dux 5) gloriosam obtinuit victoriam; in eodem autem prelio Vencellinus Comes interfecit Cupan Ducem, et largissimis beneficiis a Beato Stephano, tunc Duce, remuneratus est. 6) Ipsum vero Cupan Beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari; primam partem misit in portam Strigoniensem, 7) secundam in Vesprimiensem, tertiam in Iauriensem,

quartam in Erdeel. ⁸⁾ Beatus etiam Stephanus Dux votum, quod tunc vovit Deo, fideliter reddidit; nam universum populum in Provincia Cupan Ducis degentem, decimas liberorum, frugum, ac pecorum suorum, cenobio Sancti Martini dare perpetuo iure decrevit. ⁹⁾ Predictus autem Vencellinus genuit Kaddi, ¹⁰⁾ Kaddi vero genuit Miska, Miska vero genuit Cupan, et Martinum.

¹⁾ A parente Koppán, Calvo Zirind, Provincia Zarándinensis denominationem accepit.

²⁾ Pelbartus in Serm. de laud. S. Stephani: „Contra hunc Christi militem insurrexerunt nobiles de Synigio, et de Zala provincii cum infinita populorum multitudine, ceperuntque servos eius cedere — asserentes nullo modo a ritu parentum discedere, nec unquam fidem catholicam recipere.“

³⁾ Turonensium Episcopi, de quo Schönvisner in Hist. Sabariensi pluribus agit.

⁴⁾ Vencellinum quippe Comitem e Bavaria de Wasserburg ad nos demigrantem, quem iam memoravi; hic, teste Henrico Muglen, cum fratre Stephano, Koppán Sinégiensem Ducem occidit; „Umb solches sigs und redlicher thaten willen, ward derselb Wentzellinus von könig Steffan von des erschlagen Hertzogen gütern reichlich begabt — und beualh — von allen gütern des Hertzogen fürbass der Zehend dem Closter sant Merten zu ewigen zeyten geben werden solt: Dasselbst sol auch die heilig kron — wunderbarlich sant Steffan von himel komen und pracht seyn.“ — Haugen Lib. II. Cap. 20.

⁵⁾ Hoc Bellum a fati Geysae Ducis anno 998. gestum fuerit. Pelbartus Sermone de laudibus S. Stephani „Erat enim Dux Stephanus corpore parvus, animo magnus, audax, bellicosus.“

⁶⁾ Nomen eius referunt possessiones Vencsellő in Provincia Szaboltsensi sitae.

⁷⁾ Porta hoc loco non urbis ianuas, verum regionem urbis denotat.

⁸⁾ Erdeel, Transsilvania, ubi in regione Albae Iuliae dissectum Koppani corpus spectaculo expositum erat.

⁹⁾ De Monasterio S. Martini in Sacro Monte Pannoniae Religiosis Ord. S. Benedicti constructo ipse Divus Rex in an. 1001. foundationalibus: „Omnium — solers comperiat intentio, quod nos interventu, consilio, et consensu Domini Anastasii abbatis de monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito, ab geni ore nostro incepto, quod nos, per Dei subsidium — ad finem perduximus, talem concessimus libertatem.“ Has S. Regis litteras ex originali edidit, et auctori suo vindicavit doctiss. Stephanus Hor-

vát in an. 1836. Tudományos Gyűjtemény Tom. I. p. 94—20. — De incolis autem Simegiensis Provinciae Mellicensis Codex, seu Legenda S. Stephani haec memorat: „Illos autem et posteros eorum, usque in presentem diem, servos ecclesie instituit. Postea, impetratione optimatum suorum, consilium cepit, ut tantum decimas ex his, que possidebant (Nobiles) darent, ne afflicti disperderentur e terra.“

¹¹⁾ Turótzii, atque Dubnitzense Chronicon: Radi, et non male; huius nominis Palatinus enim Andrea I. regnante viguit, qui anno 1057. Monasterium S. Demetrii supra Savum fluvium (hodie Mitrovitz) in Syrmienti Hungariae Provincia pro Religiosis S. Benedicti aedificavit, et in fundationalibus cetera inter: „Rogavi etiam gratiam, inquit, Dominorum meorum gloriosissimi Andree Regis, et optimi Ducis Adalberti, ego Rado Palatinus, ut Monasterium meum S. Demetrii supra Zavam fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota provincia illa Sancte Corone rectificavi, et iterum acquisivi“ confirmant. Vid. Cod. Dipl. Tom. I. p. 394—397.

Gyulam Transsylvaniae Principem bello superat, captum in Hungariam ducit, Transsylvaniamque Coronae subiicit Anno 1002.

Porro Beatus Stephanus, postquam Regie Celsitudinis coronam divinitus est adeptus, famosum et lucrosum bellum gessit contra Proavunculum suum, nomine Gyula, ¹⁾ qui tunc temporis totius Transilvani Regni gubernacula possidebat. Anno itaque Domini Millesimo Secundo Beatus Rex Stephanus cepit Gyulam Ducem cum uxore, et duobus filiis suis, et in Hungariam transmisit. Hoc autem ideo fecit; quia sepiissime fuit ammonitus a Beato Rege Stephano, nec ad fidem Christi conversus est, nec ab inferenda Hungaris iniuria conquievit; universum vero regnum eius latissimum et opulentissimum Monarchie Hungariae adiunxit. ²⁾ Dicitur autem Regnum illud hungarice Erdeel, quod irrigatur plurimis fluviis, in quorum arenis aurum colligitur, et aurum terre illius optimum est. ³⁾

¹⁾ Avunculus pro Patruo promiscue usurpatum legere est apud Scriptores mediae aetatis. Interdum etiam dicitur le cousin. Constat autem ex Anonymi Belae Regis Notarii Cap. XXVII. hunc Gyulam, qui S. Stephano ob inductam regiam dignitatem, ac Religionem Christianam propagatam negotia facesserat, non Gyulae senioris, cuius filia fuit Sarolta, mater S. Stephani; sed Zomboris, eius fratris, filium fuisse.

2) Transsilvania ab anno 1002. ad annum 1541. quo se Turcarum clientelae subiecit, constanter ad Sacram Regni Hungariae Coronam spectabat. Belli vero causam Chronicon Ioannis Haugen Lib. II. Cap. 21. hanc fuisse perhibet: „aus vrsachen, das der selbig Weyda vber manigfeltig des Königs vermanen, geschafft vnd beuelh, sein vnglauben nit lassen, vnd die Christen in seinem gebiet nicht wandern noch sichern wolt.“

3) Conf. Samuelis Köleseri Aurariam Romano Dacicam Cibi-
nii an. 1717. vulgatam, et anno 1780. iterum prelo subiectam.

Kean Bulgarorum Ducem occidit Anno 1003. et ex manibus Albae Regiae honoribus Dei parae Basilicam exercitat.

Post hec movit exercitum super Kean, Ducem Bulgarorum et Sclavorum, que gens loca naturali situ munitissima inhabitat, ¹⁾ unde etiam multis laboribus et sudoribus predictum Ducem vix tandem devicit et occidit, et inestimabilem copiam thesaurorum eius, precipue in auro et gemmis, ac pretiosissimis lapidibus accepit, et locavit ibi unum proavum suum nomine Zoltan, qui postea hereditavit illas Partes Transilvanas, et ideo vulgariter dici solet Erdeeli Zoltan. Erat enim ille antiquissimus, qui vixerat usque tempora Sancti Regis; et ideo voluit eum esse super gentes opulentas. ²⁾ Ex hac itaque gaza multiplici, Sanctus Rex Stephanus plurimum locupletatus, Albensem Basilicam, quam ipse fundaverat, ³⁾ aureis altaribus, crucibus quoque et calicibus, indumentis etiam pontificalibus, auro purissimo contextis et lapidibus pretiosissimis, copiavit atque ditavit; vasa quoque ministratoria, et cetera utensilia eidem Basilice necessaria, nec non et aliis Ecclesiis, de regali donavit largitate. Inter cetera dedit eidem Albensi Ecclesie quedam donaria sem-piterne memorie digna, duo scilicet rationalia, quorum quilibet habebat oram contextam septvagina quatuor mar-cis auri purissimi et lapidibus pretiosis, ⁴⁾ que Beatus Benedictus Sancte Romane Ecclesie Pontifex, ⁵⁾ ad preces Sancti Stephani Regis, tante auctoritatis privilegio insigni-vit, ut quicumque in celebrando Missam eis uteretur, legitime posset Regem inungere, coronare, ac gladio accin-

gere. ⁶⁾ Et quia pecunia ipsius Ducis Gyule fuit male acquisita; ideo ipsa Ecclesia frequenter passa est incendium. In eadem autem Ecclesia ipsum avunculum suum, cum tota familia, absque velle, compulit baptizari, sed postea honorifice tenuit, ⁷⁾ sicut Patrem. Regina vero Keysla, uxor Sancti Regis, dictam Ecclesiam aureis crucibus, fursoriis tabulis, ⁸⁾ calicibus, gemmis et ornamentis ultra modum ditavit. ⁹⁾

¹⁾ Haec Bulgaria fuit, ubi nunc Valachia; Keanum autem S. Stephanus an. 1003. profligavit.

²⁾ Bene ait Zoltanum fuisse S. Stephani proavum, quem cen-tenario maiorem esse oportuit; — de quo in Legenda hungarica S. Stephani: „Az Zoltan fejedelem kedeege Havas Elföldeeben nagy erekes leen es hatalmas: kitől zarmaznak az Zoltanok, es az orzagtul el zakadván, nagy sok nyomorusaggal fizeteek meg az jo teetelt.“

³⁾ Lege de illa Hartvici Legendam S. Stephani p. 67—68.

⁴⁾ Rationale, in Veteri Testamento, erat Stola Pontificalis, quae et Logium dicebatur: Pannus scilicet, exiguus, ut ait Eucherius Lugdun. ex auro, gemmis, coloribusque variis, qui superhumerali contra pectus Pontificis annectebatur. Gloss. An etiam novae legis Rationale huiusmodi fuerit, mihi incertum.

⁵⁾ Intellige Benedictum VIII. qui universali Ecclesiae ab an. 1012. ad an. 1024. praefuit.

⁶⁾ Ius hoc postea exclusive ad Strigonienses Archi-Episcopos spectabat.

⁷⁾ Honorifice tenere, *betsületben tartani*, idiotismus hungaricus, pro in honore habere.

⁸⁾ Tabula Altaris, quae Mensa Sancta vulgo dicitur. Gloss.

⁹⁾ Casulas ex S. Stephani aetate duas habemus; alteram R. P. Erasmus Frölich, Viennae Austriae 1754. in 4-to alteram vero RR. Iosephus Koller in suo de Sacra Regni Corona commentario Quinque-Ecclesiis an. 1800. in 4-to edito describit.

Alteram Veteri Budae molitur. Anno 1022.

Deinde Sanctus Rex venit in civitatem, quae Vetus Buda vocatur ¹⁾ una cum filio suo Sancto Emerico, et Regina, et cum ibi non invenisset aliquod pium opus in Christo, in quo possit laudari Creator omnium, ²⁾ statim Sanctissimus Rex de thesauro predicti Kean Ducis Bulgarorum et Sclavorum, quem occiderat, cepit in medio civi-

tatis edificare grande cenobium ³⁾ in honore Apostolorum Petri et Pauli, ditando illud multis prediis, et simili libertate Romane Ecclesie fulciendo, in memoriam et honorem Curie Romane, quam corporaliter visitaverat. ⁴⁾ Dum igitur edificaretur, magistri lapicide de Grecia ducti erant, et Sanctissimus Rex, et Regina ratione devotionis ibidem degebat. Regina autem cruces, tabulas et ornamenta procurabat. Quia vero illud grande opus inceptum, multos annos conduxerat; ⁵⁾ ideo vivente Sancto Stephano Rege, illud cenobium non potuit consummari: sed volente Deo, post multum temporis, Sanctissimus Rex Ladizlaus, nepos eiusdem Beati Stephani, ⁶⁾ illud opus consummavit, ⁷⁾ ut scilicet possit implere votum Proavi sui, ⁸⁾ sicut inferius plenius declarabo. ⁹⁾ Consuetudo igitur Sancti Regis Stephani maior ¹⁰⁾ ista fuit, quod omnes Ecclesias, quas ipse fundaverat, in quolibet anno, adminus tribus vicibus visitabat; et dum ad ipsas Ecclesias devenisset, primo ad omnia Altaria pergebat, et singulis singulas preces effundebat. Tandem exeundo, totam Ecclesiam illam circuibat, et fracturas, sive scissuras parietum, ac tectorum perspicacibus oculis, et morose ¹¹⁾ inspiciebat, et statim meliorari procurabat, nec a loco illius civitatis, aut ville recedebat, nisi prius vidisset renovari. Quo experto, Regina Keysla, dum ad aliquas Ecclesias in Hungaria devenisset, omnes apparatus in Domo Domini existentes sibi presentari faciebat; et renovanda tam in sindone, ¹²⁾ quam in bysso, omni anno renovabat. Filius autem ipsorum Beatus Emericus purpureas vestes proprias ante Altaria deponebat pro Altaribus induendis, sicut patet, in Ecclesiis Regalibus usque modo. Pater vero Sanctissimus bursam auream, in lumbis, refertam gestabat denariis puri argenti, et ubi pauperes vidisset, mox ibi accedebat, et propriis manibus eis providebat ¹³⁾ et ideo Dextera illa misericors, est in corpore exterius, coram oculis Hungarie, usque hodiernum diem. ¹⁴⁾

¹⁾ Chronicon Poseniense: „Et enim de thesauro dicti Kean fundavit ecclesiam in honore Apostolorum Petri et Pauli in Sicambria; sed perficere non potuit, perfecit autem Sanctus Rex Ladislaus.“

2) Ecclesia enim Alba super Arpádi Ducis tumultum per Hungaros Christianos aedificata, extra urbis pomeria erat.

3) Coenobium aevo medio Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata, qualem S. Stephanus, Veteri Budae erexit, iam pridem extinctam; consule Michaëlis Szvorényi Hist. Eccl. Amoenitates Fasc. V. p. 109—161.

4) Si Ranzano credimus, tertium et tricesimum aetatis annum S. Stephanus egit, quum urbem Romam petiisset; quia vero secundum domesticos Codices S. Rex natus est A. C. 669. huic additi 33. aetatis eius anni nos deducunt ad annum 1002; ut adeo Romanam peregrinationem post ter felicem inaugurationem suam, anno 1000. Strigonii peractam, debellatoque Gyula Transsilvaniae Principe, suscepit, ac eo tempore „In capite mundi Roma, sub titulo protomartyris Stephani XII. Canonicorum congregationes — statuerit — cum domibus — et hospitibus hungarorum, orationis causa beati principis apostolorum Petri limina querentium.“ *Legenda Mellicensis, et Hartvici.*

5) Conduxerat, requirebat.

6) Nepos Patruelis, vel Consobrinus. Tum vero maxime patruales, vel consobrinos nepotes dictos volunt; cum aetate inferiores erant, Gloss. S. Ladislaus erat ex proavo Michaële, S. Stephani patruo.

7) Vetero Budensem Basilicam Andreas II. Rex, in diplomate apud Nicol. Schmüth in Epp. Agr. Tom. I. p. 193. „in cunctis regni urbibus magis olim situ et nomine formosam“ appellat. — Quam Ranzanus, sub Matthia I. nomine Ferdinandi Regis Neapolitani per triennium Nuncius Ind. I. describit, ac laudat, Ludovici I. ac Elisabethae eius matris opus erat; quemadmodum anni 1355. diploma apud Miller in Epitome vicissitudinum, et rer. memorabil. Urbis Budensis p. 11. docet.

8) Proavus nude cognatus, et maior natu.

9) Immemor Compiler, uti nec Turótz, declarat postea, quod S. Ladislaus Basilicam Collegiatae Ecclesiae perfecisset; verum ex Geysae II. Regis diplomate an. 1148. edito apud Péterffy Concil. Hung. P. I. p. 68. liquet, quod S. Ladislaus proventus, ac praeterea piscaturam a portu Megyer, usque ad Insulam Magnam (Csepely) Regis in dotem assignaverit.

10) Maior, i. e. precipua.

11) Morose, i. e. Nimis exacte. Gloss.

12) Sindon, pro specie panni (byssus tenuis) Gloss.

13) Pauperes S. Stephani fuere Christiani, servi Hungarorum Paganorum; vide Legendam S. Stephani, quam edidi. p. 95.

14) Sacra haec Dextera ab an. 1083. ad an. 1241. quo Tartari irruerunt, in Bihariensi Provincia, monasterio O. S. B. de

Szent Jog. erat ; Albam Regiam dein translata , Pelbarto teste hic colebatur ; urbe demum per Turcas an. 1542. intercepta, Ragusam delata est ; quam hodie , Augustae Mariae Theresiae pietate redditam, Budae deveneramur. De eius cultu iam seculo XIII. vidente conf. Toldalék, a' pesti Codex részletes taglajatja, közben vetett észrevételekkel Antiquit. Hungar. quas Academia Hungarica edit, Tom. I. p. XCII.

Incidentia.

*Terrae motus, aliaque phoenomena Anno 1022.
in Hungaria visa.*

Anno Domini millesimo vigesimo secundo, in multis locis incendia multa, et magna facta sunt ; ingens etiam terre motus contigit quarto Idus Maii decima hora diei. Sexta feria post Ascensionem Domini, quasi duo soles visi sunt, decimo Kalendas Iulii.

*Pacatis rebus, Religioneque propagata ; Regni gubernacula in Emericum filium transferre meditatur
Anno 1031.*

Postquam autem magnificavit Dominus misericordiam suam cum Beato Stephano, vertendo dorsa Regum in fugam a facie gladii eius, et dominio eius principatus, et potestates subiiciendo omnium exterarum nationum circum adiacentium ; deliberavit Sanctus Rex Stephanus et firmiter statuit, ut omnibus pompis mundane glorie calcatis, et temporalis regni diademate deposito, solius Dei servitio semet ipsum manciparet, et ab exterioribus curis expeditus, contemplativam vitam, tranquilla pace, perageret ; coronam vero regie celsitudinis filio suo, Duci Emerico, sanctissimis moribus divinitus instructo, se daturum disposuit. ¹⁾ Erat enim Beatus Emericus in primo adolescentiae flore, supra communem naturam hominum, divino munere sublimatus, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, sapientia, scientia, mansuetudine, misericordia, benignitate, largitate, humilitate, et

patientia armatus, ceterisque Catholicis, atque politicis virtutibus adornatus.

1) Erat enim iam annorum sexaginta duorum, postquam imperii hungarici fasces a morte patris Geysae per triginta quatuor annos tenuisset.

Sed conatus, filii mors intercepit Anno 1031.

Cum itaque Sanctissimus Pater, Sanctissimo Filio curam administrationis, et gubernandi regni solitudinem intenderet committere; Beatus Dux Emericus prepropera morte preventus est. 1) Flevit autem eum Sanctus Rex Stephanus, et universa Hungaria inconsolabiliter planctu magno valde. Tanta vero doloris acerbitate Sanctus Rex Stephanus exacerbatus, in gravissimam incidit infirmitatem, et post multos dies vix qualemcunque reparationem recepit, sed pristina sanitati nunquam plane potuit restitui; nam et pedum doloribus urgebatur, et tristitia, ac gemitibus afficiebatur, presertim propterea, quia nullus videbatur de consanguineis suis idoneus ad hoc, ut eo mortuo, regnum in fide Christiana conservaret. 2) Pronior etenim erat, atque paratior Gens Hungarica ritui paganismo inclinari, quam fidei Christianae.

1) Id quod anno 1031. contigit.

2) Consanguineus, nude Stirps, ut Simon de Keza innuit: „incurrit aegritudinem — maxime ea propter, ut de suo sanguine dignus nullus esset Regni corona sublimari.“ et Hungarica Legenda: „mert senkit nem laot ew rokonsaghi közzöl az kiralsagra az ew termeezeti zarent meltonak es eleeghnek lenni.“ Ex his attamen verbis non sequitur, ut passim domestici scriptores volunt; quod S. Stephanus patruelium suorum Michaëlis nempe, ac Ladislai filios successionis iure privaverit, prae hisque cognatis in Petrum magis propenderit: nam non ante in Petri electionem consensit, quam Vazul oculis orbatus fuisset; Andreas vero, Bela, et Levente ob imminens vitae periculum Hungaria excessissent.

*Aeger, Basilium Regni successerem constituere intendit:
verum eo barbare oculis orbato, conatus in irritum
cadunt.*

Interim vero, viribus corporis cepit repente destitui, et languore vehementissimo se gravatum sentiens,

misit festinanter nuncium, scilicet Budam, filium Egyruh, qui Vazul, ¹⁾ patruelis sui ²⁾ filium, quem recluserat Rex propter iuvenilem lasciviam et stultitiam, ³⁾ ut corrigeretur; de carcere Nitrie educeret, et ad se deduceret, ut eum, antequam moreretur, Regem constitueret. ⁴⁾ Audiens autem hoc Keysla Regina, iniit consilium cum Buda viro nephando, et festinantissime misit nuncium nomine Sebus, filium ipsius Buda ad carcerem, in quo Vazul detinebatur. Sebus itaque preveniens nuncium Regis, effodit oculos Vazul, et concavitates aurium eius plumbo obturavit, et recessit in Bohemiam. ⁵⁾ Post autem veniens nuncius Regis, Vazul oculis orbatum, in eisdem vulneribus duxit ad Regem; quem Sanctus Rex Stephanus videns tam miserabiliter destructum, in nimias erupit lachrimas; sed impediante egritudinis molestia, debitam penam malefactoribus impendere non potuit. ⁶⁾ Convocatis autem filiis Calvi Ladizlai patruis sui, sive Andrea, Bela, et Levente, consuluit eis, ut quanto citius possent, fugerent, ut sic sibi salutem, et corporum suorum integritatem reservarent. ⁷⁾ Illi vero salubri consilio Sancti Regis acquiescentes, a facie malorum, et dolorum, in Bohemiam fugierunt. ⁸⁾

¹⁾ Vazul, Basilius, Ladislaus.

²⁾ Michaëlis; hic Patruelis pro Patruo accipitur; mox infra vero versa vice, Ladislaum Calvum patruelem, patrum compellat.

³⁾ Stultitia, id est: Concubitus non legalis. Gloss.

⁴⁾ Haec convellunt illorum opiniones, qui ex coniecturis asserunt, quod S. Stephanus patruales suos a regimine arcere voluerit. Stephanus Katona Hist. Crit. Regum Hung. Tom. I. p. 404. „Quis enim credat, S. Stephanum regno praeficere voluisse Vazulem, si hunc ob iuvenilem lasciviam et stultitiam Nitriae clausum tenebat?“ Verum hic ea retractat, quae eodem Tomo p 361—362. non male probavit: Successionem nempe hereditariam obtinuisse prima Regum periodo; id quod ex Hungarorum cum Almo pactio- ne, quam Anonymus Belae Notarius refert; ac ex continua Stirpis Arpadianae successione, si Petrum, et Abam demamus, demonstrat.

⁵⁾ Binae eodem tempore vixerunt Giselae, altera huius nominis uxor S. Stephani, soror altera; quae tanti facinoris autor? mihi non constat; Ioannes Haugen Lib. II. Cap. 23. „die Königin des heiligen sant Steffans gemahel — schicket — Sebus — welcher — Vazul die augen aussfach.“

6) Et Poseniense Chronicon: „Cum beatus Stephanus post mortem Sancti Emerici nimium se vidisset infirmum — in predictae egritudinis molestia debitam penam malefactoribus inferre non potuit.“ Et Haugeni Chron. Lib. II. Cap. 23. „Kont aber die obeltheter omb solchs nit straffen, dann die kranckheyt an im vberhand name.“ Nullum ergo pondus Stephani Katona verba habent ita scribentis: „Certe nimis impotentem nobis adumbrat Sanctum Regem, qui non aliter, quam fugam svadendo, cognatis consulere potuerit. Quum tamen diplomata post hunc annum (1032) data, satis doceant, eum non ita morbis oppressum fuisse, nihil ut agere posset.“

7) De hac fuga „ad partes Poloniae, propter Petrum, qui nomen Regis sibi potenter adscripserat.“ lege diploma apud R. R. Georgium Fejér Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. I. p. 392—393.

8) Poseniense Chronicon: „qui ex consilio Sancti Stephani Regis exierant Hungaria.“ Et Haugen Chron. Lib. II. Cap. 28. „Zu der zeyt, als Vazul bey des heyligen könig Steffans zeyten die augen in der gefengknus verlор — fluhē etlich desselben freundt, damit in von könig Petern nicht auch also geschech, in Behem, unter denselben waren drey brüder, so sich der gesiptschafft und des stamen königs Steffans berümeten, nemlich Andreas, Bela, und Leventa.“

De morte Sancti Stephani Regis.

*Pia morte obit Anno 1038. et Albae Regiae in Basilica
ab se condita sepelitur.*

Beatus autem Rex Stephanus sanctitate et gratia plenus, quadragesimo sexto anno regni sui, ¹⁾ in festo Assumptionis Beate Marie Virginis, ²⁾ a presenti seculo nequam eripitur, et Sanctorum Angelorum consortio adiungitur. Sepultus est autem in Basilica, ³⁾ quam ipse in honore Sanctissime Genitricis Dei semper Virginis Marie construxerat: ubi multa signa et miracula fiunt, intervenientibus meritis eiusdem Sanctissimi Regis Stephani, ad laudem et gloriam Domini nostri JESV Christi, qui est benedictus in secula seculorum Amen. Confestim quoque totius Hungarie cithara versa est in luctum, et omnis populus regni, tam nobiles, quam ignobiles simul in unum, dives et pauper planxerunt super morte Sanctissimi Regis, piissimi Patris pupillorum, lacrimis uberrimis, et ululati-

bus plurimis, iuvenes, et virgines pre tristitia et merore scaldis ⁴⁾ induti vestibus, per triennium choream ⁵⁾ non duxerunt, et omnia genera musicorum, delinitivo dulcissimo siluerunt, planxeruntque eum planctu cordis fidiissimi, eratque planctus magnus et inconsolabilis. ⁶⁾

¹⁾ Hos regiminis annosei tribuit etiam Simon de Keza: Hartvicus e converso minus uno „Quievit itaque corpus beatum eodem in loco (Basilica quippe Alba Regalensi) — XLV. annis — ut, quot annos sanctus mole carnis indutus, terreni coronam imperii — gestare merebatur: tot corpus humi — pressum — haberet.“ — Quadragesimus quintus regiminis annus respondet Anno Christi 993. quo nempe „convocatis pater suus hungarie primatibus, cum ordine sequenti, per communis consilium colloquii, filium suum Stephanum, post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum a singulis sacramentum exegit.“ ut idem Hartvicus narrat. Post obitum patris anno 997. iam secundum regimen auspicatus „Post obitum vero patris, prosequitur ultra Hartvicus, Stephanus adhuc adolescens, favore principum et plebis, in patris solium laudabiliter proventus.“

²⁾ Decima quinta Augusti 1038. „nach der gepurd unsers herren in tausent acht und dreyssigsten jar, an unser lieben frauen Himmelfart tag.“ — Ioan. Haugen Lib. II. Cap. 24. Capite vero 20 Lib II. his eum laudibus effert: „Steffanus der from könig in allem seinem thun gerecht, fürsichtig, und in sonderheit Gotsforchtig was, auch niemand keines unrechten, wo im solchs fürkam, gestattet. Die armen, auch witben und waisen, und sonderlich die Christen beschirmet er.“

³⁾ Albae Regiae.

⁴⁾ Scaldus, pro squalidus. Vedetur autem Squalla pellis nigra fuisse. Gloss.

⁵⁾ Choreas ducere, versare saltatorium orbem; hinc Choreare, choreas ducere: choreator, saltator. Gloss.

⁶⁾ Plurima, eaque immortalia sunt S. Regis merita; etenim, ut a rebus divinis ordiar, Gentem nostram ad agnitionem Veritatis perduxit; quod cum Sylvester II. P. P. ex Ascrico, quem pro Corona, ac impetranda dignitate regia, Romam miserat, intellexisset: „valde gravisus — cuncta, prout fuerant postulata, benigne concessit. Crucem insuper ante, regi ferendam, velut in signum apostolatus misit. Ego, inquiens, sum apostolicus, ille vero merito christi apostolus, per quem tantum sibi populum christus convertit. Quapropter dispositioni eiusdem, prout divina ipsum gratia instruit, ecclesias dei, simul cum populis utroque iure ordinandis re-

linquimus.“ Hartvicus. — His praerogativis Apostolici Hungariae Reges hodieque utuntur. Monarchiae, porro Hungaricae adeo firma iecit fundamenta: ut ad hunc usque diem inconcussa duret; prout vero haec singularem eius in Deum pietatem: ita summam in rebus gerendis prudentiam, ac dexteritatem arguunt.

Giselae Reginae technis, Petrus S. Stephani ex sorore nepos, solium Regni conscendit Anno 1038.

At Regina Keysla, cum Buda satellite, Petrum Alemanum, vel potius Venetum, ¹⁾ fratrem Regine, ²⁾ Regem preficere statuerunt, hoc intendentes, ut Regina Keysla motus sue voluntatis, pro libito suo, posset complere, et regnum Hungariae, amissa libertate, Teutonicis subderetur, et Regina Keysla, motus sue voluntatis in regno, sine impedimento posset explere. ³⁾ Vilhelmus autem pater Petri Regis ⁴⁾ fuit frater Sigismundi Regis Burgundorum; ⁵⁾ sed post interemptionem Sancti Sigismundi venerat ad Imperatorem; ⁶⁾ quem Imperator collocavit Venetiis, ⁷⁾ et dederat ei sororem suam nomine Gerdrud in uxorem, de qua genuit Keyslam Reginam. ⁸⁾ Mortua autem Gertrud, Vilhelmus duxit in uxorem sororem Sancti Regis Stephani, de qua genuit Petrum Regem.

¹⁾ De Petri Regis origine non convenit inter Scriptores; Ranzano Ind. IX. Petro de Rewa de Monarch. et Sacra Corona Regni Hung. Cent. I. Eccardo Hist. Gen. Princ. Sax. Stephano Katona Hist. Crit. Reg. Hung. Tom. I. p. 476. Ioanni Kriebel in an. 1819. Tudom. Gyűjt. Tom. VI. p. 46. Germanus fuisse videtur. Daniel Cornides autem in Geneal. Reg. Hung. Gabriel Sebestyén in an. 1820. Tudom. Gyűjt. Tom. II. p. 40. alique passim pro Veneto habent. Stephanus Horvát denique in an. 1836. Tud. Gyűjt. Tom. X. p. 114. Toxi Hungariae Ducis nepotem fuisse coniecit. Conf. Ioannis Bárdossy Supplementum Analector. Scepusien. p. 130. Notam d. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. IV. p. 43. et sequ. Et Ioannes Haugen Lib. II. Cap. 24. „Do aber Gertrudis gestorben was, nam Wilhelmus die schwester des heiligen sant Stefans, von welcher er gepar künig Petrum, und denselben dem heiligen könig sant Steffan, als seinem vettern, den zu erziehen, die sprach zu lernen, und die Ungerische monir zu unternehmen zugeschickt, und vom könig erzogen ward, auch bey den Ungern wol verdient was, und ward durch die künigin, und die, so irer parthey waren, dieser Petrus, als der geschicktest im gantzen

reich den Ungern fürgehalten, und zu einem könig anzunehmen, mit höchsten fleiss angezeigt, geraten, und gebeten.“

2) *Frater aevi medii Scriptoribus nomen consanguinitatis, vel propinguitatis. Gloss.*

3) *Superius retulit noster: S. Stephanum primum quidem, ut iure debuit, egisse, ut sibi Vazul in regimine succedat; quo barbatae oculis orbato, ceteris patruelis Andreae quippe, Belae et Leventae ad se accersitis autor fuisse, ut ob imminens vitae periculum, tutioris permansionis ergo, exteras oras peterent. Vazule igitur mortuo, his vero absentibus, agente inprimis Gisela, in electionem Petri ex sorore nepotis consensisse; quemadmodum Hartvicus memoriae prodidit: „tactus febris (an. 1038) cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis episcopis, et primis palatii, de christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractavit de substituendo pro se rege, petro videlicet sororis suae filio, quem in venetia genitum, ad se vocatum, iam dudum exercitui suo prefecerat ducem.“ Soror Petri nomine Froiza erat Adalberti Marchionis Austriae coniux. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. IV. p. 48—49. et 51.*

4) *Otto nempe Vilhelmus, comes Burgundiae.*

5) *Per fratrem hoc quoque loco intellige propinquum, sanguine iunctum; nequaquam vero, quod S. Sigismundus germanus frater Vilhelmi fuerit; quum anno 524. quo hic caesus est, Vilhelmus ne quidem in vivis exstiterit.*

6) *Ottonem quippe I.*

7) *Vilhelmi pater fuit Adalbertus, avus Berengarius II. quos Otto ob rebellionem, fundis in Longobardia possessis exiit; quos deinde Vilhelmus ab Imperatore recuperavit, adeoque Venetae Longobardiae restitutus, seu, ut noster vult, Venetiis collocatus est.*

8) *Noster cum Turótzio P. II. Cap. 34. Gisela, S. Stephani consortem, Vilhelmi Burgundiae Regis filiam facit; omnis hic error inde potissimum ortus videtur: quod geminam Gisela, matrem quippe cum filia, perperam confundant. Henricus II. enim Bavariae Dux uxorem habuit Gisela, Conradi Burgundiae Regis filiam; ex qua ceteros inter suscepit Henricum huius nominis II. Germaniae Regem, ac Gisela S. Stephano nuptam.*



De sevitia, expulsionem, reingresso, et morte Petri Regis.

*Ob mores laud inculpato, Hungaris gravis, Throno,
Regnoque privatur Anno 1041.*

Postquam autem Petrus est factus Rex, omnem regie serenitatis benignitatem abiecit, et teutonico furore seviens, Nobiles Hungarie aspernabatur, bona terre superbo oculo, et insatiabili corde, cum Teutonicis, belluina feritate rugientibus, et cum Latinis, irundinum ¹⁾ garrulitate murmurantibus, devorabat; munitiones et castella Teutonicis, et Latinis custodienda tradebat. ²⁾ Erat autem ipse Petrus nimium lascivus, nullusque eo tempore tutus esse poterat de pudicitia uxoris sue, vel filie sue, seu sororis virginitate, propter insultus satellitum ³⁾ Regis, qui eas impune violabant. Videntes autem Principes ⁴⁾ Hungarie tanta mala gentis sue, que contra Deum eis inferebantur; communicato consilio, rogaverunt Regem, ut preciperet suis, a tam detestabili opere desistere. Rex vero faustu superbie inflatus, pestiferum preconcepti veneni fetorem in propatulum effudit dicens: si aliquando sanus fuero, omnes iudices, tam clarissimos, ⁵⁾ et spectabiles, ⁶⁾ quam pedaneos, ⁷⁾ centuriones, et etiam decuriones, ac villicos, ⁸⁾ omnesque principes, et potestates ⁹⁾ in Regno Hungarie Teutonicos constituam, et terram eius hospitibus implebo, et eam universaliter in potestatem Teutonicorum redigam. Et dicebat: Hoc nomen Hungaria derivatum est ab angaria, ¹⁰⁾ et ideo ipsi debent angariari. ¹¹⁾ Hec itaque fuerunt fomenta discordie inter Petrum Regem, et Hungaros. ¹²⁾

¹⁾ Lege, hirundinum.

²⁾ Sumitur pro ea obligatione, qua Capitanei iubentur arcibus regiis praeesse, et eas custodire.

³⁾ Satellites dicebantur, qui custodiae dominorum suorum adstricti erant. Gloss.

⁴⁾ Principes dicti, quotquot in ordine aliquo primarium locum obtinent; ita appellati etiam Comites, et Regni Barones.

- ⁵⁾ Iudices clarissimi, seu Proceres. Magnates, Comites.
⁶⁾ Spectabilis titulus dignitatis inter illustris, et clarissimi medius.
⁷⁾ Iudex pedanens, seu inferior, qui minora iudicia exercet.
⁸⁾ Villici, Civitatum, Oppidorum Iudices.
⁹⁾ Potestates, Primores.
¹⁰⁾ Angaria, onera rebus, ac personis imposita; item quaelibet coactio, vexatio, iniuria. etc. Angarii porro dicebantur, qui servitia praestabant propriis expensis. Gloss.
¹¹⁾ Angariare, compellere, vel iniuste regere. Gloss.
¹²⁾ Sanctus igitur Stephanus, cui mores Petri non ignoti fuere, ex ipsius indole mala non pauca Hungaris auguratus; prae cognatis tamen absentibus, in illius electionem, moriturus, consensit, ne Stirpis Arpadianae successio in alios devolvatur.

Et Samuel Aba, S. Stephani sororis maritus, Palatii Comes, ei sufficitur. Anno 1041.

Anno igitur Petri Regis tercio, Principes Hungarorum, et Milites ¹⁾ consilio Episcoporum convenerunt adversus Petrum Regem, et solícite querebant, si aliquem de regali progenie, in regno tunc invenire possent, qui ad gubernandum regnum esset idoneus, et eos a tyrannide Petri liberaret. Cumque neminem talem in regno invenire potuissent, elegerunt de semet ipsis quemdam Comitem, ²⁾ nomine Abam, sororium ³⁾ Sancti Regis Stephani, et eum super se Regem constituerunt. Aba vero congregato Hungarorum exercitu, contra Petrum Regem processit preliaturus. Petrus autem Rex videns se Hungarorum auxilio destitutum, vehementer expavescens, transfugit in Bavariam, Henrici Regis Teutonicorum adiutorium imploraturus. ⁴⁾ Petro itaque per fugam de manibus Hungarorum elapso, Hungari sceleratissimum Budam barbarum, ⁵⁾ omnium malorum intentorem, ⁶⁾ cuius consilio Petrus Hungariam afflixerat, in frustra concidentes, interfecerunt, et duorum filiorum suorum oculos effoderunt. Sebus autem, qui oculos Vazul eruerat, confractis manibus et pedibus peremerunt; ⁷⁾ quosdam vero lapidibus obruentes, alios autem in manganis ferreis ⁸⁾ ceciderunt vastantes.

1) Milites, seu Nobiles, Regi in militari dignitate servientes; ideo apud nos etiam servientes Regis dicti; hodieque Iudex Nobilium Szolga Biró audit. Habebant autem Praelati quoque, ac Regni Barones servitio militari obnoxios; Ecclesiasticorum militum memoria hodieque in Praedialibus Nobilibus viget.

2) Erat is Comes Palatinus, seu qui in Regio Palatio Iuris auctoritate iudicum officio fungebatur, nostra aetate unde Palatinus.

3) Sororius, sororis maritus, vel uxoris frater. Gloss. hic sororis maritus intelligitur; Samuel Aba enim Comes Palatinus Saroltam S. Stephani sororem habuit coniugem, eratque, Anonymo Belae Regis notario teste, Cap. X. et XXXII. Cumanus. Conf. Ungr. Magaz. Theil IV. S. 339.

4) Henrici nempe III. qui a crinium colore niger nuncupabatur, cepit an. 1039. Bodfeldiae, Saxoniae oppido, buccella panis grandiori suffocatus an. 1056. aetatis 39.

5) In aliis Codicibus pro barbato, barbarus; quae vox aevi medii scriptoribus, alienigenam, extraneum, significat.

6) Lege: incentorem.

7) Confutatur illorum opinio, qui Vazulem, Andream item, Belam, ac Leventam e quatuor illis Palatinis fuisse coniiciunt, qui in vitam S. Stephani conspirarunt; si enim Vazul perduellionis reus fuisset, Hungari profecto Episcoporum consilio, in comitiis congregati, mortem eius non vindicassent. Per quatuor Palatinorum nobilissimos autem intellige Regni Barones. Vide Hartvici Legendum S. Stephani p. 83. sunt, qui totidem Hungariae Palatinos fuisse statuant.

8) Mangana, machinam et instrumentum bellicum denotat numero multitudinis. Gloss.

Expulso Rege Petro de Regno, Aba Rex consecratur.

Samuel Aba inauguratus, Petri Constitutiones revocat, et Henricum III. Imp. ob electum Petrum placaturus, ad eum nuncios destinat Anno 1042. quos Caesar, quum inclemnetius haberet, bellum ei indicit.

Aba vero regali potestate sublimatus, consecratus est in Regem. Omnes autem constitutiones, et exactiones, quas Petrus Rex, secundum consuetudinem suam statuerat, Aba Rex in irritum revocavit; in hiis autem rebus gerendis tres, de Principibus Regni precipui fuerunt, unus vocabatur Viske, secundus Toyzlan, tertius vero Pezli, qui

libertatem gentis sue querebant, et regnum regali semini feliciter restituere nitebantur. ¹⁾ In tercio vero anno Regis Abe, Petrus cum Henrico rege Teutonicorum descendit cum exercitu magno contra Abam Regem. Rex igitur Aba, audiens Petrum ab Hungaris derelictum, et ab Henrico Rege Teutonicorum benigne susceptum, Anno Domini millesimo quadragesimo secundo misit nuncium ad Cesarem, ut perquireret, an inimicaretur ei pro eo, quod Petrum de regno expulerat? an etiam pacem stabilem cum eo posset habere? Cui Cesar in respondendo se inimicum esse ostendit, dicens: quia meos ²⁾ iniuriis lacessuit; quid, vel quantum possum? ipse sentiet. Rex Aba hiis auditis, intellexit, quod Cesar intenderet Petro regnum restituere; inflammatus ira, congregatoque exercitu magno, invasit Austriam, et Bavariam, et ex utraque parte Danubii fluminis, bipertitis alis pugnatorum fortium, percussit eos in ore gladii. Tulit itaque spolia eorum, et plurimos captivos ex eis secum trahens a flumine, quod vocant Treysama, ³⁾ pertransivit captivando usque civitatem Tullinam, ⁴⁾ in qua pernoctavit. Factum autem est hoc in secunda feria sexagesime ⁵⁾ a crepusculo usque noctem. Mane autem facto, cum innumerabili multitudine captivorum in Hungariam reversi sunt gaudentes. ⁶⁾

¹⁾ Quia Petrus, et Aba, viventibus Ladislai Calvi filiis, regnandi ius non habuere; eapropter tempus, per quod regni habenas tenuerunt, in Chronico Magno Varadinensi interregnum appellatur: „mortuo autem S. Stephano Rege, regnum vacavit — regimine annis undecim, mensibus quatuor et medio.“ — Andreas quoque II. Rex in an. 1235. diplomate apud RR. Fejér Cod. Dipl. Tom. III. p. 423. Andream huius nominis Primum, ordine Secundum Hungariae Regem nominat.

²⁾ In autographo typi errore: modos.

³⁾ Treysama, hodie Traun in Bavaria.

⁴⁾ Urbs Austriae prope Tulnae amnis Danubium subeuntis ostium sita, quam Aba rex an. 1042. oppressit, atque expilavit.

⁵⁾ Sexagesima, seu Dominica Exurge, quae anno 1042. in diem 15. Februarii incidit.

⁶⁾ Haugeni Chron. Lib. II. Cap. 25. „Denselbigen zoch Marggraff Otacker von Steyr, — entgegen erlangt die Vngerischen, so sich mit einem grossen rawb beladen hetten, bey der stat Petau, greift die an, erschlug die Vngern fast all, vnd name in den raub, vnd die gefangen wider.“

*Carinthiam depraedatur; et Henricum in Hungariam
incursurum muneribus placat Anno 1042.*

Post hec misit bellatores fortes in Carinthiam, qui plurimos captivos ibidem ceperunt, et in Hungariam redierunt. Eo tempore Cesar Pascha Domini Colonie celebravit, et cum Principibus suis consiliatus est, qualiter regno suo iniuste illatam ab Hungaris iniuriam deberet vindicare? Qui concorditer ei consuluerunt, ut Hungaros, qui sine causa regnum suum hostiliter irruperant, armis invaderet, et captivos suos ab eorum servitute liberaret. Movit itaque expeditionem ingentem, et consilio Wratislavi Ducis Bohemorum, ex aquilonari parte Danubii venit ad confinium Hungarie; legati vero Hungarorum promiserant Cesari: quod Hungari in omnibus starent ad mandatum eius; nisi quia Petrum in Regem non susciperent. Quod tamen Cesar summopere perficere affectabat; obligatus enim erat Petro promissione, quod ei regnum restitueret: Hungari vero nullatenus consenserunt, et missis muneribus, data quoque fide, quod captivos Teutonicorum abire permetterent; Cesar rediit festinanter contra insultus Gotfridi Ducis Lotoringorum, filii Ducis Gozzilonis. ¹⁾

¹⁾ Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. I. p. 637—638. non hanc accelerati reditus ab Henrico causam assignat; quod Gozelo dux Lotharingiae post biennium primo, seu an. 1044. diem suum obierit.

*Ad Henricum rursus Legatos mittit, eumque muneribus
placatum, ab Hungaria arcet Anno 1043.*

Sequenti anno Aba Rex, missis legatis ad Cesarem, que pacis sunt, querebat, promittens captivorum dimissionem, quos habebat, eorum vero, quos reddere non poterat, condignam compensationem. Cesar vero noluit pacem componere, donec in Bavariam veniret, ut qui per Hungaros iniuste lesi fuerant, compositioni pacis interessent. Venit ergo Cesar ad terminos Hungarie, et in crastinum ¹⁾ expugnare disposuit obstacula, ²⁾ quibus Hun-

garl fluvium Rabcha³⁾ concluderant. Interim vero a legatis Abe Regis rogatus est Cesar, ut competentem terminum figeret, in quo omnes captivos ei remitteret, et donaria ei insuper daret. Cesar itaque allectus muneribus, et aliis gravioribus negotiis prepeditus, ⁴⁾ rediit Bizantium, ⁵⁾ quod est oppidum Burgundie. ⁶⁾

¹⁾ Crastinum vocabatur dies, qui subsequitur.

²⁾ Obstaculum, Agger aquis oppositus. Gloss.

³⁾ Rábczam amnem emittit lacus Peiso, et ad Iaurinum cum Danubio confluit. Haugen Lib. II. Cap. 25. „Darauff der Kaiser mit grosser macht für vnd für zoch, vnd legert sich bey Odenburg, vnd daselbst ab nach der Rab mit den seinen.“

⁴⁾ Lambertus Schaffinaburgensis ad an. 1043. „reversus, nuptias celebravit in Ingelheim.“

⁵⁾ Bisontium, vulgo Besanson.

⁶⁾ „Das ward — Anno Domini 1043.“ — Ioan Haugen Lib. II. Cap. 25.

Optata pace fruens, in Hungaros saevit Anno 1043.

Ex hinc itaque, Rex Aba securitate accepta, factus est insolens, ¹⁾ et cepit crudeliter sevir in Hungaros; arbitrabatur enim, ut omnia communia essent dominis cum servis. ²⁾ Sed et iusiurandum violasse pro nichilo reputabat. ³⁾ Nobiles enim Regni contemnens, habens semper cum rusticis, ⁴⁾ et ignobilibus commune. ⁵⁾ Hungari vero Nobiles nolentes ei id sustinere; exacerbationem eius moleste ferentes, conspirarunt et coniuraverunt, ut eum occiderent. Quidam autem ex ipsis notificavit Regi in necem eius coniuratos, ex quibus eos, quos potuit, captos fecit interfici, sine iudicii examine, quod in magnum Regis detrimentum versum est. Cum enim Rex Chanadini, ⁶⁾ quadragesimam celebraret, in eadem quadragesima, circiter quinquaginta viros nobiles, sub pretextu consiliandi, in quadam domo conclusit, et ab armatis militibus fecit eos obtruncari nec contritos, nec confessos. Unde Beatus Gerardus canonica severitate Regem corripuit, et sibi periculum imminere predixit. ⁷⁾

¹⁾ Insolens, arrogans; qui tamen Anonymo B. R. N. teste, Cap. XXXII. Aba, Apa, id est: Pater, a pietate sua nomen reperit.

2) Id est: arbitrabatur Nobiles Servis aequales esse.

3) Hoc documento est, Hungariae Reges inaugurationis tempore ad observandas Regni libertates se se iuramento obstrinxisse.

4) Rustici, seu servi, et coloni glebae adscripti, qui proinde in commercio erant.

5) Communis, seu amicus; item qui alteri assentitur, praeterea accessu et affatu facilis.

6) Csanadinum cognomini Provinciae, ac Episcopatui per S. Stephanum an. 1036. erecto nomen mutuavit; primus Dioecesi huic Episcopus praefuit S. Gerardus, S. Emerici Ducis Mentor, ex Ordine S. Benedicti antea monachus. De hac urbe Bela IV. Rex in diplomate apud RR. Fejér Cod. Dipl. Tom. III. p. 364. „S. Martyris Gerardi, tunc Morosiensis Episcopi, quod modo nos Csanadinum dicimus.“ — a Marusio amne videtur ita appellata fuisse.

7) Haec in Legenda S. Gerardi Episcopi et Martyris, quam Ill. Episcopus Transsilv. Comes Ignat. de Batthyány Albo Carolinae an. 1790. in 4-to edidit p. 343—345. „Alba (Aba) comes palatii deiecto Petro, regalem coronam, et aulam regiam sibi usurpavit; quo regnante, ut ait Propheta, sanguis sanguinem tetigit, et peccatum peccato adiunctum est; nam sanctis quadragesime diebus honestissimos quosque sui consilii viros fustibus et palis — ausus est interficere, qui cum ad sedem Morisenam (Csanadinum) venisset paschalia sacramenta celebraturus, die vero Dominice resurrectionis mittens principes et episcopos ad beatum pontificem, ut per manus ipsius imponatur dyadema regi super caput eius, ipsum beatum Gerardum cepit invitare, quo renuente, et venire nolente, episcopi, qui aderant, ipsum coronantes, cum magno ornatu et comitatu cleri, et populi in Ecclesiam introducant; at vir Dei — cepit regem de sua crudelitate intrepidus redarguere — ventura tibi prenuncio, ecce anno futuro tercio excitabitur in te gladius ulcionis, qui a te auferet regnum per te fraude acquisitum.“ — Hanc coronationem domestici scriptores passim pro inauguratione accipiunt. Verum Fleurius Hist. Eccl. Lib. 59. §. 45. p. 331. docet praecipuorum festorum illam fuisse olim statim solennitatem, ut Reges omnibus festis maioribus, quae in consortio Episcoporum celebrare solebant, ab Episcopis coronam acciperent.

Laesi itaque Proceres ad Henricum confugerunt, Abamque incusant; qui bello adortus, misere vitam finit

Anno 1044.

Quidam itaque ex coniuratis propter hoc magis incitati, fugientes venerunt ad Cesarem, oblocuti sunt ¹⁾ contra Abam dicentes: quod pro nichilo iuramentum repudaret, Nobilesque, qui eum Regem super se constituerunt,

contemneret, ac cum rusticis, et ignobilibus ederet, equitaret, et continue loqueretur. ²⁾ Quibus dixit Imperator: ista etenim consuetudo non est nobilis, sed eius oppositi. Ipsum igitur Cesarem efficaciter instigaverunt, ut super Abam Regem iniuriam vindicaret; quia nec captivos suos remiseret, sicut Cesari iuraverat: nec illata damna resarciret. Cesar itaque armatus, instigationibus Hungarorum cum exercitu Norico, ³⁾ et Bohemico, et Flandris, aulicorum suorum bellicosissimis, venit in Marchiam Austriae, ⁴⁾ dissimulans se intraturum in Hungariam; simulans autem se pactum ab Aba Rege exacturum, et reversurum. Tunc legati Abe Regis venientes ad Cesarem, repetebant Hungaros, qui ad eum fugerant, conquerentes et dicentes: quod ipsi essent predones et latrunculi Regni ⁵⁾ Hungarie, et precipui incentores guerrarum ⁶⁾ et discordie inter Hungaros, et Cesarem, qui Cesari fideliter obsequerentur; ideoque huiusmodi seminatores discordie tradi oportere in manus Abe Regis Hungarorum. Quod Cesar nullo modo se facturum spondit respondendo. Concitato itaque cursu, invasit fines Hungarie, intrans per Sopronium, et cum vellet per Bobuch ⁷⁾ Rabcha pertransire fluvium, Rabcha stagnantibus aquis, et densissimis nemoribus, scaturientibusque paludibus, impermeabilem transire non potuit. Hungari ergo, qui erant cum Cesare, et Petro Rege, duxerunt exercitum tota nocte equitantes sursum iuxta fluvios Raba, ⁸⁾ et Rabcha, quos illucescente sole facile transierunt. Occurrit autem ei Aba Rex in Manfeu iuxta Iaurinum, ⁹⁾ cum magna multitudine armatorum, nimium presumens de victoria; quia Bavari quidam intimaverunt ¹⁰⁾ ei, quod Cesar super eum cum paucis veniret; et, ut dicitur, Aba Rex victoriam habuisset, nisi quia Hungari quidam amicitiam Petro Regi reservantes, super terram sua vexilla proiecissent, et fugissent. ¹¹⁾ Tradunt autem Teutonici, quod cum ad prelium appropinguassent, cum celesti signo ¹²⁾ nebula tenuis apparuit, turboque vehemens divinitus incitatus, terribilem pulverem obtutibus ingessit Hungarorum, quos iam pridem, ut dicitur, quia Petrum Regem suum dehonestaverant, Dominus Aposto-

licus, anathemate damnaverat feriendo. ¹³⁾ Commisso igitur prelio, inter utrumque exercitum diu, et acriter pugnatum est. Sed tandem Cesar, divino fretus auxilio, felicem obtinuit victoriam. Aba vero Rex devictus, fugit versus Tysciam, et in villa quadam in scrobe ¹⁴⁾ veteri ab Hungaris, quibus regnans nocuerat, crudeliter iugulatur. ¹⁵⁾ Cuius quidem corpus est sepultum in Ecclesia, que fuerat prope ipsam villam. Post aliquos autem annos, cum esset effossum de sepulchro, sudarium, ¹⁶⁾ et ipsius vestimenta invenerunt incorrupta, et loca vulnerum resanata; tandem sepelierunt corpus eius in proprio monasterio ¹⁷⁾ in Sarus. ¹⁸⁾ Cesar autem reversus ad castra, ante sacrosanctum lignum saluti fere crucis se humiliter, ac devote prostravit discalceatus ad pedes, cilicio ad carnem indutus, una cum omni populo suo misericordiam Dei glorificavit, que ipsum illo die liberavit de manibus Hungarorum. Ex Teutonicis enim illo die, in illo loco, ¹⁹⁾ infinita corruit multitudo, ita, quod idem locus usque hodie Ferlorun Payr ²⁰⁾ in eorum lingua: in nostra autem lingua Vezett Nemet nominatur. ²¹⁾ Ob fetorem namque mortuorum per duos menses homo non poterat bono modo per partes illas transire; sagittarii enim occiderant illos.

¹⁾ Oblocuti sunt, i. e. accusarunt; loquela enim aevo medio causam agere, litem movere significabat.

²⁾ Id est: consultaret.

³⁾ Noricum ab occasu habuit Oenum fluvium, a septemtrione Danubium, ab ortu Montem Cetium, qui Pannoniam Superiorem determinat a Norico; a meridie Savum, et Alpes Noricas. Claudebatur proin in se hodiernam Superiorem, ac Inferiorem Austriam, Styriam, Carinthiam; partem Carnioliae, Bavariam, Tyrolim, et Ducatum Salisburgensem. Distinguebatur autem Noricum in Ripense, quod Danubium contigit: item Mediterraneum, Italiam versus remotum.

⁴⁾ Marchia, Provincia limitanea; hinc Marchio, qui fines regni tuetur. — Regni limites, quas marchas vocamus. Gloss.

⁵⁾ Latrunculi, seu Bisseni. Conf. Stephani Horvát Dissert. in an. 1834. Tudományos Gyűt. Tom. XI. p. 120. et sequ.

⁶⁾ Guerra, Bellum.

⁷⁾ Babot in Soproniensi Provincia.

8) Rába ex finibus Styriae regno adlabitur, perluitque Provinciam Castriferrei, inde Soproniensi adfusus, currit in Iaurinensem, ubi sub ipsa urbe exit in Danubium.

9) Manfeu iuxta Iaurinum, hodie Praedium Mэфő in Iaurinensi Provincia. Turótzii Chronicon non rite Mensew,

10) Intimare, notum facere,

11) Quemadmodum Vexillum pandere signum fuit subeundae pugnae: ita Vexilla submittebantur, ac proiciebantur in signum deditiois.

12) Signum nude, pro Signo Crucis videtur acceptum.

13) Benedictus IX, valde tamen dubito, ut id contigisset,

14) Ita, pro scrobe; Chronicon Turótzii „in scrobe.“ Simon de Keza „in villa quadam, in scrobe veteri — iugulatur.“ Scrobs hic pro carcere accipitur; Scroba, fossa ferraricia, a Latinis Scrobs, inquit Du Fresne, unde etiam Matisconensibus Crob, et aliis Croton, interior carcer,

15) „Haugen Lib. II. Cap. 26: „König Aba floch mit etlich wenigen vber die Dunav der Taissa zu, vnd ward daselbst in einem dorff, von denen, den er vormals ir gut genommen, vnd ir freundt tödten lassen het, erschlagen.“

16) Sudarium est veli, quo caput tegitur, species,

17) Monasteria dicebantur non modo ipsa Coenobia: verum etiam Capellae, seu Sacella circa basilicas aedificata, in quibus defunctorum corpora sepeliebantur, cum ea intra basilicas ipsas sepelire nondum liceret, Gloss.

18) Sarus, ita passim in Chronicis; si Turótzianum, et Posoniense demas, in quibus Saar scribitur; eratque Abbatia O. S. Benedicti per Samuelem Abam an. 1042. in honorem B. M. V. fundata, in Hevessiensi Provincia ad cognominem locum Saar, Oppido Gyöngyös vicinum, sita.

19) Nempе Mánfő, hodie Mэфő ad Rabam amnem infra Iaurinum.

20) Verlorun Payr, i. e. Perditi Bavari,

21) Memoratu dignum, Germanos ab Hungaris Németek compellari, cum tamen Tacito teste, De Morib. Germanor. Pars tantum Germanorum, Rhenum colentium, Nemetes dicta fuerit,



**Aba mortuo Rege, Petrus Rex plenarie regali
corone restituitur.**

*Henricus victor Petrum Throno, Regnoque restituit
Anno 1014.*

Interea Hungari congregati in unum, supplices venerunt ad Cesarem, veniam et misericordiam implorantes: quos Cesar placido vultu et benigne suscipiens, quod rogabant, concessit. Indequē cum omni multitudine sua Albam venit, quae Teutonice Weyzenburg dicitur, et est principalis Sedes Regni Hungariae. Ibi ergo Cesar imperiali honore, et latissimo preparatu, ab Hungaris est honoratus. Petrum Regem regali corone plenarie restitutum, et Sacris Insignibus Sancti Regis Stephani, ¹⁾ more regio decoratum, in regali throno, manu sua deducens, in Basilica Genitricis Dei semper Virginis Marie, regaliter sedere fecit: et ibidem Regem Hungaris, et Hungaros, Regi reconciliavit; concessitque petentibus Hungaris, Hungarica Scita ²⁾ servare, et consuetudinibus iudicari. Hiis itaque taliter ordinatis, Cesar, Petro Rege cum presidio suorum, ³⁾ in Hungaria relicto, cum optata prosperitate Ratisponam rediit.

¹⁾ Clenodia, seu Insignia S. Stephani fuerint, Corona, Vexillum S. Stephani, et Crux Duplicata, nec non Lancea dono Ottonis III. Imp. reliquiis ex clavis Domini, et Lancea, S. Mauritii exornata.

²⁾ Hungarica Scita, scientiae, cognitiones, notitiae, leges, consuetudines.

³⁾ Praesidium, custodes.

Petrus Hungariam Caesari tributariam facit Anno 1045.

Sequenti quoque anno reversus est Cesar in Hungariam, cui Petrus Rex, ipse ipsa Sancta Solemnitate, ¹⁾ Regnum Hungariae cum deaurata Lancea tradidit coram Hungaris, simul et coram Teutonicis; ²⁾ multis etiam insuper, et magnificis muneribus Cesar honorificatus a Rege, ad propria rediit cum gloria.

¹⁾ Turótzii Chronicon: „in ipsa sancta paschali solemnitate“ inquit; Hermannus autem Contractus id in festivitate pentecostes contigisse scribit.

2) Per Lanceam, velut investituræ symbolum, Regna plerumque tradita, et accepta sunt; Sigebertus Gemblacensis ad an. 1043. „Henricus imperator iterum Hungariam ingressus, cum paucis Abbonem regem de bello fugavit, et lanceam insignem regis recepit.“ Meminit eiusdem etiam Arnulfus Mediolanensis scriptor synchronus apud Murat. Tom. IV. p. 22. quum de Henrico III. haec perhibet. „Cum Ungaris — confligebat; de quibus — nobiliter triumphavit — Cuius unum insigne trophaeum, aurata indicat lancea, Ungarorum regi violenter extorta, et Romae in apostolorum templo suspensa.“ — Existimant multi, quod ne nostri quidem scriptores occultant, regnum Hungariae stipendiarium fuisse factum Henrico; cui scilicet id Petrus, si restitueretur, pollicitus fuerit. At vero, quod is se solo, ac invitis Hungaris, grati animi sui ergo, offerre Caesari ausus est, id ad Gentem universam non pertinet; cuius adsensus, ut homagium esset legitimum, erat necessarius. Iam vero id citra Hungarorum voluntatem accidisse, eventus docuit; nam Optimates Hungari, accersitis Ladislai Calvi filiis, Petrum, ut Regni proditorem, oculis, ac vita privarunt. Qua de re in Legenda S. Gerardi Episcopi, p. 346—347. „Cum ergo maxima discordia orta fuisset inter Petrum Regem, et Ungaros, Ungari miserunt solempnes nuncios post filios Wazul, Endre, Bela, et Leventhe, qui erant de genere Sancti Stephani, petentes eos, ut de Polonia ad Ungariam venirent, sicque Bela ibidem remanente, Endre, et Leventhe ad Ungariam venerunt, confluxitque ad eos universa multitudo Ungarorum.“ — Atque hoc est, quod praecipue adversariorum causam affligit, quod consensisse Proceres, liquido docere non possint. Ceterum Lancea haec eadem fuerit, de qua Ademarus apud Labb, Biblioth. MSC. Tom. II. p. 168. loquitur: „Otto Imperator (S. Stephanum Regem Hungariae) a baptismate excepit — Dans ei licentiam ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est; et reliquias ex clavis Domini, et Lancea S. Mauricii ei concessit in propria Lencea.“

Exulum, Andreae, Belae, ac Leventae Ducum fata.

Interea Endre, Bela, et Levente, qui fugerant in Bohemiam, inde, propter paupertatis necessitudinem, transierunt in Poloniam, et a Miska Duce Polonie ¹⁾ benigne sunt suscepti, et honorati. ²⁾ Tunc vero Pomorani annuas pensiones ³⁾ Duci Polonorum, cui tenebantur, reddere recusarunt. Dux vero censum sibi debitum a Pomoranis armata manu cepit exigere. Pomoranis itaque paganis, et Polonis Christianis communiter placuit, ut Duces eorum duello ⁴⁾ conflicerent, et si caderet devictus Pomoranus,

consuetam persolverent pensionem: si vero Polonus, tantummodo damna fleret. Cum igitur tam Miska Dux, quam filii eius horrerent duellum assumere impositum; Bela se ipsum per verba interpretis, ⁶⁾ in medium introducens, sic dicebat: „Si vobis Polonis, et Domino Duci placet, quamvis sim nobilior, ⁶⁾ quam paganus ille; tamen pugnabo pro Regni vestri commodo, et honore Domini Ducis.“ Placuit itaque tam Pomoranis, quam Polonis. Cumque armata cum lancea se iunxissent, tam viriliter Pomoranum fertur Bela de suo dextrario ⁷⁾ detrusisse, ut de loco suo se movere non potuit, et gladio perfossum prostravit; confessusque est ipse Dux Pomoranus, se culpabilem. Quo viso, Pomorani Duci Polonie humiliter subditi, solitum tributum, sine contradictione, persolverunt. Dux vero inde convertens cum victoria acquisita, audaciam et potentiam valoris ⁸⁾ in Bela Duce collaudans, cum toto Censu Pomoranico ei tradidit filiam suam in uxorem, ⁹⁾ et universa, que sibi necessaria fuerant, sufficienter et copiose ministrari precepit, et eum in omnibus honoratum, in Ducatu suo tenuit, ac bona quantitate, de terra eundem hereditare ¹⁰⁾ non obmisit.

¹⁾ Erat hic Micislaus II Boleslai I. filius, patri mortuo anno 1025. suffectus.

²⁾ Boleslaus enim Dux Poloniae Iuditham, S. Stephani sororem an. 984. accepit uxorem, postea repudiatam.

³⁾ Pensio, annua praestatio.

⁴⁾ Duellum, bellum, proprie Monomachia, seu singulare certamen, quo ambiguae disceptationes dirimebantur.

⁵⁾ Quod Bela, Hungarus, linguam Polonicam haud calleret; videtur hoc bellum statim post eius fugam, quae anno 1032. contigit, gestum esse; nec ultra annum 1034. differri posse: quum Micislaus, sub quo haec acta sunt, an. 1034. obierit. Hanc pugnam Cromerus quoque Rer. Polon. Lib. III. confirmat, in eo tamen errat, quod eam post S. Stephani obitum contigisse innuat.

⁶⁾ Nobilis, i. e. Dominus. Nobilior autem, et Nobilissimus erat Epitheton honorarium, tributum Regum, ac Imperatorum filiis. Gloss.

⁷⁾ De equo, ut iam alias innui.

⁸⁾ Potentia valoris, Strenuitas, virtus bellica, valorosus, fortis, strenuus. Gloss.

⁹⁾ Nomine Richsam, Richesam, seu Elisabetham matrem gloriosissimorum Geysae I. ac S. Ladislai Regum.

¹⁰⁾ Hereditare, investire.

Bela Dux ceteris fratribus felicior, in Polonia filios generat: extorres autem bini fratres, superatis vitae periculis, in Russiam proficiscuntur.

Bela vero Dux ipse in Polonia duos filios genuit, quorum unus Geycha, alter autem Ladizlaus, nomine avi sui est vocatus. ¹⁾ Displicuit autem Endre, et Levente, quod per Belam apud Ducem Polonie quasi appendices ²⁾ degerent, dedignatique sunt occasione sui nominis ³⁾ in Ducis curia permanere. Et accepta a Duce licentia, Bela fratre suo ibidem relicto, euntes venerunt ad Regem Lodomerie, qui ipsos non recepit. Cumque non haberent, ubi caput suum reclinarent; abinde ad Cumanos perrexerunt: videntes autem ipsos Cumani optime personatos, ⁴⁾ arbitrati sunt, ut eorum terram advenissent explorare; et nisi captivus Hungarus illos cognovisset, revera occidissent: et sic postmodum aliquo tempore ipsos tenuerunt. Ab hinc postea in Rusciam sunt profecti. ⁵⁾

¹⁾ Bela erat Ladislai Calvi filius, S. Ladislai vero avus.

²⁾ Appendices, vita posteriores, conditione sua dependentes, et servi; nec non aliorum beneficio, gratia, quasi ex eleemosyna victitantes. Gloss.

³⁾ Occassione sui nominis, i. e. famae, ac generis; hinc nominativus, noninuosus idem, ac famosus, celeberr etc.

⁴⁾ Personatus, in dignitate aliqua constitutus. Gloss.

⁵⁾ Quia, ut Turótzii Chronicon innuit: „Isti filii sunt Calvi Ladislai, qui uxorem de Ruthenia dicitur accepisse, ex qua tres isti fratres generati.“

Optimates, traditione Regni Henrico facta, offensi, rursus de exautorando Petro consilia ineunt
Anno 1046.

Eodem tempore, quidam Magnates Hungarie, desolatione Regni gementes, et liberationem eiusdem a tyrannide Petri ¹⁾ cupientes; Endre, Bela, et Levente, qui de genere Sancti Regis Stephani erant progeniti, intemperatam fidelitatem servabant, erant autem isti Magnates: Visca, Bua, et Buhna, ²⁾ et alii eorundem cognati, qui semper cum suspiriis et gemitibus expectabant opportunum tempus, quando Andream, Belam, et Levente posent

reducere in Hungariam, et Regnum generi Sancti Stephani Regis, qui eos dilexerat et exaltaverat, omnibus viribus suis restituere laborabant. Petrus vero Rex per potestatem Regis Teutonicorum elatus, non iam regnabat, sed potius tyrannidis sue crudelitate Hungariam, deprimendo, ³⁾ flagellabat. Quibusdam autem perfidis Buda scilicet, et Devether suggerentibus, audiuit Petrus, quod predicti nobiles Hungarie Visca, Bua, et Buhna, et eorum cognati cogitabant, qualiter Regnum regio semini possent restituere, et Andream, Belam, atque Levente contra Petrum Regem in Regnum reducere. Ideoque Petrus Rex vehementi furore succensus, fecit eos comprehendi, et in eculio ⁴⁾ suspensos interfici; quosdam autem effossis oculis, tormentari, ⁵⁾ et totam Hungariam tam magnis afflixit angustiiis, ut magis eligerent mori, quam ita miserabiliter vivere.

¹⁾ Tyrannus, non modo Rex pessimus atque improbus; sed etiam Dominus feudi; hic sensus bene congruit Petro, Hungariam Henrico III, stipendiariam facienti.

²⁾ Bue et Bucne filii Gyulae Transilvani, Vide Anonymi. Belae Regis Notarii Cap. XXIV. et XXVII.

³⁾ Deprimere, pristino libertatis statu exuere.

⁴⁾ Eculus, Equuleus, seu patibulum, furca.

⁵⁾ Tormentare, torquere; est autem Tormentum omnium intestinorum vexatio. Gloss.

Et Csanadini congregati, clam Petro, nuncios ad extorres Regni successores mittunt.

Tunc Nobiles Hungarie videntes mala gentis sue, in Chanad in unum convenerunt, consilioque habito totius Hungarie, nuncios miserunt solemnes in Rusciam ad Andream, et Levente, dicentes eis, quod tota Hungaria eos fideliter expectaret, et universum Regnum eis, sicut regali semini, libenter obsequeretur, tantummodo ipsi in Hungariam descenderent, et eos a furore Teutonicorum defenderent. Hoc etiam iuramento firmaverunt: quod statim, ut ipsi Hungariam introirent, omnes Hungari unanimiter ad eos confluerent, et eorum dominio se subde-

rent. 1) *Endre vero, et Levente timentes palliatas insidias, clanculo miserunt nuncios in Hungariam.* 2)

1) Haugen Chron. Lib. II. Cap. 29. „Als aber die Vngerisch pottschafft in Reussen zu Andrea vnd Leventa kame, funden sie die nach haidnischer art die Abgotterey anbetten, vnd das die auch den waren Christlichen glauben verlassen hetten, nichts destweniger wurben sie ir pottschafft, vnd begerten, das sie mit in zihen, vnd das Vngerisch reich einemen wolten, vnd wiewol sie sich des anfangklichen entsetzten, vnd ein argwon hetten, solchs geschech in neid sie also zu verführn. Da aber ein pot nach dem andern kam, vnd in zusagt, vnd vertröstet wurden, das alle Ungern wern geneigt vnd willig den Christlichen glauben zuverlassen, vnd den Haidnischen, in zugefallen, anzunemen. Mit der vnd ander vertröstung prachten sie die auff, vnd zugen eylend in Vngern.“

2) *Insidias putabant per Petrum regem sibi strui.*

Andream, ac Levente reduces cum tripudio plebs excipit, ad avitasque superstitiones redeundi veniam flagitat.

Cum autem venissent ad Novum Castrum, quod Aba Rex construxerat; 1) ecce universa multitudo Hungarorum catervatim confluit ad ipsos, et instinctu diabolico inflammati, pervaciter petiverunt ab Endre, et Levente: quod permitterent universum populum ritu paganorum vivere, Episcopos, et Clericos occidere, Ecclesias destruere, Christianam Fidem abiicere, et ydola colere. 2) Permisseruntque eos secundum desideria cordis eorum, ut irent, et perirent in adinventionibus antiquorum patrum suorum; aliter enim non pugnabant contra Petrum Regem pro Endre, et Levente. 3)

1) Novum Castrum a suo conditore hodiedum Aba Új-Vár audit, totique cognomini Provinciae nomen indidit.

2) Haec, et quae sequuntur, totidem verbis Biographus S. Gerardi Episcopi ac Martyris e Chronicis excerptis. Nec omnes Hungaros hoc malo abreptos fuisse constat; quum per populum vulgus ac plebecula intelligatur, et auctor Legendae S. Gerardi, et Chronographus noster memoriae prodiderit „Benetam Episcopum per Endre Ducem fuisse liberatum.“ item „Ducem Endre in Alba coronatum precepisse universe genti sue sub pena capitalis sententiae, ut deposito paganorum ritu, ad fidem Christi converterentur,

et secundum statuta Sancti Regis Stephani viverent, quod et ita factum est, ipse enim rex, pietate valde Christianus, duo monasteria construxit.“ —

³⁾ Impia haec plebeculae postulata non modo in Aba Új-Vár, sed etiam in Civitate Pesth, Andreae, ac Leventae fuisse proposita, biographus S. Gerardi scribit; postulata nimirum, quae primum in Aba Új-Vár proposuerunt, in Pesth obstinatius repetivere; quae Andreas profecto admissurus non erat, si seditiosos valida manu reprimere ac compescere potuisset: conniventiae igitur argui non potest, in eos casses inductus, unde pedem efferre non posset, nisi non tantum regno, sed vita quoque periclitari voluisset. Et si etiam haec pericula subiisset, foedam tamen tempestatem, qua funestiore Hungaria ante hac non vidit, coercere non potuisset. Haec itaque mala Petri, et Samuelis Abae regnandi imperitia innoxia.

Hos inter Vata antesignanus, quo duce plerique a Fide Catholica deficiunt.

Primus autem inter renatos, ¹⁾ nomine Vata, ²⁾ de Castro Belus, ³⁾ dedicavit se demoniis, radens caput suum, ⁴⁾ et cincinnos demittens sibi per tres partes ritu paganorum; ⁵⁾ cuius filius nomine Ianus multo postmodum tempore ritum patris sequendo, congregavit ad se multos Magos, et Phitonissas, et Aruspices, ⁶⁾ per quorum incantationes ⁷⁾ valde gratus erat apud Dominos. De multis autem Deabus suis una nomine Rasdi capta fuit a Christianissimo Rege Bela, ⁸⁾ et tamdiu in carcere fuit reclusa, donec comederet pedes proprios, ibidemque moreretur. Est autem scriptum in antiquis Libris de Gestis Hungarorum: quod omnino prohibitum erat Christianis uxorem ducere de consanguineis Vata, et Ianus, quod sicut Dathan, et Abiron in Veteri Lege seditionem moverunt contra Dominum: sic et isti, Tempore Gracie, Hungarorum populum a fide Christi averterunt. ⁹⁾

¹⁾ Renatus, baptizatus; hic tamen apostatam significat.

²⁾ Vata in S. Gerardi Legenda, Bacha, per commutationem nempe litterarum V. ac B.

³⁾ Bellus oppidum in Provincia Trenchiniensi, an tamen Vatae haec fuerit patria, exploratum non habeo.

⁴⁾ Dedicatio per abrasionem capillorum, symbolum servitutis fuisse videtur; quam Diis per oblationem crinium profitebantur.

Ceterum hunc morem ab Ethnicis ad Christianos transivisse, S. Hieron. Ep. 48. ad Sabinianum Cap. 3. docet.

⁵) Capilli cincinnati, id est: dependentes capilli crispi. Conf. Relationem Fr. Ricardi de Ungaria Magna apud Desericium de Initiis et Maioribus Hungaror. Tom. I. Lib. II. Cap. 5. p. 171—172.

⁶) Magi, Praestigiatores: Phytonissae, Pythonissae, seu Pythone spiritu affatae: Aruspices, seu Haruspices, qui ex animalium intestinis vaticinabantur.

⁷) Incantatio, Praestigiis magicis facta illusio.

⁸) Qui praefuit ab anno 1060. ad annum 1063.

⁹) Andreae Regis constitutiones aetatem nostram non tulerunt. Confer: Traditionem per Galeottum (Galeozzum) Martium inter Dicta et Facta Mathiae I. Regis Cap. XXIX. ab oblivione vindicatam apud Schvandtner S. S. Rer. Hung. Tom. I. p. 559.

Et in Christianos dira quaeque statuunt, eosque immaniter trucidant. Anno 1047.

Tunc igitur detestabili et execrabili ammonitione illius Vate, omnes populi libaverunt se demonibus, ¹) et ceperunt comedere equinas pulpas ²) et omnino pessimas facere culpas, tam quippe clericos, quam laicos catholice fidei servatores interfecerunt, et quam plures Ecclesias Dei destruxerunt. Deinde contra Petrum Regem rebelantes, universos Teutonicos, et Latinos, qui in officiis diversis prefecti per Hungariam sparsi fuerant, turpi neci tradiderunt. Mittentesque in Petri castra ³) in equis velocissimis nocte tres precones, ⁴) qui deberent proclamare edictum, et verbum Dei, ⁵) Andree, et Levente: ut ipsi Episcopi cum Clero sint necati; Decimator trucidetur; traditio ⁶) resumatur paganisma; penitus abolenda sint collecta; ⁷) cum suis Teutonicis, et Latinis, Petri pereat memoria in eternum, et ultra. ⁸) Mane igitur facto, sciscitatus est Rex rei factum, et certissime experiens, quod isti fratres redissent, eorumque intuitu, sui prefecti per Hungaros fuissent trucidati, non se ostendit perterritum de rumoribus: sed letum se demonstrans, et suo castro de loco remutato, transivit Danubium in Sitva-Tu, ⁹) Albam cupiens introire. ¹⁰) Hungari autem prescientes eius velle, prevenerunt, occupantes campani-

lia ¹¹⁾ et turres civitatis; et seratis ianuis, illum excluderunt.

1) Libatio peragebatur per epulas, ac oblationem vini.

2) De equorum usu in auspiciis, sacrificiis, aliisque superstitionibus Hungarorum lege Hist. Ducum Anonymi Belae Regis Notarii. Immolato equo concepere vota, ut carnibus et litarent, et vescerentur. Equina autem pulpa, significat crudam carnem equinam, ut Dubnitzense Chronicon interpretatur.

3) Castra sunt, inquit Isidorus Lib. IX. Orig. Cap. 3. ubi milites steterunt.

4) Praeco, Stimulator, Proclamator; hinc praeconare, proclamare.

5) Puto legendum: Domini, pro Dei; quia nomen Dei, in Legenda quoque S. Gerardi, desideratur, et ipse sensus innuit.

6) Traditio, pro Explanatio; item Etnica Religio, seu potius superstitio.

7) Collecta, idem quod Collata, Collatio, Tributum. Otto Frisingensis Lib. II. de Gest. Frider. Imp. Cap. 11. „Rex a toto exercitu Collectam fieri iussit, et sic non modicam coadunatam pecuniam — — dividendam statuit.“

8) Haec seditiosos Ducum nomine proclamari fecisse, sensus docet, ac ex sequentibus patebit.

9) In Chronico Turótzii Sytiaten, pro Sytvateu, seu Sítva-Tő, quod est Praedium in Provincia Comaromiensi ad ostium fluvii Zsitva, in Danubium cadentis situm; unde et nomen loco, a pace 20. Octobris 1006. cum Turcis confecta haud incelebri adhaesit. Hinc coniicio, Petrum Regem, ob Austriae viciniam, Partes Cis-Danubianas incoluisse, ac forte Posenii resedissee.

10) Ubi nempe Solium et Corona conservabatur.

11) Campanile, Turis Ecclesiae.

Inter tumultus Andreas Dux Pestinum appropinquat, ubi ad se fugientes periculis eripit: populi tamen furorem restinguendo non est; quam ob rem furens plebecula.

Inter hec autem Endre, et Levente, cum eadem multitudine ¹⁾ procedentes, per medium Hungarie, appropinquaverunt ad Portum, ²⁾ qui vulgo dicitur Pesth. ³⁾ Quo audito, Gerardus, ⁴⁾ Bestridus, ⁵⁾ Budli, ⁶⁾ et Beneta ⁷⁾ Episcopi, Zonuk Comes, ⁸⁾ de Civitate Alba egressi sunt obviam Endre, et Levente Ducibus, ut eos honorifice susciperent. Cumque festinanter predicti Epi-

scopi ad locum venissent, qui dicitur Gyógy, ⁹⁾ ibi in Ecclesia Sancte Sabine, priusquam ad Dominos irent, Missam audire voluerunt. Beatus itaque Gerardus Episcopus, sacerdotalibus vestibus ad celebrandam Missam indutus, exhortacionis gracia locutus est eis dicens: Fratres, et Coëpiscopi mei, et omnes alii fideles, qui adestis, scitote, nos hodie ad Dominum nostrum IESVM Christum, cum corona martirii, in eterna gaudia perventuros. Ego enim notum facio vobis archanum Dei, quod michi in hac nocte revelatum est, Vidi enim Dominum nostrum IESVM Christum in pluteo ¹⁰⁾ Sanctissime Matris sue semper Virginis Marie sedentem, nobisque ad se vocatis, de manu sua corporis, et sanguinis sui Eucharistiam communicantem. Beneta vero Episcopus cum ad eum accessisset, retraxit ei Christus Eucharistiam, unde ipse hodie martirii nostri consortio privabitur. Post hoc autem Beatus Gerardus ammonuit eos, ut confiterentur alterutrum peccata sua; et audita Missa, orationi incumbentes, et de certa spe eterne beatitudinis per martirium adipiscende letificati, omnes communicarunt.

¹⁾ Quae ad castrum Aba-Vára in cognomine Provincia situm ad illos confluxerat.

²⁾ Danubii, ubi hic fluvius traiciebatur.

³⁾ Hodie Buda, ut in S. Gerardi biographia legitur: „egressi sunt de Alba versus Budam, ut Endre, et Leventhe honorifice susciperent.“ Intelligit autem illam Budae regionem, quae hodie Rascianopolis audit.

⁴⁾ Csanadiensis Episcopus.

⁵⁾ Incertae sedis, forte Veszprimiensis.

⁶⁾ Verisimiliter Agriensis, alias Buldus nominatus.

⁷⁾ Beneta, alias Benitus, Ponetus, seu Benedictus, Colocensis.

⁸⁾ Wion illum Principem Albanum nominat, forte Albensis Provinciae Comes erat: aut certe urbis Iudex.

⁹⁾ Turótzii Chronicon Gyod, Legenda S. Gerardi per Wion edita, Gyod, alia vero per Episcopum Transsilv. Comit. Ignatium de Batthyány vulgata, Dyod; hodie Praedium Diós in Provincia Albensi ad Tétény situm; Conf. Ludovici I. diploma an. 1363. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 358—359. et Anonymi Belae II. Regis Notarii Cap. XLVI. ubi cetera inter „Arpad — Cundunec, patri Curzan, dedit terram, a civitate Athilae regis (Veteri Buda) usque ad Centum Montes, (Szász-Halom, montes Saxonicos) et usque ad Gyog.“

¹⁰⁾ Pluteus, gremium, tabernaculum. Legenda S. Gerardi per Bathanyium edita: „vidi enim Dominum nostrum Iesum Xstum in gremio sanctissime Matris sue virginis Marie sedentem.“ Wion loco gremii, tabernaculum, habet. Erat, porro Pluteus, teste Glossario, machina bellica, ad figuram arcae; hac notione acceperit Wion pro tabernaculo.

*S. Gerardum Csanadiensem Episcopum, cum multis aliis
Budae suplicio afficit Anno 1047.*

Deinde perrexerunt pariter versus Portum Danubii in Pesth. ¹⁾ Beatus autem Gerardus Episcopus, cum esset brevis statura, omnesque vires suas in servitio Dei funditus consumpsisset, currus subvectione utebatur. Cumque ad predictum Portum pervenissent, ecce viri impii Vata, simul et complices sui, demonibus pleni, quibus se ipsos dedicaverant, irruerunt in Episcopos, et in omnes socios eorum, et lapidibus eos obruerunt. Beatus vero Gerardus Episcopus eos, qui se lapidabant, indesinenter signo crucis insigniebat. At illi, hoc viso, magis sevientes, impetum fecerunt in eum, et everterunt currum eius in ripam Danubii, ibique abstracto eo de curru eius, in biga ²⁾ positum, de Monte Keleenfeld ³⁾ submiserunt. ⁴⁾ Et dum adhuc palpitaret, in pectore cum lancea percussus est, ac deinde super unum lapidem contriverunt cerebrum eius, sicque gloriosus Martir Christi ab erumnis mundi huius, ad eternam beatitudinem transivit. ⁵⁾ Danubius sepe redundans ⁶⁾ super molem lapidis, in quo contritum est caput Sancti Gerardi, non potuit sanguinem diluere per septem annos, donec recollectus est a Sacerdotibus. Et lapis ille nunc est Chanadini, in superficie sui Altaris. ⁷⁾ Nunc in eodem loco, ubi contritum est caput eius, in honore Beati Gerardi Martiris Ecclesia sub Monte apparet fabricata. ⁸⁾ Hic siquidem Gerardus monachus erat de Rosacio, natione Venetorum, ⁹⁾ qui in Pannoniam veniens, primus in Beel ¹⁰⁾ vitam ducens heremiticam; tandem in Chanadiensi Cathedra in Episcopum est translatus. Budli quoque Episcopus lapidibus obrutus, transiit ad gloriam. Beztricus autem, et Beneta cum transissent Danubium navigio ad Endre, et Levente, ¹¹⁾ heretici, qui in ulteriori

littore erant, Beztricum Episcopum ad mortem vulneraverunt, qui tertia die posmodum mortuus est. Endre autem Dux interim superveniens, Benetam Episcopum a manibus ipsorum liberavit. ¹²⁾ Et sic prophetia Sancti Gerardi impleta est; omnes enim, praeter Benetam, martirizati sunt. Zonuk quoque Comes super dextrarium suum, Danubio insiliens, natabat, ¹³⁾ quem in navi veniens quidam nomine Mothmir ¹⁴⁾ levavit in navim, ut a morte liberaret; erat enim iste Mothmir baptizatus a Comite Zonuk: qui cum predictum Comitem salvare vellet, ceperunt ei heretici mortem comminari, nisi ipse Comitem Zonuk interficeret. Quorum minas Mothmir metuens, ipsum Comitem Zonuk in navi gladio interemit. Tanta ergo multitudo Laicorum, et Clericorum pro Christi Fide eadem die ¹⁵⁾ martirium pertulit, ut eorum numerus Deo tantum, et Angelis eius sit cognitus.

¹⁾ Intellige suburbium Budaë, quod hodie Rascianopolis vocatur.

²⁾ Biga, Vehiculum duabus constans rotis.

³⁾ In Legenda per Batthyanyium edita: „ecce quinque viri impii, Vata, et complices eius — in biga positum de monte Kreenfeld submiserunt.“ De hoc monte, qui ab illo tempore Mons S. Gerardi compellatur, iam superius egi.

⁴⁾ Qui est plus minus 60. orgyas altus.

⁵⁾ „In anno Domini millesimo quadregesimo septimo.“ ut Legenda per Batthyanyium vulgata habet.

⁶⁾ Redundans, Intumescens.

⁷⁾ „Cum igitur septem annis corpus S. Gerardi, ubi tumulatum fuerat, sub terra iacisset, Maurus Episcopus Chanadiensis, et Philippus Abbas — abierunt ad regem Endre — petentes, quatenus corpus B. Gerardi Martiris, quod sepultum esset in capella Beate Virginis in Pest (nempe hord'erna Buda) permitteret libere ad sedem Morisenam transferre.“ Eadem Legenda. Anno 1514. tempore rusticanæ seditionis, eius sepulchrum Chanadino Pestinum ad Ecclesiam S. Petri ordinis Minorum translatum fuit.

⁸⁾ Nicolaus Istvántfy Hist. Lib. VIII. de hac Ecclesia, et Petro Korogi ad Mohács an. 1526. caeso sic exponit: „Praeter alios e peculiari Regis famulatio iuvenes — occubuit Petrus — Corogius — in eo vetusta Nobilium Corogiorum progenies defecit; qui olim Andreae Regis, eius nominis primi, tempore, dum Pannonii Religionem Christianam posthabuissent, Divo Gerardo ut crudelem, sic impiam necem intulisse memorabantur, eiusque rei

argumento fuisse posteros illorum, in Sacellum, eiusdem Divi memoriae, in colle, urbi Budensi opposito, aedificatum, sponte, aut secus ingressos, continere se nequaquam potuisse, quin, soluta repente alvo, foede contaminarentur; Regemque iuvenem (Ludovicum II.) non sine multorum risu, simul et admiratione in hoc Petro eius rei experimentum, facto saepius periculo, sumpsisse.“ — Hodie ne rudus quidem Ecclesiae super est, nec scitur, quo loco steterit.

⁹⁾ Videtur fuisse monasterium in Calabria Roscianum, unde S. Gerardum advenisse Chronica domestica prodidere; hac enim ratione conciliabuntur cum Legenda, quae eum Venetiis natum, ac ex Sagredorum prosapia ortum perhibet: Chronica nempe illud potissimum monasterium nominarunt, ex quo proxime venerat Sanctus.

¹⁰⁾ Hodie Abbatia S. Mauricii O. S. Benedicti de Bakony Bélli Veszprimiensi Provincia; cuius natales ad tempora S. Stephani referuntur, an. 1036. fundata; vide litteras Cod. Dipl. Tom. I. p. 327.

¹¹⁾ Qui in hodierna Pestiensi civitate morabantur; necem proinde S. Gerardi, aliorumque Budae pratrata impedire nequiverunt.

¹²⁾ Barbarae immanitatis ergo autor dici non potest; nam Ritmicum Chronicon: „Advenit (Andreas, inquit) et praecipiens, ne quisquam laederetur.“

¹³⁾ Ex hac circumstantia liquet, Praelatos, ac Magnates Alba, Budam equites venisse, et duntaxat S. Gerardum curru vectum fuisse.

¹⁴⁾ Turótzii Chronicon, Murthmur, Dubnitzense autem Muthmis; nulla eius in aliis mihi notis Codicibus, ac Legendis memoria; iccirco, quatenus sit genuina lectio, exploratum non habeo.

¹⁵⁾ Quippe 25. et non 24. Septemb. ut habet vetus Calendarium in Missali MSC. Membranaceo Bibliothecae Regnicolaris; in quo ad diem 24. Septembris legitur: „Passio S. Gerardi.“ et anno 1047. teste „Chronico in eodem Missali in haec verba scripto: „MXLVII. Interficiuntur episcopi Gerardus, et Modestus, et Petrus rex cum dolo obceatur, et Andreas rex elevatur.“ — Eo die colitur memoria quoque eius: Translatio autem Venetias, suam in patriam circa annum 1090. facta, teste Pilgramo in Calendario Chronologico p. 222. die 23. Febr. agitur; quo nimirum pars Reliquiarum eius delata fuit.

De morte Petri Regis.

Petrum autem captum oculis orbat Anno 1047.

Petrus autem Rex, videns Hungaros unanimiter adhesisse Ducibus Endre, et Levente, ipse cum suis Teutonicis fugam iniit versus Musun, ¹⁾ ut abinde in Austriam pertransiret; sed evadere non potuit: interim enim Hungari portas, ²⁾ et exitus Regni primo occupaverunt. Sed et legatus Ducis Endre revocavit ³⁾ Petrum Regem sub pretextu pacis et honoris sibi congrui. Qui credens ei, revertebatur, ut dicitur, sed maxime coacte; quia exercitum sibi iam absconditum cognoverat; et volebat reverti festinanter in Albam. Qui cum divertisset in villam Zamur, ⁴⁾ predictus legatus voluit eum capere, et vinctum ad Endre Ducem perducere. Petrus autem prenoscens hoc, collegit se in quandam curiam, ⁵⁾ et per triduum viriliter dimicando, semetipsum defendebat. Tandem milites eius omnes a sagittariis sunt interempti; ipse vero vivus captus est, et obcecatus, ⁶⁾ Albamque ductus, et pre nimio dolore, vitam in brevi finivit, sepultusque est Quinque Ecclesiis in Basilica, ⁷⁾ quam ipse fundaverat anno tercio regni sui. ⁸⁾

¹⁾ Turótzii Chronicon Musim; verum hoc nomen in priscis regum tabulis constanter Musun scribitur; in cognomine Provincia, Germanis Wieselburg; Schönvisnero in Comment. in Iter Romanor. per Pannoniae ripam P. I. p. 118—120. Flexum.

²⁾ Porta Regni non tam Angustiae itinerum, ut Du Fresne vult: quam Via Regia; per quam ingressus in Regnum circa circum excubiis, nostris örök dictis, custoditum, ingressus patebat.

³⁾ Pestinum nempe, ubi Duces agebant.

⁴⁾ Zamur, hodie Zámor Praedium infra Budam in limitibus Albensis Provinciae.

⁵⁾ Curia, Aula.

⁶⁾ Haec poena olim throni usurpatoribus irrogabatur; quam ille ob Vazulem oculis orbatum luit.

⁷⁾ Basilicae appellabantur, aevo medio, aediculae, quae pro magnatum tumulis parabantur: ita dictae, quod formam Basilicae, seu Aedium Sacrarum referrent. Gloss. Ex his patet, per Basilicam hic non intelligi Quinque Ecclesiensem Basilicam honoribus B. B. Petri et Pauli Apostolorum dicatam, prout Turótzii interpo-

latum Chronicon exerte innuit; haec enim Petri regis tempora longe antecedit (Conf. Iosephi Koller Prolegomena in Hist. Episcopat. Quinque Ecclesiarum Poson. 1804. in 4^o) verum Petri Regis tumulum; cuiusmodi sepulchra, aetate illa, passim Monasteria quoque dicebantur.

⁸⁾ Turótzius: „quam ipse fundaverat in honorem Beati Petri Apostoli, anno regni sui secunda vice tertio,“ i. e. anno 1046. utpote anno 1044, solio restitutus, Ceterum verba „in honorem Beati Petri Apostoli.“ cum primi Chronicorum Compilatoris iniuria, recentior manus supposuerit.

De Coronatione, Vita, et Morte Regis Andree.

*Petro mortuo, Andreas Dux Albae Regiae in Regem
inungitur Anno 1047.*

Porro, Dux Andreas ¹⁾ a perturbationibus hostium securus effectus, in Regia Civitate Alba, regalem Coronam est adeptus a tribus tantum Episcopis, qui in illa magna strage Christianorum evaserunt, ²⁾ coronatus est Anno Domini MXL. septimo. ³⁾ Precepit itaque universe genti sue, sub pena capitalis sententiae: ut deposito ritu paganismo prius eis concesso, ad veram fidem revertentur, et in omnibus secundum Legem illam viverent, quam Sanctus Rex Stephanus eos docuerat. ⁴⁾

¹⁾ Advertit Lector, Andream promiscue lingua nostra etiam Endre compellari, quod argumento est, Chronicon nostrum ex variis Codicibus, diversis temporibus exaratis, congestum, per Andream Hess editorem interpolatum haud fuisse.

²⁾ Quum tres duntaxat evaserint; Legenda autem S. Gerardi ternos Budae trucidatos referat; consequitur eos, qui adhuc erant, alibi sublatos fuisse.

³⁾ Chronicon in Missali MSC. membranaceo Bibliothecae Regnicolaris ad annum 1047. „Petrus rex cum dolo obeccatur, et Andreas rex elevatur.“ et S. Gerardi biographia de morte Sancti: „ad eternam beatitudinem transmigravit in anno Domini millesimo quadagesimo septimo. — — Sequenti autem die (26. Septembris) in Ecclesia beate virginis in Pest — tumulatus est. — Dux autem Endre in Alba coronatus est.“

⁴⁾ Andree I. Leges hodie desiderantur; de quo Chronicon Haugeni Lib. III. Cap. 31. „Pawet auch die zerprochen Gotsheuser, klöster und kirchen wider, so die Vngern — zerstört hetten.

Levente autem frater vitam finit, in Toxun sepultus Anno 1047. Horum fratrum origo fabulosa refellitur.

Leventa vero in eisdem diebus mortuus est; qui si diutius vixisset, et regni potestatem obtinuisset, sine dubio totam Hungariam paganisma ydololatria corrupisset; ¹⁾ et quia ipse Leventa catholice non vixit, ideo circa villam Toxun, ²⁾ ultra Danubium est sepultus, ubi iacere dicitur Toxun avus eius ³⁾ more paganismo. Tradunt quidam, istos tres fratres ⁴⁾ filios fuisse Vazul Ducis, ex quadam puella, de genere Tatun, ⁵⁾ non de vero thoro ortos esse, et ob hanc coniunctionem illos de Tatum Nobilitatem accepisse. ⁶⁾ Falsum pro certo est, et pessime enarratum; ⁷⁾ absque namque hoc, sunt Nobiles; quia isti filii sunt Calvi Ladislai, ⁸⁾ qui uxorem de Rutenia dicitur accepisse, ex qua tres isti fratres generantur. Iste quidem Rex, Albus Andreas, ⁹⁾ et Catholicus est vocatus. ¹⁰⁾ Tribus idem annis Polonos, Bohemos, et Austriales suis armis, Hungaris fecit censuales. ¹¹⁾

¹⁾ Idem ibidem: „Es starb auch in denselben tagen sein bruder Levente nicht on argwon, damit nit wider ein krieg, weil sie paid erfordert waren, im königreich erstünd.

²⁾ Villa Taxun a conditore suo huius nominis Duce ita nominata; hodie Takson in sinistra Danubii ripa infra Pestinum.

³⁾ Proavus; Avus enim nude maiores significat.

⁴⁾ Andream videlicet, Belam, et Levente; vocabulum Leventa pugilem antiquitus designabat Hungaris, et quemlibet Heroem, notaeque virtutis militem. — Lebentare, inquit Du Fresné in Glossario, ab Hispanico Leventar, apud venatores excire, excitare feras. Cornides autem Genealog. Regum Hung. p. 205. nota 28. Turcicam vocem esse contendit; cum tamen origine hungarica sit.

⁵⁾ Huius Generationis nomen refert Praedium Tátony in Simmegiensi Provincia.

⁶⁾ Nobilis, i. e. Dominus. Nobilitas, nobilitare, clarum, illustrem et notum facere, celebrare; item plebeium hominem in nobilium numerum cooptare, adsciscere.

⁷⁾ Fabellae originem dedit, quod Andreas I. Rex, ex quadam concubina de villa Marót infra Strigonium in dextra Danubii ripa sita, Georgium filium genuerit.

⁸⁾ Idem perhibet Anonymus Belae secundi Regis Notarius in Hist. Ducum Cap. XV. — Simon de Keza seculi XIII. Scriptor: „Geicha Dux genuit — Stephanum, Mihál vero frater Geichae

genuit Vazul, et Zar Ladislaum.“ — „omnes Hungari sollicitè intendebant, qualiter amoto Petro, filios Zar Ladislai reducere potuissent. — in Chenad omnes in unum convenerunt, consilioque habito, communiter pro filiis Zar Ladislai transmittunt, ut ad Regnum remearent.“ — „Quidam autem istos fratres ex Duce Vazul progenitos asseverant — frivolum pro certo est, et pessime enarratum — isti sunt filii Zar Ladislai.“ — Henricus Muglen seculi XIV. scriptor Kap. XIX. „sant der heilig kunig nach den kindern seines vetern des kalen laslaw noch andreas, und noch bela, und noch lewenten.“ — Stephano Katona nihilominus Hist. Crit. Regum Hung. Tom. II. p. 2—3 videtur audiendus potius S. Gerardi biographus, qui tres hos fratres Vazulis filios fuisse perhibet; atque, quod haec traditio suspicione non careat, cum Turotzius memoret: Vazulem a Stephano, propter juvenilem lasciviam, in carcere Nitriensi reclusum fuisse. Verum biographus S. Gerardi hos fratres de Genere S. Stephani satos esse his verbis testatur „Hungari miserunt solempnes nuncios post filios Vazul, Endre, Bela, et Leventhe, qui erant de genere Sancti Stephani.“ — Iam vero Hungaros Generationes, ne exteri se se in familias insinuarent, Genealogias suas religiosissime texuisse, omnis aevi diplomata testantur; praeterea Iure hungarico, quemadmodum olim, ita nec nostra aetate spurii in aviticis succedunt: ex aquisitis autem duntaxat per Testamentum participant. Si ergo privati Iura Generationum tam exacte observabant; profecto nec Regia Stirps est hac in re inferior censenda. Admitti itaque nulla ratione potest, eos, ut Katona suspicatur, ex illegitimo thoro procreatos esse. Sed vero S. Gerardi Biographus plene sibi constat, nec domesticorum turbæ Chronographorum contradicit; nam Ruthenorum Vazul, seu Graecorum Basilus, Hungaris reapse Ladislaum significat: id quod non modo publica testantur Acta Excelso Consilio R. L. H. in Processu legitimatorio exhibita, quæ Basilium Ladislaum interpretantur (ut a Doctissimo D. Stephano Horvát accepi) verum quotidianus quoque loquendi usus docet: Ruthenorum enim Basilios, Hungari hodieque Ladislaos, et vice versa appellant. Nec mirum cuiquam videri debet, Michaëlem homonymos habuisse filios, Ladislaum nempe Calvum, atque Vazulem; id enim non est sine exemplo.

9) Color albus ei cognomentum fecerit Albus Andreas.

10) Iam multis retro seculis Catholici nomen Apostolicis Regibus nostris inditum fuit; qui titulus Religionis, documento est, Andream, Hungarorum a vera fide defectioni haud connivisse.

11) Censuales, Censui obnoxios.



Andreas mascula prole destitutus, Belam germanum, tertia Hungariae parte potiundi spe ex Polonia in Hungariam allicit, eumque de successione certum, securumque reddit Anno 1048.

Rex autem hic Andreas, fratre orbatus, misit in Poloniam, ad alterum fratrem suum Belam, ¹⁾ cum magna dilectione vocans eum, et dicens: Nos, qui quondam penurie participes fuimus et laborum, ²⁾ rogo te dilectissime frater, ut ad me non tardes venire; uatinus consortes simus gaudiorum, et bonis Regni, corporali presentia gaudentes, communicemus. ³⁾ Neque enim habeo heredem, ⁴⁾ nec germanum, preter te, tu sis mihi heres, tu in Regnum succedas. ⁵⁾ His itaque verbis Bela adlinitus, cum omni familia sua venit ad Regem. ⁶⁾ Quem Rex videns, gravisus est gaudio magno valde; quia fulcitus fraterno est robore. Post hec autem Rex, et frater eius Bela, habito consilio, diviserunt Regnum in tres partes, quarum due, in proprietate regie potestatis manserunt: tertia vero pars in proprietatem Ducis est collata. ⁷⁾ Hec igitur prima Regni huius divisio, seminarium fuit discordie, et guer-rarum inter Duces, et Reges Hungarie. ⁸⁾

¹⁾ Belae revocatio non videtur ultra annum 1048. differenda.

²⁾ Fugae huius Bela IV. Rex in anni 1245. diplomate apud RR. Fejér Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. I. p. 392. „Primus Bela Rex, qui dum in partibus Poloniae, propter Petrum, qui nomen Regis sibi potenter Hungariae adscripserat, pro tempore mansisset.“

³⁾ Communicare, participare.

⁴⁾ Andreas adhuc exul Anastasiam, Iaroslai Wladimerovichii filiam, Iuditham, Geysae Ducis Hungariae proneptem sumpsit coniugem, illamque secum, eiecto per Hungaros Petro, in thronum hungaricum evexit. Ea, quamvis edita in lucem Adlecta filia, quae postmodum Vratislao Bohemiae Duci nupsit, foecunditatem suam probasset; mascula tamen prole diu caruit, donec Salomonem, teste Chronico in Missali MSC. membranaceo Bibliothecae Regnicolaris scripto, anno 1053. pepererit.

⁵⁾ Qua de re Ioannes Pelbartus de Temesvár in Pomerio aestivo Sermone 49. „Quod autem Regnum Hungarie legitime concernebat beatum regem Ladislaum potius, quam Salomonem regem, patet per Hungarorum Cronicam, ubi habetur, quod in secundo

ingressu Hungarorum in Pannoniam, primus Princeps fuit Arpad, secundus Zothan, tertius Thoxon, qui genuit tres filios, scilicet Geyzam, Michaëlem, et Calvum Ladislaum. Geyza genuit Sanctum regem Stephanum, Michaël Vazulem, qui obiit per effossionem oculorum per reginam Geslam consortem regis Sancti Stephani. Ladislaus vero genuit tres filios, seu Andream, Belam, et Leventhe, qui propter metum dicte regine profugerunt in Poloniam, ubi Bela in singulari certamine, *pro Rege Polonie devicit quendam Alemanum* statura magnum; ideo rex Polonie filiam suam tradidit ipsi Bele in coniugium, ex qua genuit in Polonia duos filios, seu Geyzam, et Ladislaum, et in Hungaria unum, seu Lumpertum. Cumque Hungari gravarentur per regem Petrum alemanum, coacti introduxerunt heredes legitimos regni, scilicet Andream, Belam, et Leventhe, tali inter se dispositione prehabita: ut unus, quousque viveret, regnaret, post cuius mortem, etiamsi successorem haberet, alius regnare deberet; deinde tertius, et sic inter trium fratrum generationes circuiret regimen. Primo igitur Andreas albus, quia maior erat natu, regnavit; qui genuit Salomonem, quem contra iuramentum suum, et initum fedus, adhuc in cunis coronavit, Bela metu mortis consentiente. Leventhe vero in infidelitate obiit; et sic regnum legitime ad Geyzam, et S. Ladislaum erat devolutum.“ Firmatur id etiam Cinnami testimonio, qui Lib. V. „lex enim est apud Hungaros, inquit, ut semper ad fratres superstites diadema transmittatur.“

6) Duobus praecipue filiis aucta, Geysa scilicet, et S. Ladislao; quorum alter Geysa Regiam quoque Stirpem propagaturus erat; quique enim in Hungaria post S. Ladislaum eius fratrem regnare, illius descendentes fuerunt: natales igitur Belae patris vindicare, iussit pietas in Apostolicos Reges nostros; a quibus Angutsa quoque Domus Austriaca per lineam femineam descendit.

7) Seculo XI. crescente Principum potestate, invaluerunt quoque ex Gentium potissimum Iure, Divissiones, maxime, si Principes maiora Regna, et plures Terras possiderent. Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1074. Robertum, Flandriae Comitem ita inducit fratrem seniore Balduinum, qui in paterno Comitatu solus successerat, adlocutum: „gauderet ipse beatus sua sorte, quod totam communis patris haereditatem, quam Iure Gentium, secum dividere debuisset, solus sine consorte obtineret.“ Ducis apud nos titulum cum Dynastia omnes Arpadiano sanguine sati possederunt; antiquissimum praebent exemplum Gyula Dux Transsilvaniae, et Koppán Dux Simegiensis. Sanctus quoque Emericus, S. Stephani filius Mosoniensem Provinciam Ducatus nomine tenens, Dux Rutorum, Regni limites tuentium, appellabatur. Tertiam Regni partem, serius vero Regna, Hungariae Coronae subiecta, Reges nostri, dum fratribus destituebantur, ad Primogenitos transferebant, qui post-

ea Ducatui etiam Iunioris Regis nomine praefuerunt; quemadmodum Stephani V. Regis diploma an. 1271, in an. 1828. Tudom. Gyűjtemény Tom. II. p. 90. testatur, in quo ille cetera inter: „cum nos olim, necessitate compulsi, Ius Ducatus, a primogenitoribus nostris, Regum Primogenitis institutum, requirere voluissemus iusticia mediante.“ Non subsistunt ergo, quae Paulus Nagy in Hist. Pragm. edit. 1823. p. 222. hac de re, in haec verba scribit: „Verum Salomon non fuit obligatus, ut tertiam regni partem Ducibus (Geysae, et Ladislao) cederet, quia etiam ab eius patre (Andrea I.) vi fuit extorta, aut saltem cum praeiudicio successorum Regum; nam Regnum Salomonis non fuit potrimoniale; ergo sicut totum non, ita nec partem, seu Ducibus, seu aliis transcribere potuit. — Dignum praeterea memoratu, Duces nostros Iura Regum in Dynastia sua exercere, et cum Regibus corrigere solitos fuisse. Bela certe Dux in Andreae I. privilegio Abbatiae Tihanyiensi an. 1055. concesso hoc sensu subscribitur: „feliciter regnante praefato victoriosissimo (Andrea) Principe, anno regni sui nono, et cum eo nobilissimo Duce Bela, conscriptum est hoc privilegium.“ Cod. Dipl. Tom. I. p. 393. — S. Ladislaus Dux, cum fratre Geysa I. Rege, fundationales Abbatiae S. Benedicti de iuxta Gron an. 1075. aequae signavit. Andreas vero Belae III. filius, Dalmatiae etc. Dux, Sedi Pharensi Episcopum praefecit an. 1198. Cod. Dipl. Tom. II. p. 318. in Collationalibus inquit: „Quoniam ducali Serenitati iura et dispositiones regni sui licet — disponere — episcopatum Farensem cuidam Spalatensi Canonico Michae contulimus.“ — Idem Dux, in Dalmatia, et Croatia Iure Regio dominatur. Ibidem p. 373. Bela Dux Slavoniae, et iunior Rex, Turpolienses in coetum nobilium transfert. Ibid. Tom. III. p. 481. — Colomanus Dux Slavoniae hospitibus de Walkó privilegia Liberarum Civitatum confert. Ibid. p. 237. Idem Dux villam Verőtze Liberis Urbibus adnumerat. Ibid. p. 412. etc. Summum itaque dominium, ac ius quoque episcopatus erigendi commune cum Regibus habuerunt. Dum ergo S. Ladislaum Ducem, regnante Salomone, in partibus trans Tybiscanis, quibus nempe dominabatur, summo usum fuisse dominio, Episcopatumque Magno Varadinensem, ex collegiata Ecclesia per se fundata, erexisse, in eius Biographia docui, nihil dictu insolentissimum asserui; prout Codicis Diplomatici Auctor RR. D. Georgius Fejér (tabularum per seeditarum immemor) in Dissertationibus suis in Res Hungariae Veteris Historico Criticis Bud. 1837. 8. vulgatis p. 176. mihi obiicit.

⁸⁾ Regiminis forma apud nos a primis initiis fuit Monarchico Aristocratica: et quamvis successio Stirpi Arpadianae fuisset haereditaria: solium tamen sine Hungarorum electione ac consensu, quibus semper Pactorum confirmatio praemittebatur, nemo ascendere potuit; ut adeo, quum Regum Fratres, prae illorum

filii ex pacto, ac per electionem in Regno succedendi ius haberent: Reges autem subinde hoc eos iure privare, regnumque in filios transferre vellent, Duces ipsi, Regibus omnino perniciosi fuerint. — Extincta autem virili Stirpe Arpadiana, plenarium ius sibi eligendi Regem Hungari sumserunt; negandum tamen non est, Sanguinis quoque Arpadiani eos rationem semper habuisse. Ab hoc igitur tempore Hungaria fuit Regnum strictissimo sensu electitium.

Cui postea Salomon, et David filii nascuntur. Monasterium O. S. B. de Tihony fundat Anno 1055.

Eo tempore, Rex Andreas, iuxta lacum Balatun construxit monasterium, in honore Sancti Aniani, in loco, qui dicitur Tyhon. ¹⁾ Duxit autem sibi in uxorem filiam Ducis Ruthenorum, de qua genuit Salomonem, ²⁾ et David. ³⁾ De concubina autem, quam habuit de villa Morouth, ⁴⁾ genuit Georgium, ⁵⁾ Porro, Dux Bela, in Polonia genuit liberos Geysam, et Ladislaum: in Hungaria vero genuit Lampertum, ⁶⁾ et filias, ⁷⁾ vivebantque Rex, et Dux in magna pacis tranquillitate.

¹⁾ In Szaladiensis Provincia an. 1055. Fundationales dedit R.R. Fejér Cod. Dipl. Tom. I. p. 388—394. estque Abbatia O. S. Benedicti. Alteram, teste S. Gerardi Biographo, Vissegradini S. Andreae dicatam erexit, cuius hodieque titulus extat.

²⁾ Anno 1053. natum, ut iam memini.

³⁾ Huius nativitatis annum nuspiam consignatum legi. Vid. Cod. Dipl. Tom. I. p. 469. et 487.

⁴⁾ Marót, seu Moravus.

⁵⁾ De Georgio ex concubina sublato, nullum in Chronicis vestigium, videtur in tenera aetate mortuus.

⁶⁾ Nec Lamperti natalis annus constat. Vid. Cod. Dipl. Tom. I. p. 469.

⁷⁾ Hangen Lib. III. Cap. 32. „Nun hett hertzog Bela zwen sün in Poln vberkomen — vnd in Vngern ward im auch ein sun — Lampertus, vnd vil töchter geborn.“ Sophiam nempe Vilhelmo, Thuringiae Marchioni desponsam, ac ex post Udalrico, Carinthiae Marchioni nuptam, quam a fatiis Udalrici, Magno, Saxoniae Dux sibi copulavit. Domestici scriptores Belae I. Regi etiam Jojadem filiam tribuunt, quae nunquam extitit; conf. Praefationem nostram in S. Stephani Biographiam p. XIV. Alteram Helenam alias Lepam, Svinimiro al. Demetrio Croatiae Regi penultimo elocatam

Cod. Dipl. Tom. I. p. 444. Euphemiam denique, seu Ludmillam, Ottoni Moravo traditam. Balbin Miscell. Bohem. Lib. VII. quam Ottonis Moraviae Ducis uxorem fuisse, noster quoque in Hist. Salomonis Regis his verbis indicat: „Cunque (Geysa) equitasset ultra Vaciam, obviavit fratri suo Ladizlao, et Ottoni Duci sororio eorum.“ Conf. Diplomata apud Antonium Boczek in Cod. Dipl. Moraviae Tom. I. p. 162. 164. 176. 190. 195. 196.

Henricus III. Imp. Petri mortem ulturus, Hungariam invadit, et Castrum Posen. obsidet Anno 1052. at inprospere; desponsata dein Salomoni Andreae filio, Sophia nata, pacem conficit, et cum maxima suorum iactura, patrios Lares repetit.

Eo tempore Teutonicorum Rex cum magno exercitu obsedit Castrum Posen, volens iniuriam Petri vindicare, et Hungariam suo dominio subiugare. ¹⁾ Extruxit autem multas machinas bellicas ad expugnandum, et per octo ebdomadas ²⁾ obsidendo nichil proficiens, effeminatus enervatusque viribus, rediit ad propria. ³⁾ Sequenti vero anno Cesar cum magna multitudine, ob easdem causas, venit in Hungariam, iuxta fontes rivorum Zala ⁴⁾ et Zelice; ⁵⁾ sed et naves victualibus oneratas per Danubium misit in Hungariam, prefecitque eis Episcopum Guebarth fratrem suum. ⁶⁾ Hiis autem auditis, Andreas Rex, et Dux Bela, omnes acervos segetum, et tirsos ⁷⁾ herbarum, igne combusserunt, habitatores quoque cum universis animalibus eorum, de partibus illis, per quas Cesar erat transiturus, procul abduxerunt. Cunque Cesar intrasset ad Hungariam, et venisset ad regiones combustas, neque militibus suis invenire potuit victualia, nec equis; et nesciebat, ubi naves eius essent, nullumque subsidium ex eis poterat habere. Transiens autem silvas, appropinquavit montibus Bodouch, ⁸⁾ omni victualium genere laborans. Interea vero Guebarth Episcopus venit in Iaurinum, et mittens epistolam ad Henricum Cesarem, sciscitabatur ab eo: ubi deberet ipsum expectare? Is autem, qui ferebat literam, Deo sic volente, captus est a latrunculis ⁹⁾ Andree Regis, et ad eum ductus. Cunque Nicolao Episcopo ¹⁰⁾ interpretante tenorem literarum, percepissent; ¹¹⁾ rescri-

pserunt Episcopo Guebarth literas, quas quendam per hospitem ¹²⁾ eidem miserunt. Ille autem simulans se a Cesare missum, obtulit literas Guebarth Episcopo talia continentes: Noveris optime Guebarth Episcope, quod magna, et ardua negocia nostri imperii nos ab Hungaria in Teutoniā redire compellunt: nam inimici nostri imperium nostrum hostiliter occuparunt. Ergo age, festina, et destructis navibus, quam citius poteris, nobis Ratispone occurras; nec enim tibi tutum est in Hungaria commorari. Hiis itaque cognitis, Guebarth Episcopus festinanter fugit in Teutoniā. Cesar igitur spe sustentacionis, quam a navibus expectabat, frustratus, ad mortem incepit egere: similiter universus exercitus eius, cum equis, et subvectoribus ¹³⁾ miserabili fame periclitabantur. Insuper etiam Hungari, et Besseni singulis noctibus acriter eos infestabant toxicatis ¹⁴⁾ sagittis eos interficiendo, et funes extendentes inter papiliones ¹⁵⁾ eorum, quam plures, aliqua servitia facientes, rapiabant. Pre timore autem imbrium sagittarum, quibus Toutonici affligebantur, et consumebantur, fodebant sibi terram, et desuper insertis clipeis suis, etiam vivi cum mortuis iacebant in sepulchris. Nam sepulchrum, quod mortuo fodiebatur in die, vivus iacebat in eo de nocte: et quod vivo fodiebatur pro nocte, mortuus sibi vendicabat de die. Cesar ergo videns tot et tantis periculis se esse perplexum, misit ad Andreā Regem, et Belam Ducem, rogans perpetue pacis firmitatem; dicebat enim: quod si Rex Andreas securum ei iter preberet ad revertendum, et exercitui suo fame oppresso, subsidia vite largiretur, ipse nunquam Andree Regi, et successoribus eius inimicaretur, et nunquam a modo Regem Hungarorum dictis, vel factis, aut consilio ledere attemptaret; sed etiam si quis de successoribus suis ad debellandam Hungariam arma moveret, indignationem omnipotentis Dei incurreret, et perpetuo eius anathemati subiaceret. ¹⁶⁾ Filiam quoque suam Sophiam, ¹⁷⁾ Salomoni, filio Regis Andree daret in uxorem, propter perpetue pacis federa firmitus roboranda. Hec autem omnia fideliter servaturum, iuris iurandi religione interposita, confirmabat. Rex itaque

Andreas, et Dux Bela, magis amatores pacis, quam discordie seminatores esse volentes, pacem cum Cesare composuerunt. Cesar autem in propria persona sua, iureiurando confirmavit omnia, que dixerat, fideliter se facturum. Tunc Rex Andreas, solita Regum Hungarie largitate utendo, misit Cesari quinquaginta corpora immensorum husonum, et duo millia lardonum, ¹⁸⁾ et de panibus plus, quam secum ferre poterat; oves quoque et boves, seu pecudes pascuales, et vini copiam superfluentem. Teutonici ergo a faucibus mortis, miseratione Hungarorum, liberati, relictis tentoriis, et clipeis, et universis supellectilibus suis abiectis, adeo concitato cursu in Teutonium redire properarunt, quod nec retrospicerent. Ex hoc autem eventu, locus ille, unde Teutonici, tam turpiter dedecorati, abiectis clipeis, fugerunt; usque modo Vertes-Hegy nuncupatur. ¹⁹⁾

1) Chronicon in Missali MSC. membranaceo ad an. 1051. „Henricus imperator pannoniam ingreditur.“

2) Ebdomadas pro Hebdomadas.

3) Idem Chronicon ad an. 1052. „Henricus imperator castrum poson obsedit“ et Hermannus Contractus ad eundem annum: „Andrea — rege Hungarorum, minus minusque pro pacto pacis postulando allegante et promittente, Breziburg castrum obsedit; et variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis, se anxie invocantibus, opitulante, frustratis semper nixibus, nullo modo capere potuit.“

4) Zala, hodie Szala oritur in Castri Ferrei Provincia supra pagum Szalafej et ab occidente, in orientem fertur, eo potissimum nomine memorandus, quod rivis Válitzka, et Pölöske auctus lacum Balaton efficiat.

5) Zelica idem plane rivus est, qui aliter Zelyz vocabatur, hodie Kerka, aequae in Castriferrei Provincia scaturiens, per Szaladiensem, decurrit, nomenque dedit Zelyzio, in quo Atha, alias Otto Palatinus monasterium, et Abbatiam in honorem S. Iacobi fundavit, anno 1061. Cod. Dipl. Tom. I. p. 398. hodie Abbatia S. Iacobi de Silisio. Situs itaque docet, Henricum per Styriam in Hungariam irrurisse.

6) Teste Ioanne Haugen Chron. Lib. III. Cap. 33. „bisschoff Gebhart von Freysing.“

7) Tirsus, pro Thyrsus, seu culmus; sensus est: quod foenum in culmis concremari fecerint.

8) Badouch, nostra aetate Badatson in Szaladiensi Comitatu,

9) Latrunculi, Excursores, Praecursores Exercitus, seu Biseni, et Siculi: qui, teste Turotzio P. II. Cap. LXV. „more solito praeibant agmina Hungarorum.“

10) Erat is laurinensis Episcopus, ab anno 1052. ad annum 1064. fuitque Andreae I. Regis Notarius, qui Privilegium pro Abbatia Tihanyiensi anno 1055. datum conscripsit.

11) Percipere, Intelligere, videntur literae germanico idiomate scriptae fuisse, quod Regi, ac Duci interpretari debuerint; ut ut certum, indubitatumque sit, ambos fratres etiam latinae linguae ignaros fuisse.

12) Hospes, convena; qui verisimiliter Germanus fuerit.

13) Subvectores, adiutores, auxiliares; subvectare, adiuvere, auxiliari. Subvectus, vectura, hac ratione videtur hoc loco sumta.

14) Toxicatus, venenatus, toxico infectus. Toxus, Arcus, Toxicator, venenarius, Toxicare, veneno inficere. Gloss.

15) Papilio, Tentorium, Tabernaculum.

16) Cur Andreas, Henricum cum exercitu non deleverit, ex Annalista Saxone pronum est intelligere, qui ad annum 1052. haec memoriae prodidit: „Henricus Imperator iterum Pannonias petit, et inacte redit, habens in comitatu Leonem apostolicae sedis praesulem.“ — Gerbertus nempe Frisingensis Episcopus Henrici Imperatoris frater, Hungarorum stratagemate deceptus, postquam revertisset, Leonis Papae IX. auxilium implorabat; cuius auctoritati Andreas Princeps religiosissimus, sub oblatis sibi conditionibus, cessit, pacique subscripsit. Henricus itaque, qui tot itineribus, tantoque cum apparatu perpripus Regnum Hungariae sibi subiicere conabatur, iam nunc, quid quid iuris ex Petri oblatione accepisse videri posset, omnino amisit, nec illud unquam repetiit. Andreas igitur, qui totis cervicibus, praetensivum ius istud, excussit, suaeque libertati Hungariam asseruit, hoc nomine aeterna dignus est memoria. „Romana Respublica subiectionem regni Hungarici perdidit.“ — Wibert. in Vita S. Leonis Lib. II. Cap. 4. Acta SS. April. Tom. II. p. 661.

17) Henrici III. Imp. filiam, Salomoni recens nato desponsam, quam patrii Annales, Aloldus item, et Dlugossus, Sophiam vocant; Gregorius VII. P. P. diserte Iuditham nominat: hoc nomine compellat eam Ebbo quoque, qui vitam Ottonis Episcopi Bambergensis conscripsit. — Insuperabilem Sophia binomina scriptoribus domesticis posuit obicem, ex quo eluctati non sunt. Vid. Stephani Katona. Hist. Crit. Regum. Hung. Tom. II. p. 78.— 83. — Hodie tamen omnis evanescit difficultas, postquam constat, quod priscis temporibus, Regum, ac Principum uxores, nomina sua in nuptiis, peregrina praecipue, aut mutarint, aut alia sibi imponi permiserint. Conf. Martinum Gerbert de Rudolpho Svevico Comite

de Rhinfelden, Duce, Rege, deque eius illustri familia ex Augusta Ducum Lotharingiae Prosapia. 1785. in 4. p. 145.

¹⁸⁾ Turótzii Chronicon: addit etiam mille tauros ingentes.

¹⁹⁾ Turótzii Chronicon: „Teutonici vero locum eundem — Schilt — Berg vocant.“ — Anonymus Belae II. Regis Notarius Cap. L. „Silva magna, quae nunc Vertus vocatur, propter clypeos Teothonicorum inibi dimissos.“ Mons Vértes longe, lateque porrigitur; ad Tatam in Provincia Comaromiensi incipit, et ad Albensem accedit, ultimatim colles in Veszprimiensem diffundit, circa possessionem Bársonyos, ubi Henricus redux, teste Simone de Keza „primum descensum in monte Barsunus fecisse comprobatur. Quia vero fame ac siti defecerant, in eodem loco ex parte Regis (Andreae) potus et cibus in maxima copia fuit ministratus, indeque crapulati quamplurimi, cum Caesaris vigiles incautis obtutibus Hungaros vidissent hinc inde equitantes, in pactis fraudem interesse crediderunt, quod exercitui declarantes dixerunt, ut ad persequendum eos advenissent. Et quamvis plures in feretris habentes purpurea lectisternia, aegritudine fatigati ducerentur, dimissis feretris, et lectis purpureis, equos ascenderunt, orto sole villam Urs (Örs) coniungentes. Et cum Castellanus, qui in porta erat, cognovisset, quod gens armata — pertransiret, cum suis se armavit, dumque transeuntem turmam a longis aspiciens tueretur, aegroti, qui dimissis feretris, et lectisterniis in Monte Barsunus in equis equitaverant, allocatis curribus, per indagines transibant. Quorum scutiferi, ut retro viderunt aciem Castellani — abfugerunt. Unde usque hodie in transitu ipso, equorum ferramenta, gladii, et plura his similia, aquis exsiccatis, solent inveniri. Mons vero Barsunus propter lectisternia, sic relicta, quae fuere purpurea, de terricolis extitit nominatus.“

De Nuptiis

Salamonis cum Domina Sophia, quomodo in pueritia per Patrem coronatus est.

Celebratis cum Sophia Imperatoris filia nuptiis, Andreas, promissorum immemor, Salomonem coronari iubet, ob idque se cum Bela fratre, intestino bello implicat
Anno 1059.

Postquam autem Cesar cum tanto dedecore fugit in terram suam de Hungaria; Rex Andreas mittens ad eum Legatos, petivit ab eo, ut Sophiam filiam suam Salomoni

filio suo matrimonio copulandam, ut promiserat, concederet. ¹⁾ Cesar autem, quemadmodum iureiurando promisserat, fideliter complevit. Regalibus itaque nuptiis iuxta fluvium Morva celebratis, et federibus pacis firmiter roboratis, Cesar, et Rex cum gaudio sunt reversi. At Rex Andreas post hec cito incidit in paralysim, et tam nivali, quam estivali tempore super trabam ²⁾ ferebatur. ³⁾ Post mortem itaque Sancti Regis Stephani transacti sunt anni undecim, menses quatuor, usque ad annum primum imperii Andree Regis. ⁴⁾ Interea vero Petrus Teutonicus, vel verius Venetus, primo, et secundo regnavit annis quinque et dimidio. Abba vero regnavit annis tribus. ⁵⁾

¹⁾ Legationem anno 1053. Salomonis natali contigisse, certum est; ut adeo Sophia anno 1052. conditionate fuerit promissa, si Andree filius nasceretur: id quod etiam Aloldus perhibet, dum Salomoni vix nato filiolum ab Henrico desponsam fuisse innuit. Pactionem vero nuptialem inter Andree filium, et Henrici filiam itidem confirmatam synchroni scriptores docent.

²⁾ Traba, vox Du Fresne ignota; videtur autem purpurea sedes, aut lectus portatilis fuisse, ac ex Trabea detorta; quae toga erat per totum purpurae fasciis, virgisque latioribus, velut trabibus transversis distincta, unde ei et nomen. Haugen Lib. III. Cap. 35. „In dem fiel könig Andreas in ein grosse kranckheyt, also das man in in einer rosspar furen, vnd in einem sessel tragen müst.“

³⁾ Ferebatur, Portabatur.

⁴⁾ Palmari errore; a morte enim Sancti Stephani, quae in diem 15. Augusti 1038. (quo Ecclesia Hungarica olim memoriam quoque S. Stephani colebat, ut Missale Zagrabiensis Ecclesiae an. 1511. Venetiis procusum testatur) incidit, usque finem Septembris 1047. quo Andream corona redimitum constat, fluxerunt anni novem cum excessu unius mensis; dubitari ergo non potest, incuria librariorum annum XI. pro IX. substitutum fuisse: quum Compiler hanc chronotaxim ipse corrigat.

⁵⁾ Chronicon in Missali MSC. membranaceo Bibliothecae Regnicolaris ad an. 1041. „Petrus rex eiicitur, et Abba in regem elevatur.“ ad an. 1044. „Abba Rex interficitur, et Petrus rex in pristinum restituitur.“ et ad an. 1047. „Petrus rex cum dolo obceccatur, et Andreas rex elevatur.“ — et Magno Varadinense Chronicon: „mortuo autem S. Stephano Rege, regnum vacavit vero regimine annis undecim (novem) mensibus quatuor et medio.“

Bela hac re offensus, cum familia in Poloniam, ad Boleslaum, auxilia petiturus, confugit Anno 1059. et commisso ad Tybiscum cum fratre praelio, superior redit, Regnoque potitur Anno 1061.

Quia plerumque carnalis amor, et consanguineitatis affectio impedire solent equitatem; ideo filialis amor in Andrea Rege vicit iusticiam: nam filium suum Salomonem adhuc puerulum, ¹⁾ anno imperii sui XII. ²⁾ confectus senio, in Regem fecit inungi. Cunque in consecratione eius caneretur: Esto Dominus fratrum ³⁾ tuorum. Et hoc per interpretem Bele Duci innotuisset, quod Salomon infantulus sibi Dominus ⁴⁾ constitueretur, graviter est indignatus. Cum autem esset sagacissimi consilii, precavens sibi ab insidiis, Regis Andree fratris sui, ⁵⁾ cum omni sua familia recessit in Poloniam, ad socerum suum. ⁶⁾ Quo audito, Rex Andreas timens illius machinamenta, filium suum Salomonem transmisit ad Imperatorem Teutonicorum, ⁷⁾ socerum suum. ⁸⁾ Secuti sunt autem eum plurimi Primates Hungarie. Interea Dux Bela omnem iniuriam, quam ei frater suus Rex Andreas intulerat, notificavit socero suo, Duci Polonie. Dux autem Polonie auxiliatus est ei fideliter et efficaciter. Dux itaque Bela, tribus agminibus soceri sui munitus, reversus est in Hungariam. Rex autem Andreas pernoscens eum cum exercitu intrasse in Hungariam; ab Imperatore Teutonicorum duos Duces, videlicet Vilhelmum, ⁹⁾ et Poth ¹⁰⁾ in auxilium suum fecit adduci. Ducem quoque Bohemorum, ¹¹⁾ qui consanguinitate eidem attinebat, mercede conduxit, et confidebat in multitudine conductorum. Hungaros autem non multos habebat; quam plurimi enim Salomonem filium suum secuti fuerant, et ex hiis, qui remanserant, plurimi ad Ducem Belam confluerant. Nunciatum est autem Bele, quod Andreas maximam haberet multitudinem conductorum, elegitque magis mori in bello, quam sine pugna ab exercitu Regis declinare: tunc intrepidus concitatum duxit exercitum super Andream Regem versus Tysciam; ¹²⁾ Vilhelmus vero, et Poth Duces Teutonico furore concitati, cum agminibus suis festinanter Tysciam transierunt,

et commisso prelio, ab utraque parte fortiter est pugnatum; sed adiuvante Domino, Dux Bela victoriam obtinuit: fere omnibus Teutonicis ibidem interfectis, et Ducibus eorum comprehensis. Porro Hungari, qui erant apud Andream Regem, videntes victoriam fecisse Ducem Belam, dimisso Andrea Rege, versi sunt ad Ducem Belam. ¹³⁾ Rex autem Andreas fugit versus Teutonium; sed evadere non potuit: captus est enim ad portas Musun, et negliger detentus, ¹⁴⁾ in silva Bokon, ¹⁵⁾ ad villam suam, que dicitur Scirioch, ¹⁶⁾ mortuus est. ¹⁷⁾ Sepultus est autem in monasterio S. Aniani Confessoris, quod idem Rex construxit in Tyhon, iuxta lacum Balatun. ¹⁸⁾ Sed et Dux Bohemorum captus est et cecatus. ¹⁹⁾ Vilhelmus vero, et Poth Duces adducti sunt ad Belam Ducem, qui eos libere abire permisit. ²⁰⁾

¹⁾ Puerulus recens natus.

²⁾ Id est anno 1059.

³⁾ Frater, nomen consanguinitatis, vel propinguitatis.

⁴⁾ Dominus, hoc loco Princeps, seu Rex.

⁵⁾ Conf. Turótzi Chron. P. II. Cap. XLIV.

⁶⁾ Socer, levir, et lato sensu affinis: Miceslaus enim Belae socer iam anno 1034. decessit; anno autem 1059. rerum apud Polonos Boleslaus, Casimiri filius, Micislai nepos potiebatur. Haugen Lib. III. Cap. 35. „zoch er mit seiner haussfrawen, vnd Kinden, vnd vil Vngarischer Fürsten vnd herrn im wider in Poln zu seinen Schwecher.“

⁷⁾ Henricum IV; Henricus enim III. anno 1056. III. Nonas Octobris vitam posuit. „Filiū suū Henrico regi per Tiedbaldum comitem transmisit“ Hermanni continuator.

⁸⁾ Perinde affinis notione; erat autem Henricus IV. Andreae levir.

⁹⁾ Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1061: „Rex Wilhel-mum, marchionem Thuringorum, et Epponem, Citicensē episcopum cum Duce Boëmorum, et exercitu Baioarico illuc misit.“ Annalista Saxo Wilhel-mum filium Wilhelmi de Wimmare compellat.

¹⁰⁾ „Pot de Lebyn, qui nomine alio Ernestus est vocatus, hic cum multis militibus adiit in Hungariam; de isto Comitis Conradi de Altenburg origo esse habet.“ — Sim. de Keza. — et Turótzi P. II. Cap. XIV. „propterea Poth fuit appellatus, quia internuntius erat inter Imperatorem Conradum, et Andream, ac Salomonem Reges. Poth enim Teutonice, Latine nuntius sonat.“ Ad eum modum noster quoque.

- ¹¹⁾ Spitigneus Dux Bohemiae.
- ¹²⁾ Nempe in Ducatum trans Tybiscum situm.
- ¹³⁾ Quemadmodum victoria a Bela stetit: ita etiam causam eius non iniustam fuisse Hungarorum ad illum confluxus docet. Conf. Miller Iacobi Disquisitionem Hist. Crit. belli fraterni inter Andr. I. et Bel. I. M. Varad. 1782. in 8°.
- ¹⁴⁾ Negligenter detentus, i. e. Male habitus.
- ¹⁵⁾ Silva Bakony multos complexa montes, duodecim fere in longum, in latum duo, quatuor, et quinque milliaria per Comitatum Veszprimiensem protenditur.
- ¹⁶⁾ Ad villam suam Scirioch, Turótzi Chronicon „crucem (curtem) suam, quae dicitur Stirem.“ MSC. Scire, utraque Edit. Brun. et August. Stirez; verisimiliter hodiernum oppidum Zirez, ubi Emericus Rex Abbatiam B. M. V. pro Ordine Cisterciensium postea fundavit, hodieque florentem.
- ¹⁷⁾ Paralyticus, ac ut Hermanni continuator ad an. 1060. scribit, febre pulsatus. — Lambertus Schafnaburgensis equo excussum, ac pugnantium pedibus conculcatum fuisse narrat.
- ¹⁸⁾ Chronicon Poseniense „et sepultus est in Tyhon — cum suo filio David.“
- ¹⁹⁾ Turótzi Chronicon „et sine scitu ducis Belae exoculatus.“ — Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 147. non ipsum Spitigneum Bohemiae ducem, sed aliquem copiarum Bohemicarum ductorem ab Hungaris captum, ac oculis orbatum vult.
- ²⁰⁾ De Wilhelmo, Lambertus Schafnaburgensis addit: „Cuius virtus tantae admirationi apud barbaros fuit, ut Joas (Geysa) filius Belis, pro illius tum gentis moribus haud desperatae indolis adolescens, ultro patrem exoraret, non modo ut eum iure belli intactum sineret; sed etiam, ut affinitate sibi iungeret, desponsata ei filia (Sophia) sua, sorore Jojade.“ id est sorore Geysae, ut iam alibi memoravi. Sed Sophiam Wilhelmus, morte praeventus, ducere non potuit, nupsitque Udalrico Marchioni Carinthiae, et post huius obitum, Magnoni Saxoniae Duci.

De Coronacione, Vita, et Morte Regis Bele Primi.

*Bela Dux Albae Regiae Anno 1061. Sacro diademate
incingitur, regnatque laudabiliter.*

Igitur Dux Bela, vocatus Benyn. ¹⁾ victor, cum triumpho venit in Civitatem Albam, ibique regali diademate, inungentibus eum Episcopis, feliciter est coronatus. ²⁾ Te-

nuit autem Regnum pacifice, sine molestatione hostium, et quesivit bona genti sue. Inter cetera siquidem peritiae sue argumenta ostendens, fecit fabricari numos magne monete ex purissimo argento: ³⁾ et precium rerum venalium, secundum certam quantitatem, iusto moderamine discrete rationis, constituit; non enim permittebat Mercatores, ⁴⁾ et Numularios ⁵⁾ per detestabilem avaricie voraginem, a simplicibus, et rusticis superfluum lucrum congregare. ⁶⁾ Hec est enim causa, que maxime solet populos paupertatis et inopie periculis obvolvere: sed ⁷⁾ statum precium unusquisque vendebat et emebat sine iniuria et circumventionem. Iste enim omnia fora in die Sabbati constituit pro vendendo et emendo; ⁸⁾ Bizanciosque currere iussit, ⁹⁾ per districtum Regni sui. Argenteos etiam Denarios, ¹⁰⁾ ut supra scriptum est, cudere fecit, quorum Quadraginta, Bizancius census erat: unde et nunc ¹¹⁾ Denarii Quadraginta, Aurum appellantur; non quod sint Aurei: sed, quod tot Denarii Bizancium valere, illo tempore videbantur. Omnibus enim diebus vite sue, in tota Hungaria non est mutata moneta. ¹²⁾ Multa etiam alia fecit, sempiterna digna memoria. Qua propter Hungaria quam plurimum locupletata, super omnes circumadiacentes regiones caput extulit, vincens eas divitiis; et tunc in ea pauperes locupletabantur, et divites gloriabantur.

¹⁾ Belam Ducem Andreas Rex in an. 1057. tabulis, quibus Radonis Palatini foundationem Abbatiae S. Demetrii supra Savum fluvium sitae, hodie Dimitrovitz, ratihabet; Adalbertum nominat. Cod. Dipl. Tom. I. p. 394—397. Adalbertus ergo et Bela idem omnino nomen esse censi debet. Benyn autem, seu Belyn, et Benyzlo non tam cognomen fuerit, quam potius diminutivum nominis Adalbertus, vel Bela, ad modum Russicorum nominum priorum; ut Daniel Cornides Geneal. Reg. Hung. p. 348. coniecit.

²⁾ Sexta Decembris an. 1060. quemadmodum Henricus Muglen Chronik der Hunnen Kap. XXXI. memoriae prodidit: „der hertzog bela — liess sich kronen an sant niclas tag.“

³⁾ Numi magnae monetae vocabantur, quorum materia purior erat, minusque adulterata; non est ergo intelligendum, quasi hoc loco sermo foret de numis maioris cuiuspiam moduli, postquam constat nullos omnino magni moduli numos tempore Belae I. in

usu fuisse. Conf. Schönvisnerii Notit. Hung. Rei Numariae. Bud. 1801. in 4. p. 104—105. et 161—163. ubi hac de re nostrorum opiniones discutit.

4) Mercari dicebantur monetae, quod nova moneta cum veteri non sine foenore permutaretur. Mercatores igitur fuere Regii campsores, item Nummularii, Collectarii, Mensarii, seu Collectores Lucri Camerae.

5) Numularii, Monetarum Cusores, Monetarii. Papias „Numularius, inquit, qui facit nummos, vel Monetarius.“

6) De hoc collybo confer. Andreae II. Regis Bullam auream: „Nova moneta nostra per annum observetur a pasca usque ad pascha; et Denarii tales sint, quales fuerunt tempore Regis Belae.“ Cum autem lucrum ex permutatione proveniens ad Aerarium Regis, seu Fiscum influxerit, passim Camerae Lucrum appellabatur, Camera enim semper pro Fisco Regis sumitur.

7) Subaudi: iuxta.

8) Quum antea Dominicis, ac Festis diebus nundinarentur Hungari; quare diem Solis hodieque Vásár-nap i. e. Dies nundinarum: maiores autem festivitates Sátoros Idnep dicere, nominareque solemus.

9) Byzantii iidem, qui solidi aurei, per legem Belae I. denariis 40. definiti; quo factum est, ut numerus 40. denariorum longo tempore, etiam post abolitum Byzantium usum, aurei instar consideratus fuerit. Conf. Turotzii Chron. P. II. Cap. XLV.

10) Denarius sumitur pro minutiore moneta; a dando (decem) dictus; quia pro decem nummis imputatur. Isidor. Lib. XIV. C. 24. „Denarius Francicus, inquit Du Fresne, Nummus argenteus, cuius mentio in Lege salica tit. 1. §. 1. 2. tit. 2. §. 1. 2. et alibi passim, ex qua, quadraginta Denarios solidum aureum Francicum aequasse docemur.“ Id quod argumento est, Reges nostros, recepta Religione Christiana, Capitularibus Regum Francorum esse usos.

11) Num particula nunc, ad Matthiae I. Regis aetatem, quemadmodum Stephanus Schönvisner cit. Lib. p. 170. vult, referenda sit, aliis diiudicandum relinquo.

12) Camerae Lucrum itaque, seu redditus, tempore novae monetae cum veteri permutationis, summo cum rigore exigi vetus, a primordio non fuerit Hungariae Regibus usitatus. Ceterum RR. Auctor Codicis Diplomatici Tom. IX. Volum. II. in Praef. p. VIII. Liberarum ac Regiarum Hungariae Civitatum Census, quos terragii nomine hodiedum solvunt, male cum Lucro Camerae confundit.

Indictis Albam Regiam Comitibus, etiam non vocata plebs, ad patrias superstitiones reditum extorsura, confluit, cuius ferociam sagaciter praevenit, inconditamque turbam dissipat Anno 1061.

Misit etiam Rex, clementissimus, per totam Hungariam Precones, ¹⁾ ut de singulis villis ²⁾ vocarentur duo seniores ³⁾ facundiam habentes, ad Regis consilium. ⁴⁾ Quo audito, non tantum hii, qui vocati fuerant: ⁵⁾ sed etiam omnes rustici, et servi, cum universa plebe Hungarie, venerunt ad Regem in Albam. Rex autem, et Episcopi, cunctique Proceres videntes immensam multitudinem, timuerunt, ne forte irruerent in eos; et intrantes Civitatem, observaverunt eam. Plebs autem constituit sibi Prepositos, ⁶⁾ quibus preparaverunt orcistrum ⁷⁾ de lignis, unde possent ab hominibus videri et audiri. Prepositi vero miserunt ad Regem, et ad Proceres nuncios dicentes: Concede nobis ritum patrum nostrorum: more paganismo vivere: Episcopos lapidare: Presbiteros exenterare: ⁸⁾ Clericos strangulare: ⁹⁾ Decimatores suspendere: ¹⁰⁾ Ecclesias destruere, et Campanas confringere. Hiis auditis, contristatus est Rex, et petivit inducias trium dierum, ad deliberandum super negotio. Interim vero Prepositi in eminenti residentes, predicabant nephanda carmina ¹¹⁾ contra Fidem. Plebs autem tota congratulanter affirmabat: Fiat. Fiat. Cum autem tertia die responsum expectarent, Milites armati, ¹²⁾ ex precepto Regis, irruerunt super eos, et aliquot ex eis obtruncaverunt; Prepositosque ab altis precipitando, contriverunt: reliquos autem ligatos, diris verberibus flagellaverunt. Et sic occidendo, ligando, flagellando, seditionem eorum, Milites vix edomuerunt. Postquam enim Sanctus Rex Stephanus convertit Hungariam ad Christum, bis ad paganismum versa est; semel tempore Regis Andree; ¹³⁾ secundo vero, tempore Regis Bele, sicut nunc scriptum est.

¹⁾ Praeco, Nuncius, Proclamator.

²⁾ Villa illa aetate, posterioribusque temporibus, non modo praedium rusticum, aut pagum, ut hodie appellamus: sed Civitatem quoque significat; quemadmodum Glossaria, Urbium item no-

strarum vetustissima Privilegia docent. Hoc tamen loco Villa pro Nobilium habitatione accipienda est, ut ipse contextus de rusticis ac servis insertus, vel me tacente, innuit; Hungara namque Nobilitas, ut hodieque, ita aetate quoque illa semper in suis Dominiis egit. Falluntur ergo turpiter, falluntque, qui ad haec Comitia plebeculam quoque vocatam fuisse putant: Hungari profecto servorum consiliis haud indigi, cum illis, velut non ingenuis, raroque fidis, nunquam publica Regni negotia tractarunt.

1) Senior, testantibus Glossariis semper Dominum significabat; unde Gallicum Seigneur. Per seniores villarum ergo intellige Dominos Nobiles: non autem provectoris aetatis rusticos.

4) Consilium, Coetus, Comitia: „quomodo Consilium vocamus coetum Consiliariorum.“ Gloss.

5) Nempe: Seniores, seu Domini Nobiles, Corrigendus ergo est Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 182. ita scribens: „Bela — indictis Albam Regiam comitiis, binos e singulis oppidis, ac vicis facundiores evocavit.“

6) Praepositus, Praefectus, item Iudex ad mandata exequenda constitutus.

7) Orcistrum, et Orcistra, Suggestus, in quo Praefecti mandata exequebantur.

8) Exenterare, viscera extrahere.

9) Strangulare, laqueo suspendere, suffocare.

10) Suspendere, ad Furcam, Patibulum trahere.

11) Carmen, Incantatio. Iustinianus §. 5. Instit. de Publ. Iudic. Carminare, Incantare, carminibus magicis irretire, item Carminare, cantare carmen, commentare carmen. facere carmen. Gloss. Carmen itaque hic denotat ethnicas cantilenas contra Religionem Catholicam effutitas.

12) Milites, seu Nobiles.

13) Ab illo etiam, hac ratione, perditii homines, sacrilegum ad ethnicas superstitiones reditum extorquebant; quibus tamen ille resistendo non fuit: quemadmodum Bela, qui securo loco positus, Regnique Proceribus stipatus, secundam defectionem repressit.

Relicto sui aeterno desiderio, moritur Anno 1063.

Piissimus autem Rex Bela, completo regni sui anno tercio, 1) in Demes Regali allodio, 2) corrue[n]te solio, 3) confractus corpore, irremediabiliter cepit egrotare; duxeruntque eum seminecem ad rivulum Kyrusna, 4) propter quasdam Regni necessitates: et ibi migravit a seculo. Se-

pultus est autem in monasterio Sancti Salvatoris, quod ipse construxerat in loco, qui dicitur Zug Zard ⁵⁾)

¹⁾ Iam dixi, auctore Henrico Muglen, annos eius regni numerandos esse a 6. Decembris 1060. cum autem tertium annum regni complevisse perhibeatur, dubitari non potest, eum mense Decembri 1063. obiisse; prout Aloldus quoque mox, in testem vocandus, narrat.

²⁾ Demes regale allodium. „Regale allodium, seu praedium liberum, nulli privato dominio obnoxium. Lege: Gothofredi Leisleri Ius Georgicum, sive Tractatus de Praediis. Lips. et Francof. 1698. in fol. — Est autem Demes possessio mille fere passibus Strigonio reiecta, ubi Almus Dux, Belae II. parens Praeposituram S. Margarethae cum collegio Canonorum fundavit, cuius nunc tristitia tantum rudera visuntur. Conf. Cod. Dipl. Tom. II. p. 94. ubi Bela II. in an. 1138. confirmationalibus: „Ecclesiam Demesiensem pia memoriae Almus Dux, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, sub titulo Beatae Virginis, et Martyris Margarethae fabricaverat quidem, sed multis adversitatibus suam voluntatem bonam praepedientibus, invitum inordinatam reliquerat.“

³⁾ Pro clara Solii notione assequenda scitu necessarium est: omnes olim propemodum gentes, Solem pro summo nomine coluisse, ac in uno Sole omnia Religionis studia collocavisse; quia igitur Solem pro Numine adorabant, ac ab illo omnia proficisci credebant: ideo Praedia quoque nulli peregrino dominio subiecta, de quibus libere disponere potuerant, Praedia Solaria appellare consueverunt, quod illa a Sole, seu a Deo se tenere profiterentur: „uti hoc videre licet in Regno Hungariae, inquit laudatus Leisser citati operis Lib. I. Cap. X. cuius Rex die Inaugurationis adversus solem tribus (quatvor) ictibus verberare obstrictus est, et sic illud a nemine, nisi a Deo, et Sole recognoscit.“ Ob idque contra omnes inimicos ex quacunque mundi plaga venturos se defensurum, data fide, pollicetur. — Domos autem in Solaribus huiusmodi Praediis, seu Allodiis aedificata Solium nominarunt. Hac notione in Glossariis quoque Solium denotat Cameram; rite igitur Aloldus nostri, ac Turótzii Solium, ad an. 1062. domum vocat, in haec verba scribens: „Bela autem nova arma parans in Australes, dum ad finem anni (1063) placitum teneret, apud oppidum Temes, ruente Domo, graviter contritus obiit.“ Haugen Lib. III. Cap. 36. „Als nun — im ein paw in seinem Palast zu thun fürgenommen hett, ging der soler, oder poden mit im ein, davon er gedruckt, vnd so hert erschreckt ward, das er in ein schwere krankheit fiell, darin er starb.“

⁴⁾ Kyrusna; Turótzii Chronicon Kanisa, fluvius in Comitatu Szalad.

5) Turótzii Chron. „Hic enim (Bela) erat calvus et in colore brunus; propterea suum monasterium ad suam dispositionem Zewk-Zard appellavit.“ — Zuk, vel Zug hodie nobis Szeg nigrum: Zar autem, nunc Szár calvum denotat; hinc pronom est coniciere, Principes nostros loca recens condita ex nomine denominare solitos fuisse suo vel nativo, vel assumto; proinde Belam I. quoque oppido Tolnensis Provinciae Szeg-szárd idcirco hoc nominis imposuisse: quod forte ipsemet Rex ex corporis sui habitu Zugzár sibi cognomen adsciverit, vel ab aliis ita fuerit vocitatus.

De Coronatione, et Vita Regis Salomonis.

Salomon Henrici IV. affinis opera Regno potitur
A. C. 1064.

Rex autem Salomon, audita morte Bele Regis, accessit ad socerum suum Imperatorem Teutonicorum, rogavitque eum, ut regnum Hungarie sibi restitueret. ¹⁾ Cuius precibus Imperator gratanter acquievit, et cum illo nobili Romane arcis exercitu, ²⁾ et illustri cetu imperialis glorie, Salomonem in Hungariam reduxit. Interim Geyza, filius Regis Bele, sicut erat prudens et circumspectus, cum duobus fratribus suis adolescentibus, assumsit se seorsum in partes Polonie; non enim poterat impetum Salomonis tunc sustinere. Rex itaque Salomon sine difficultate intravit in Hungariam Rege orbatam, et securus venit in Civitatem Regiam Albam, ibique ab omni Clero, et Populo totius Hungarie honorificentissime susceptus est. Concionatus est autem Imperator ad universum cetum Hungarorum pro genere suo Rege Salomone, ³⁾ pacemque inter eos reformatam, iurisiurandi religione interposita, confirmavit: Regem autem Salomonem in paterno solio, gloriose coronatum, cum assensu et clamoratione totius Hungarie, sedere fecit. ⁴⁾ Ipse Imperator, divite gaza Hungarie a Rege Salomone largissime remuneratus, prospere rediit ad propria.

¹⁾ Videtur Salomon clientelari obsequio Hungariam ab Henrico IV. recepissee, id quod ex S. Gregorii VII. P. P. litteris ad Geysam I. Regem X. Kal. April. indict. XIII. 1075. hoc tenore datis colligo: „Notum autem tibi esse credimus, Regnum Hunga-

riae, sicut et alia nobilissima, in propriae libertatis statu debere esse, et nulli Regum alterius regni subiici, nisi sanctae et universali matri, Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet, ut servos, sed ut filios, suscipit universos. Quod quia consanguineus tuus (Patrueus Salomon) a Rege Teutonico, non a Romano Pontifice, usurpative obtinuit, dominium eius, ut credimus, divinum iudicium impedivit.“ Cod. Dipl. Tom. I. p. 423. — Difficilem propter has litteras S. Pontifici moverunt nonnulli litem; verum quod S. Gregorius Regnum Hungariae nequaquam contenderit esse Sedi Apostolicae haereditarium, neque liberam electionem turbaverit: sed solum a Regibus Hungariae devotionis erga Sedem Apostolicam significationem exegerit; evidentibus ostendit argumentis Ill. ac R. R. Comes Ignatius de Batthyány Episcopus Transsylv. L.L. Eccl. Tom. I. p. 423—428.

2) Romanae Arcis exercitus. Arx, Copiae, vires exercitus. Gloss. Romanae arcis exercitus itaque Militiam Romanam denotat.

3) Gener. Agnatus, affinis; maxime sororis maritus. Gloss. Socer e converso non tantum uxoris parentem, verum etiam eius fratres denotaverit; quum Salomon, Henricum IV. affinem superius exerte socerum compellet.

4) In paterno Solio sedere fecit. — Solii origo prorsus illa fuerit, quam superius de Solaribus Praediis locutus attigi; hinc iam facile explicari potest formula quoque, Dei Gratia, per Imperantes hodieque usurpari sveta, quo titulo innuere volunt, se Regna immediate a Deo accipere. Non placet igitur Martini Schwartner opinio, quam in Introduct. in Rem Dipl. aevi intermedii, praecipue Hungar. edit. secund. p. 233. §. 164. depromit: quod formula Dei Gratia inter Reges, et Principes Pipino primum commoda visa fuerit, ad speciem imperii honesti, quod antiquitate partum erat, induendam.

Geyza Dux, Belae I. filius bello Salomonem adoritur: verum opera Episcoporum pacem conficit Anno 1064.

Statim autem, ut Imperator discessit, Geyza illinc, quo se caute contulerat, in Hungariam accessit. Rex autem Salomon tanquam novus, et necdum in Regno roboratus, timens, ne forte Geyza cum exercitu Polonico super eum irrueret, paulisper retrocessit cum suis, et in castro Musun munitissimo, tota statione, resedit. Porro enim et alii viri, cum Episcopis, religiosi satagebant inter eos pacem componere; maxime autem Desiderius Episcopus ¹⁾ delinitivis ammonitionibus, et dulcibus allocutioni-

bus suis mitigavit animum Geyse Ducis, ut Salomoni, quamvis iuniori, ²⁾ Regnum cum pace redderet, et ipse Ducatum, quem Pater eius prius habuerat, pacifice tene-
ret. Cuius salubribus persvasionibus Geysa, deposito rancore, paruit. ³⁾ In festo autem Fabiani, et Sebastiani, Rex Salomon, et Dux Geysa coram Hungaris in Gyur ⁴⁾ pacem iuramento firmaverunt. ⁵⁾ Deinde festum Dominice Resurrectionis ambo simul, cum plena curia, Quinque-Ecclesiis celebraverunt, ubi Rex Salomon ipso die Pasce, assistentibus Regni Proceribus, per manus Geyse Ducis, honorifice est coronatus, ⁶⁾ et in regiam Beati Petri Principis Apostolorum Basilicam, ⁷⁾ ad audiendam missam gloriose deductus. Universa autem multitudo Hungarorum, videns pacem Regis, et Ducis, et mutuam inter eos dilectionem, laudavit Deum pacis auctorem; et facta est leticia magna in populo. In eodem autem anno, Ducibus ibidem existentibus, Ecclesia horribiliter est combusta.

¹⁾ De quo Stephanus Katona Hist. Metr. Colocensis Ecclesiae P. I. p. 159. „Existimabam, inquit, antea (Hist. Crit. Tom. II. p. 211.) hunc Desiderium Iaurinensem Episcopum fuisse: quum Turotzius eius sedem non exprimat, et Iaurini pacem firmatam fuisse dicat. At Desiderium, nisi duo huius nominis episcopi hoc seculo fuerint, Colocensem fuisse, regum diplomata docent.“

²⁾ Iuniores in re politica, dicti quivis inferioris gradus, qui aliis, senioribus scilicet suberant ratione dominii, vel iurisdictionis. Gloss. Nullus dubito, quin imperium potiore iure ad Geysam, quam Salomonem pertinuerit, ut iam etiam ex Pelbarti sacris sermonibus refuli.

³⁾ Ex hoc testimonio elucet insignis Geysae Ducis temperantia, qui maluerit omni iuri, quod ad Regnum habuit, renunciare, quam Hungariam intestinis bellis involvere. Quam ob rem Lamberto quoque Schafnaburgensi ita laudatur: Joas filius (Bel) satius putans, moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiendo, calamitatem atque excidium parare genti suae, mandavit regi Henrico, si sibi apud Salomonem, filium Andreae regis, natalibus et meritis suis condignus honor haberetur, subditum se ei fidelemque futurum; et malle beneficiis cum eo, quam armis: fide, quam acie, dimicare“ ad an. 1063.

⁴⁾ Gyur, hodie Győr, Iaurinum; apud Turótzius, et in vetustis chartis constanter Gewr, et Geuru invenies exaratum.

5) Vigesima quippe Ianuarii 1065. Nec enim aliter tempora temporibus conciliare possumus, quam si superiorem annum in mutuis legationibus hinc et illinc missitatis exactum esse, principesque iam conciliatos, ineunte hoc anno Iaurinum accessisse dicamus. Addit Haugen Lib. III. Cap. 39. „Zv derselbigen zeyt schicket Zolamerus der könig von Dalmacien sein Botschaft zum könig von Vngern, auch zu hertzog Geise, beklagt sich vber die Kernter, daz sie im die Windischmarg mit gewalt abgedrungen hetten. Dieweil nun derselbig könig, hertzogs Geise schwester hatt, schickten sie im ein gross volck, mit dem sie die Kerntner zuruck trieben, vnd die WindischMarg wider gewunnen.“ Haec paulo aliter Turózi Chr. P II. Cap. 47. Conf. Lucii Lib. II. Cap. I.

6) Veteribus frequenter usitatus hic actus, eo anno die Paschatis iteratus in septimam et vicesimam Martii incidit. Non fuisse autem inaugurationis ritum, quemadmodum domesticis scriptoribus videtur; sed praecipuorum festorum illam solennitatem, ut Reges omnibus festis maioribus, Coronam ab Episcopis, vel Principibus Viris sumerent; iam in Historia Abae Regis narravi.

7) Regia Basilica, per eminentiam videtur ita compellari. Du Fresne „Basilicae prius vocabantur Regum habitacula, inquit, unde et nomen habent. Nunc autem ideo divina templa Basilicae nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus et sacrificia offeruntur.“

De eo, quod Salomon, et David frater eius liberos non habuerunt.

*Andreae I. Regis filii Salomon, et David ambo improles :
Geysa autem Dux, Belae I. filius, Dei benedictione,
duorum natorum parens.*

Rex autem Salomon, et frater eius David ¹⁾ liberos nunquam habuerunt, et in ipsis semen Regis Andree defecit; quod ideo esse divinitus credimus factum: quia, quando Andreas primo in Hungariam reversus est, cum Levente fratre suo, propter hoc, quod ipse regnum posset obtinere, permisit Vatham prophanum, ²⁾ et alios pessimos, multorum Sanctorum sanguinem fundere. ³⁾ Dux autem Geysa genuit Colomannum, et Alnum, ac filias. ⁴⁾ Viguit autem tranquilla pax inter Regem, et Ducem circiter annos tredecim. ⁵⁾

¹⁾ David adhuc anno 1094. superstes fuit. Vide de illo S. Ladislai dipl. Cod. Dipl. Tom. I. p. 469. et 487.

2) Prophanus, violator, infractor. Gloss.

3) Temerarium est hoc iudicium, superius iam damnatum.

4) In alia omnia discedunt Daniel Cornides, Stephanus Kationa, Georgius Pray etc. et contra domesticorum fidem documentorum, Colomannum, et Almun, S. Ladislai filios esse contendunt. Sententiae huic favere videntur Thomas Spalat, apud Schwandtner SS. Rer. Hung. Tom. III. p. 634. qui Colomannum, Ladislai filium nominat; et Monachus Weingartensis apud Canis. edit. Basn. Tom. III. p. 583. qui Sophiam Belae I. Regis filiam Colomanni sororem: huius porro Sophiae sororem Priscam, seu Irenem, regi Graecorum nupsisse scribit. Verum argumenta haec sua carere vi, certum est; nam aevo medio vox filius pro cognatis atque propinquis iunioribus promiscue usurpatur. Sororem vero pro eiusdem dignitatis et instituti persona, item pro Principum uxoribus passim accipi, perspicuum est. Colomannum, porro, Geysae, et non Sancti Ladislai natum fuisse, evicit RR. D. Georgius Fejér in an. 1826. Tudom. Gyűjt. Tom. IV. p. 54. et Cod. Dipl. Tom. II. p. 67—80. Ceterum Geysae Regi uxor fuit Synadene. Theoduli Synadeni filia, Nicephori Botaniatis Imp. ex sorore neptis. (Ioan. Scylitz. Curopol. Contin. Cedreni in Nicephoro Botoniate p. 678.) ex qua genuit Colomannum, et Almun filios, ac Sophiam, Lamperti Comitis Palatini Hungariae coniugem: quam Bela II. Rex in tabulis anno 1135. Bozokiensi Praemonstratensium Praepositurae datis, exerte Sophiam, ac aevi illius more, S. Ladislai sororem appellat, testaturque, per S. Ladislaum fuisse Comiti Lamberto elocatum, quod argumento est, eam post Geysae patris obitum nupsisse, adeoque a Sophia, Belae I. Regis filia omnino diversam esse; et forte Bertam, Henrico Comiti Rittenburgico Advocato Ecclesiae Ratisponensis elocatam.

5) Forte legendum: annos tres; omnes enim anni, quibus Salomon regnavit, tredecim annos non conficiunt; coepit namque anno 1064. desiit autem 1074. teste Chronico in Missali MSC. Bibliothecae Regnicolaris ad an. 1074. „Salomon regno privatur.“

*Bohemos in Hungaria grassantes Rex, et Geysa Dux
coërent Anno 1070.*

Interim Bohemi superbia inflati, irruerunt versus urbem Trenchen, et magnam predam hominum, et ceterorum animalium rapientes abduxerunt. Rex autem, et Dux pro magna iniuria hoc reputantes, cum suis exercitibus Bohemiam invaserunt; et Bohemis ad conflictum venire non audentibus, Hungari fere totam Bohemiam igne ac gladio vastaverunt. 1) Ibi Opus, Martini filius, 2) quen-

dam Bohemum, adinstar gigantee magnitudinis corpus habentem, in certamine singulari, viriliter postravit: propter quod memoriale factum, semper postmodum apud Regem, et omnes optimates Hungarie, gloriosus emicuit.

³⁾ Rex itaque, et Dux iniuriam suorum super Bohemos graviter vindicantes, cum maxima preda captivorum Bohemorum, in Hungariam, gaudentes sunt reverſi.

¹⁾ Andrea regnante Hungari Moraviam incursarunt: idem nunc Moravi, quos noster Bohemos nominat, fecere, hac occasione videtur Ludmilla, Geysae Ducis soror, Ottoni Moraviae Duci nupsisse.

²⁾ Thurótzi P. II. Cap. XLVIII. „Bator opus, Martini filius“ inquit.

³⁾ Videtur Opus, Martini filio ab hac victoria cognomen Bátor, seu audax, adhaesisse, ac inclutae Bátoriorum stirpi iam dudum extinctae, gentilitium fuisse; quos Carolus Wagner Collect. Geneal. Hist. Familiar. Dec. I. §. II. p. 27. de genere Guth-Keled prognatos esse perhibet; verum noster de genere Vencellini ortos testatur.

De Adventu Cunorum.

Cumanorum quoque irruptionem feliciter vindicant Anno 1066. quo in bello heroica S. Ladislai Ducis virtus maxime enituit.

Post hec autem Pagani Cuni a superiori parte Mezes, ¹⁾ ruptis indaginibus, ²⁾ irruerunt in Hungariam, totamque Provinciam Nyr, ³⁾ usque civitatem Byhar, ⁴⁾ crudeliter depredantes, infinitam multitudinem virorum ac mulierum, ceterorumque animalium secum trahentes, per amnem Lapus, ⁵⁾ et fluenta Zomus, ⁶⁾ inopinabiliter transeuntes, remeabant. Rex igitur Salomon, et Dux Geysa, cum fratre suo Ladizlao, collecto exercitu, festinantissime accelerarunt, et per portam Mezes transeuntes, priusquam Cuni montes et silvas transcenderent, in urbe Doboka ⁷⁾ pene per totam septimanam ibi adventum Paganorum expectarunt. Quidam autem de Speculatoribus, ⁸⁾ nomine Fanciska, ⁹⁾ qui erat de Novo Castro, ¹⁰⁾ certificavit Regem, et Duces in quinta feria, quod exercitus

Cunorum appropinquaret. Rex autem, et Duces cum exercitu equitaverunt illuc usque properantes, et in nocte illa descenderunt prope Cunos. Surgentes autem summo diluculo, sexta feria omnes Eucharistie communione se ipsos muniverunt, et ordinatis agminibus suis, ad confligendum contra Paganos processerunt. Quod cum vidisset Princeps milicie Paganorum nomine Oslu, ¹¹⁾ qui fuit serviens Gyule Ducis Cunorum, sicut erat plurimum inflatus superbia, ac nimium de se presumens, inquit suis: „Vadant iuvenes ¹²⁾ super inermes Hungaros, et cum eis ludi simile bellum committant.“ ¹³⁾ Nullos enim credebatur esse, qui cum eis congredi auderent. Procedentes autem Pagani contra Hungaros, viderunt terribilia eorum agmina, et prepropere renunciaverunt Oslu Principi suo. Qui coadunato conducto exercitu Cunorum, ¹⁴⁾ festinanter collegit se in supercilium montis altissimi, putans, hoc sibi fieri pro maximo tutamento. Est enim ascensus gravissimus montis illius, qui ab incolis vocatur Kerieleis. ¹⁵⁾ Congregatus est autem universus exercitus Hungarorum ad radicem montis eiusdem, Milites enim Regis Salomonis omnes pariter gestabant vexilla sua de sindone facta. ¹⁶⁾ Pagani autem in cacumine montis iam collocati fuerant, ex quibus fortiores et audaciores sagittarii descenderunt in medium devexi montis, ut Hungaros ab ascensu montis procul abarcerent. Ceperunt itaque tempestuosis imbribus densissimarum sagittarum, in turmas legionum Regis, et Ducis deservire. Quidam incliti milites Hungarorum irruerunt super illos sagittarios, et quam plures ex eis, in latere eiusdem montis occiderunt, et valde pauci equos suos, arcubus suis verberando, urgentes, vix ad socios suos ascendere potuerunt. ¹⁷⁾ Rex autem Salomon acerrime animositatis audacia fremebundus, per gravissimum ascensum, cum agmine suo, quasi raptando, ad Paganos ascendit, qui super eum densissimos sagittarum imbres effundebant. Dux autem Geysa, sicut erat semper providus, per leviolem ascensum ascendens, sagittis irruit super Cunos; cuius frater Ladizlaus quatuor ex fortissimis Paganis, primo impetu interfecit, et a quinto eorum

sagitta graviter est vulneratus; et eodem mox ibidem interfecto, postmodum, divina miseratione, a vulnere illo, cito est sanatus. Pagani vero, atrocissima mortis illatione ab Hungaris coartati, miserabiliter fugiebant. Quos Hungari celerius persequentes, acutissimos gladios suos et sitibundos, in sanguinibus Cunorum inebriaverunt. Capita quippe Cumanorum noviter rasa, tanquam cucurbitas, ad maturitatem nondum bene perductas, gladiatorum ictibus disciderunt. Vidit denique Beatissimus Dux Ladizlaus unum Cunum, qui super dorsum equi sui ducebat unam puellam Hungaram speciosam; Sanctus ergo Dux Ladizlaus putans illam esse filiam Episcopi Varadiensis, ¹⁸⁾ et quamvis esset graviter vulneratus; tamen illum celerrime persecutus est super equum illum, quem Zug ¹⁹⁾ nominabat. Cum autem attingeret, ut eum lancearet, minime poterat; quia nec equus eius celerius currebat; nec equus illius aliquantum remanebat; sed quasi brachium hominis erat inter lanceam, et dorsum Cuni. Clamavit itaque Sanctus Dux Ladizlaus ad puellam et dixit: soror speciosa accipe Cunum in cingulo, ²⁰⁾ et iacta in terram; quod et fecit. Cunque Beatus Dux Ladizlaus procul illum lanceasset in terra iacentem, voluit eum interficere; quem puella valde rogavit, ne eum interficeret. Unde in hoc notatur, quod in mulieribus fides non sit; quia forte amore stupri illum liberare voluit. ²¹⁾ Sanctus autem Dux, diu cum eo luctando, et abscisso nervo, ²²⁾ illum interfecit. ²³⁾ Sed illa filia Episcopi non fuit. Rex igitur, et gloriosi Duces, fere omnibus Paganis interfectis, et omnibus Christianis a captivitate liberatis, una cum felici embola ²⁴⁾ totius Hungarie, cum triumpho victoriae, gaudentes, redierunt. Facta est autem leticia magna in tota Hungaria, et in ymnis ²⁵⁾ et confessionibus benedicebant Dominum, qui dedit illis victoriam.

1) Meszes montes in Comitatu Krasznensi, Hungariam a Transsilvania discriminant; per quos Cumani e Moldavia venientes irruerunt.

2) Indago, sepes palis, seu virgulis inplexis constructa.

3) Nyír, Hungarissabulum denotat; terrae autem tractus Nyírség, de quo hic sermo est, per Comitatus Szabolts, et Szolnok extenditur.

⁴⁾ Bihar civitas, seu castrum, hodie in rudetibus iacet, nomen Comitatu concessit.

⁵⁾ Lapos in alpibus Maramarosiensibus ortus, in Szathuariensi Provincia Szamutio miscetur.

⁶⁾ Szamutio autem in Bisztriciensi, et Maramarosiensi colli-
mitio errumpens, accepto ad Desium, Szamutio minore, in Hun-
gariam devehitur, in Tybiscum amnem in Szaboltsensi Comitatu
praecipitandus.

⁷⁾ Doboka hodie tenuis vicus a quo Comitatus Hungarorum
in Transsilvania denominationem accepit. Lege: Caroli Hodor
Doboka Varmegye Esmértetése, Kolosvárt 1837. in 8^o p. 611
—620. Locus vero ipse a Dobuc conditore ita dictus fuit; cuius
Anonymus Belae II. Regis Notarius Cap. XI. his verbis meminit:
„Ohtum — quem postea longo post tempore Sancti Regis Stephani
Sunad, filius Dobuca, nepos regis, in castro suo iuxta Morisium
interfecit, eo, quod praedicto Regi rebellis fuit in omnibus; cui
etiam praedictus Rex, pro bono servitio suo, uxorem, et castrum
Ohtum cum omnibus appendiciis suis condonavit.“ — Biographus
S. Gerardi Anonymi Sunadum, Chanadinum nominat ita scribens:
„In diebus illis erat quidam Princeps in urbe Morisena nomine
Achtum potens valde — serviebat namque eidem viro terra a flu-
vio Keres (Chrysio) usque ad Partes Transilvanas, et usque in
Budini (hodie Vidin) et Zeren (nostra aetate Severinum) que omnia
sub sua concluserat potestate: unde precedebat in multitudine ar-
matorum Regem, ac minime reputabat: et erat quidam miles
valde honoratus nomine Chanadinus, qui ceteros dignitate prece-
debat, quibus ipsum dominus (Achtum) preposuerat; hic accusatus
est apud dominum suum ardua accusatione, pro qua ipsum dominus
interficere cogitabat, loquens secum in dolo; quod ipsum Chanadi-
num non latuit. Unde fugiens occulte, venit ad Regem, quem
Rex ad Christum convertendo baptizavit; volens autem fidem ipsius
experiri, explorando secreta domini sui; intellexit, quod non do-
lose ad ipsum confugisset: unde cognita eius fidelitate et perseve-
rantia, ait ad optimates suos: preparamini contra Achtum adver-
sarium meum in prelium, et preoccupemus regnum eius, — — ad-
didit quoque Rex dicens: eligite e vobis talem virum, qui sit prin-
ceps noster in prelio. Qui respondentes dixerunt: et quis aprior
inveniri potest Chanadino? quem eis in principem constituerunt.
Respondit Chanadinus: sicut enim domino meo regi placet, sic
Christianis, novus Christianus sum noviter baptizatus, novum sub-
ire volo prelium — Egressi sunt ergo in prelium sine mora —
mox exercitus Achtum, qui iacebat in campo, alter ad alterum
irruerunt; qui terga vertens iniit fugam. Achtum vero interfectus
est in loco prelii ab exercitu Chanadini — — Chanadinus — a
tege sublimatur, quem constituit principem domus Regis, et domus

Achtum; ait enim Rex: ab hac die urbs illa non vocabitur Morisena, sed urbs Chanadina pro eo, quod inimicum meum interfecisti de medio eius: Comes illius provincie eris, ipsamque sub titulo nominis tui titulabis, provincia Chanadiensis vocetur usque in generationem.“ — Haec nonnihil prolixius; quia Daniel Cornides in *Geneal. Reg. Hung.* p. 240. et in *Anonymi Vindiciis* p. 250. contendit, filiam S. Stephani anonymam Dobucae elocatam fuisse, susceptumque ex eadem Sunadum seu Chanadinum, nepotem Sancti Regis Stephani cunctis antea ignotum. Sed vero quis credat S. Proto-Regem filiam, Dobucae non Christiano, in matrimonium dedisse? S. Gerardi enim biographo teste, Chanadinus primum per S. Stephanum fuit sacro fonte ablutas. Aevo praeterea medio. Nepos non tam filium fratris, aut sororis denotabat: quam vero maxime patruelem, vel consobrinum, cum aetate inferiores erant, aut dignitate; quemadmodum Glossaria docent. Dobuca ergo pater Chanadini in Transsilvania forte principis Gyulae filiam habuerit uxorem, ut adeo Chanadinus non S. Stephani nepos, verum consobrinus fuerit. Et haec est ratio, quod neuter seu Dobuca, seu vero Sunad vel Chanadinus Sancto Regi successor sit datus, nec de utriusvis in Regnum paternum iure quaestio ulla unquam mota legatur: non autem, ut Cornides vult, ambos, superstitute adhuc S. Stephano, mortuos fuisse. —

⁸⁾ Speculator, explorator: Specular autem dicebatur locus apertus, vel altus, unde quis potuit speculari. Gloss.

⁹⁾ Turótz: Francisca; verum Fancisca videtur genuina lectio esse; huius nominis enim loca hodieque in Hungaria existunt: in vicinia urbis Debreczen super est praedium Fancsika.

¹⁰⁾ Intellige: Aba-Vára.

¹¹⁾ Cumanica Generatio Osl apud nos quoque floruit. Conf. Doctissimi Stephani Horvát laudatum de Generationibus Hungarorum opus. p. 75. Comites Czirákii de Dénes Falva de Genere Osl sunt.

¹²⁾ Iuvenis hoc loco, tyronem, item infimi ordinis militem significat.

¹³⁾ Ludi simile bellum committere: i. e. more puerorum ludentium aggredi. Ludus Puerorum, de quo Gloss. ex Chron. montis Sereni ad an. 1137. „Accidit, ut in Ludo, qui vocatur puerorum — puer quidam conculcatus moreretur.“ — Ludus ergo ludibrium denotat, et iocum.

¹⁴⁾ Conductus exercitus: i. e. stipendiatus.

¹⁵⁾ Carolus Hodor in *Descript. Comit. Dobocensis* p. 771. Kerieleis nomen ex Kyrie eleison derivat; quod iam illa aetate in loco Kérlés ad montis radicem sito, orantes meridiano, ac vespertino tempore ad pulsum campanarum Kyrie-eleison intonare soliti fuerint. Verum haec opinio subsistere nequit; quia vespere ad sa-

lutandam Dei Param campanas pulsandi mos anno primum 1309. apud nos invaluit. Conf. LL. Eccl. Tom. III. p. 19. meridianum autem et matutinum pulsum Iesuvitae seculo XVI. induxerunt. Nec est credibile, Hungaros graecas in orando voces adhibuisse: ni forte eotum contra Cunos pugnaturi his verbis Dei auxilium imploravissent. Bonfinius in edit. Francof. hunc montem a quercubus Cserhelem (Cserhalom) nominat: Carolus autem Bel in edit. Lips. in Erdeihely mutavit.

¹⁶⁾ Syndon, byssus tenuis. Gloss.

¹⁷⁾ Saepe laudatus Hodor citati operis p. 777. Montem Cserhalom duntaxat decem orgyas altum esse scribit.

¹⁸⁾ Posoniense Chronicon addit: „videlicet Kunves Colomani.“ — Constans vero nostrorum est traditio, non modo domesticorum fide Chronicorum probata: verum etiam Ven. Capituli Magno Varadinensis testimonio post annum 1370. adeoque rebus Hungarorum adhuc integris edito suffulta, S. Ladislaum esse Episcopatus M. Varadinensis fundatorem; quem ille Ducatus sui tempore erexerat. Conf. nostram hac de re observationem p. 105 — 106. praemissam, Ven. autem Capituli testimonium seculi XIV. ita habet: „Ante omnia est notatu dignum, quod Ecclesiae nostrae Varadiensis fundator est beatissimus Ladislaus olim Hungariae Rex. — Fundavit autem ipsam Ecclesiam, et dedicavit in honorem beatissimae Matris Mariae Virginis, instituens, primo in ea Praepositum, et Canonicos numero viginti quatuor, computato Praeposito; et tandem ~~erexit~~ ipsam in Episcopalem, et multis possessionibus, iuribus, et praerogativis dotavit.“ — L. L. Eccl. Tom. III. p. 219—344. Item p. 221. „Post (Geysam) regnavit beatus Rex Ladislaus — Fundator et Dotator Ecclesiae nostrae.“ — Haud me latet, aevo inferiori non eos solum Ecclesiae dici fundatores, qui primum Ecclesiam extruunt, dotantve ex proprio fundo; sed etiam illos, qui instaurant, vel augent, maxime. Verum non eo sensu nominatur hic S. Ladislaus Ecclesiae M. Varadinensis fundator: qui si dotem tantum Ecclesiae auxisset, et S. Stephanus Proto Rex Episcopatus auctor fuisset, profecto Ven. Capitulum ad S. Ladislaum, velut primum fundatorem, non provocaret. Adde, quod Fundatores in Ecclesiis ab se erectis sepeliri voluerint, quem morem Reges nostri semper exactissime illa aetate observarunt. Hanc sententiam nuper a me in Vita S. Ladislai propugnata RR.D. Auctor Codicis Diplomatici in Dissertationibus suis in Res Hungariae Veteris Historico Criticis enervare voluit; cuius obiectiones, ubi de S. Ladislao disserendi campus fuerit, adhuc resumam.

¹⁹⁾ Zug, vel Zeg, idem ac, fuscus, feketé pej, braun.

²⁰⁾ Cingulum, signum Militiae. Cingulo militari decorare, i. e. Militem creare. Cingulum Militare auferre, a Militia degradare. Gloss.

21) Praecox est hoc iudicium de pio femineo sexu latum, qui detestatur bella, et abhorret a nece.

22) Videtur nervus sagittae intelligendus esse.

23) Inelyta Dobocensis Provincia, cetera inter emblemata, hanc etiam Sancti Ducis Ladislai luetam cum Milite Cuno habitam, Sigillo suo inseruit; quod in lithographia exhibet Carolus Hodor Opere citato, describitque p. 897—908. — Idem Auctor p. 770. memorat, in perennem pugnae huius momoriam, in Kérlés Abbatiam quoque, ut par est credere, Sacro Benedictinorum Ordini fuisse fundatam. Montem praeterea loco huic vicinum hodieque de nomine Sancti Ladislai compellari.

24) Embola, Graeca vox, in genere transvectio mercium est, quae in navim emballon iniiciuntur; in specie sic dicta est olim solemnis et annua publicarum specierum transvectio, quae ex Aegypto fiebat. Embola autem sacra appellabatur primitus quidam frumenti modus, quem necessario Romae subministrabat Aegyptus, iam ab Augusti aevo, Sacram porro Embolam Graeci Iure consulti nominant „feliceis embolae frumentum.“ — Hoc igitur loco Felix embola denotaverit cibaria, resque omnis generis ad victum necessarias.

25) Lege: in hymnis,

De Pugna Hungarorum cum Grecis, Bulgaris, et Bessis.

*Rex, et Duces, Bulgarorum Graecanicis technis adiutorum perfidiam, quod Bissenos ad Hungariam vastandam transire permiserunt, ulturi, Taurum obsident
Anno 1072.*

Factum est autem tercio anno post adventum Cunorum, ¹⁾ Besseni ²⁾ per Albam Bulgariam ³⁾ venientes, transnataverunt flumen Zava ⁴⁾ in Campum Bozias, ⁵⁾ et non modicam gentem captivorum et predarum, dirripientes, in suam terram abduxerunt. Rex autem, et Dux imposuerunt crimen traditionis ⁶⁾ Albe Bulgarice eo, quod pace defraudata, voluntarie permississet latrunculos ⁷⁾ Bes-sorum depredari Hungariam. Collectis itaque exercitibus, convenerunt in Zalon-Kemen, ⁸⁾ ubi consilio deliberantes, decreverunt Albam traditricem obsideri oportere et expugnari. Inde castra moventes, descenderunt circa flumen Zava in directo ⁹⁾ Nandur Feyr-Vár. ¹⁰⁾ Exiit autem

edictum a Rege, et Duce, ut universus exercitus Hungarorum quantocyus posset, transiret fluvium Zava in Bulgariam. Greci autem, et Bulgari navigantes in celonibus ¹¹⁾ suis, per ingenia ¹²⁾ sufflabant ¹³⁾ ignes sulfureos in naves Hungarorum, et eas in ipsis aquis incenebant. Victi sunt autem ignivomi Greci ab Hungaris pre ¹⁴⁾ multitudine navium, quibus flumen operuerant. Fugientibus autem Grecis, ac Bulgaris, transierunt Hungari, et terminos Bulgarorum ¹⁵⁾ occupaverunt. Rex autem, et Dux secunda feria transierunt Zavam, et mane facto ordinaverunt acies suas, et plenis manipulis ¹⁶⁾ universaliter per turmas ¹⁷⁾ suas insertis, umbonibus ¹⁸⁾ obsederunt civitatem. Greci itaque, et Bulgari timentes ex obsidione periculum sibi imminere: rogaverunt Bessenos per clandestinos nuncios, ut sine pavore venirent in adiutorium ipsorum, eo, quod nec Rex, nec Dux civitatem eorum obsedisset, sed tantum Comes Vyd cum Bachiensibus militibus eos invasisset. ¹⁹⁾ Bessi autem fraudulentibus verbis eorum seducti, festinanter venerunt in adiutorium ipsorum; et cupiditate prede allecti, quam de Comite Vyd devicto sperabant se habere; precipites irruerunt super agmina Soproniensium, quorum Rector ²⁰⁾ erat Comes Ian ²¹⁾ nomine. Hic autem insultus Bessenorum viriliter et fortiter cum Soproniensibus superavit, pluribus eorum ibidem in ore gladii prostratis; residuis autem ipsorum in captivitatem subactis. ²²⁾ Princeps vero Bessenorum nomine Kazar cum paucissimis fugiendo, manus Hungarorum vix evasit. Rex igitur, et Dux eidem militi Ian munera regalia, condignasque grates, regia liberalitate, contulerunt, eo, quod ipse multa millia Bessenorum, tanquam lapis limpidissimus, ²³⁾ vasa fictilia, contrivisset, priusquam Rex, et Dux cum exercitu suo, de gentaculis capita levassent. Regi autem, et Ducibus Geysa, et Ladizlao super rupem, que eidem civitati proxima est, residentibus, ceperunt Hungari presentare captos Bessenos, et capita interfectorum, et equos, et supellectilia, que in quarta feria, a mane usque ad inclinationem meridiei plene perficere non potuerunt. Hoc autem ideo factum fuit,

ut Greci, et Bulgari, qui obsidebantur, videntes Bessenos, in quibus sperabant, tam crudeliter ab Hungaris obtruncatos, timerent, et semetipsos cum Civitate Regi, et Ducibus traderent.

1) Chronico teste in Missali MSC. Bibl. Regnicol. Hungari his Albam Bulgariae obsederunt; anno 1068. „Civitas bulgarorum a Rege Salomone capitur, rursumque ab iisdem bulgaris et grecis dolo recipitur.“—quo nimirum illius restitutio initae pacis conditionibus inclusa fuit: id quod noster his verbis memorat: „Rex autem, et Dux imposuerunt crimen traditionis Albe Bulgariae eo, quod pace defraudata, voluntarie permisisset latrunculos Bessorum depredari Hungariam.“ nisi pacem Hungari per prius fecissent, non posset urbs proditionis accusari. — Altera autem obsessio anno 1072. contigit, ut idem Chronicon perhibet: „Salomon rex bulgarum regnum invasit.“ Ex his vero annis quoque belli cum Cumanis gesti facile conficitur; cum enim Bisseni anno tertio post adventum Cunorum, irrupisse dicantur, planum est, Cunos anno 1066. fuisse debellatos.

2) Hi Bisseni, seu Piceni fuere illi Patzinacitae, quos Constantinus Monachus, in Bulgarorum terra sub annum 1049. collocavit, quemadmodum Cedrenus scribit „Consulebat Kegenes, ut captivi ad unum omnes occiderentur; Romani ductores vero eos potius per desertas Bulgariae planities dispergendos, atque hinc inde tributum imponendum censebant. Multos itaque illorum Bulgariae Praefectus, Basilius Monachus per campestria Sardicae, Naisi, et Eutzapeli distribuit.“ — Edit. Vien. p. 608.

3) Hodie: Belgradum. Alba Bulgariae nominabatur, ut ab Alba Hungariae, et Alba Iulia Transsilvania discerneretur.

4) Savus e Carniola decurrit, Hungariamque a Bosnia, et Servia disternit, ac ad Belgradum, Danubio miscetur. Conf. Commentationem meam de hodierna Slavonia, ut constitutiva Hungariae parte. Bud. 1837. in 8^o editam.

5) Campus Bozias fuerit planities Sirmiensis Provinciae, in Processu Iregiensi, cuius nomen Bugyanovczve pagus retinuisse videtur; ita dictus a Genere Saxonica Buzad, cuius nomen complura Hungariae loca referunt, ut sunt: Búzádföldje, Buzásd. etc.

6) Traditio, Proditio.

7) Latrunculi, Excursores, Praecursores exercitus, seu Bisseni, ut iam innui.

8) Zalon-Kemen oppidum Sirmiensis Provinciae victoria Christianorum anno 1691. de Turcis relata non incelebre, Tybisci, et Danubii confluentibus obiectum.

9) In directo, i. e. e regione, ex opposito.

¹⁰⁾ Nándur-Fejér-Vár, Hungaris idem, quod Alba Bulgariae, quo a Székes-Fejér-Vár, Alba Regia Hungariae, et Gyula Fejér-Vár, Alba Iulia Transsilvaniae distinguatur. Nádor nobis Comitem Palatinum denotat: forte urbis, arcisque custodia initio ad Regni Palatinos spectabat.

¹¹⁾ Celones, i. e. veloces biremes, vel triremes agiles, et ad ministerium classis aptae, Gloss.

¹²⁾ Ingenium, Machina bellica.

¹³⁾ „Per ingenia sufflabant ignes sulphureos:“ aevi medii scriptores verbum sufflare, pro appodiare, et supponere usurpant; hinc Sufflamen idem ac sustentaculum. „Ignis ille Graecus, quem Callinicus quidam invenerat sub A. C. 672, inquit Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 244, ea virtute praeditus erat, ut aquarum vim superaret, ac in mediis undis incendia misceret. Conficiebatur autem ex camphorae bitumine, quod tenacius est, quam ut aquarum vi partes illius divelli possint.“

¹⁴⁾ Prae, i. e. propter.

¹⁵⁾ Terminos Bulgarorum, seu Limites Bulgariae; terminus enim passim pro limitibus accipitur,

¹⁶⁾ Manipulus, qui vexillum fert in bello; adeoque signifer. Sed aevo medio Manipulares dicti sunt etiam gregarii milites. Gloss. Hoc igitur loco Manipuli pro signiferis non videntur intelligendi; quum „Pleni manipuli per turmas inserti.“ memorentur.

¹⁷⁾ Turma, seu nobilis militia; ut est in Lege 8. Cod. Theodosii de Tyronibus apud Du Fresne: „Inter optimas lectissimorum militum Turmas, neminem e numero servorum dandum esse discernimus.“

¹⁸⁾ „Scutis magis, quam gladiis geritur res: umbonibus, incusaque ala sternuntur hostes.“ Liv. IX. 41. Umbo hic est scuti umbilicus e medio protuberans.

¹⁹⁾ Generationem Vidi Comitis Provinciae Bachiensis, de quo multus posthac sermo recurret, noster alio loco iam ita exhibuit: „Guth Keled — per Petrum Regem, dum idem fugit ad Henricum Cesarem, in adiutorium ei sunt adducti, de castro Stoph sunt exorti de Svevia. — Istius siquidem Guth Keled generatio temporibus Salomonis Regis, Ladizlai, et Geyche Ducum extitit exaltata; nam tunc ipsa generatio in duas partes divisa fuit: quidam Ducibus adherentes, quidam vero Salomoni, et specialiter Vid, quem Salomon exaltasse perhibetur super alios de generatione predicta.“

²⁰⁾ Rector, idem qui Dux; significat quoque Comitem, seu Iudicem, ut domesticae tabulae docent.

²¹⁾ Ian, seu Ioannes Comes Soproniensis Comitatus.

22) Qui in Hungariam ducti, atque in servitutem redacti, postea imperante Geysa I. se Salomonem debellaturos obtulerunt, si in libertatem assererentur :

23) Lapis limpidissimus, seu politus; hinc limpidare, polire. Gloss.

Ac urbem Hungaræ cuiusdam consilio et facinore expugnant. Nicetas vero Graecorum Dux, deditione facta, semet Geysæ Ducis tutelæ committit, per idque dissensionum, Regem inter et Duces obortarum ansam, licet invitus, præbet.

Porro Rex, et Duces ad expugnandam Civitatem convenientiora loca prospicientes, preceperunt Carpentariis, ¹⁾ ut ibi turres ligneas ²⁾ octo, altitudinem murorum duplo superantes, fabricarent, unde milites in medium Civitatis lapides, et sagittas super homines iacularent. Inter turres vero totidem tormenta, ³⁾ ad destruendum muros, erexerunt. Longos etiam pluteos, ⁴⁾ ad defendendos introitus turrium, ceteraque instrumenta bellica composuerunt. In quibusdam itaque locis destruxerunt muros eius usque ad fundamentum, sed Civitatem capere non poterant: quia eam intrinsecus fortissimi bellatores defendebant. Obsederunt Civitatem duobus mensibus, infra quos sepe congressi sunt cum Saracenis ⁵⁾ de Civitate egredientibus, et ex eis alios occiderunt, alios autem fugaverunt. In tercio vero mense obsidionis quedam puella Hungara olim illuc per captivitatem abducta, in quarta feria Civitatem succendit; flabat autem subsolanus ⁶⁾ vehementissime, cunctaque edificia occupaverunt incendia. Exercitus itaque Hungarorum irruit in Civitatem ea parte, qua muri eius per tormenta iam corruerant, et Grecos, Saracenos, atque Bulgaros crudeliter trucidarunt. Qui autem residui remanserunt, cum Nichota ⁷⁾ Duce eorum fugerunt in Arcem. Hungari ergo, capta Civitate, sequenti die, postquam ignis resederat, videntes scrobes ⁸⁾ Grecorum, descendentes tulerunt exinde aurum multum, et argentum, lapides preciosos, gemmasque prelucidas, et thesaurum fere inestimabilem, nullusque fuit ex Hungaris, qui

ibi locupletatus non fuisset. Porro, in Arce inclusi rogarunt Regem, et Duces, ut si eis vitam et libertatem donarent: Arcem autem, et universa sibi vendicarent. Manibus itaque Regis, et Ducum in fidei pignus extensis, quod eos ulterius non lederent; ⁹⁾ omnes, qui in Arce erant, descenderunt. At Dux Nichota argenteam iconam Sanctissime Genitricis Dei semper Virginis Marie, cum magna multitudine veniens, in potestatem Ducis Geysae contulit; sciebat enim Geysam Ducem esse devotum Deo, et captivos, seu afflictos misericordie visceribus refoventem: ¹⁰⁾ ad manus autem Regis Salomonis pauci venerunt; quia noverunt ipsum esse austum, et pessimis consiliis Vyd Comitis in omnibus auscultantem: qui Vyd et Deo, et hominibus detestabilis erat. Cunque vidisset Rex plures ad Ducem ex illis confugisse, paucos autem ad se; plurimum indignatus est, et eos, qui ad fidei manus venerant, volebat dividere in tres partes, et duas sibi tollere: terciam vero Duci. ²⁾ Dux autem non permisit hec fieri. Hec ergo fuit causa malorum, et seminarium discordie inter eos.

¹⁾ Carpentarii aevo medio dicti sunt artifices omnes lignarii, et tignarii. Gloss.

²⁾ Turres lignae erant aedificia bellica ex trabibus ac tabulis extracta, muribusque ipsis hostilibus longiora, et super rotas ea de causa posita, ut urbi faciliori negotio admoveri possent.

³⁾ Tormentum, comparative idem, quod veterum Bombarda, quatiendis Urbibus, aut Castrorum moenibus inventa; quae ex ligno constans, ingentis magnitudinis saxa eiacularatur non quidem vi pulveris pyrii; sed nervis machinisque quibusdam librata. Tandem pulvere pyrio per Constantinum Ancklitzem, alias Bertholdum Schwartz, Friburgo Germanum, et professione Monachum circa seculi XIV. medium invento, vox Tormentum ad machinas aenas significandas adhiberi coepit. Ioannes Ducas Cap. 35. sub annum 1452. celeberrimum aeneorum Tormentorum artificem memorat quendam Hungarum, cui Urbani nomen tribuit Laonicus Lib. 8, qui a Graecis ad Mohamedem factus transfuga, ingens Tormentum fudit cuiuslibet magnitudinis lapidis capax, quo muros Constantinopolitanos Suldanus evertit. Vid. Hoffmanni Lexicon Univ.

⁴⁾ Pluteus, Machina bellica antiquis notissima, quam describit Vegetius Lib. IV. Cap. 15. „Plutei dicuntur, inquit, qui ad similitudinem absidis contextuntur e vimine, et ciliciis vel corii pro-

teguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio: duae in capitibus apponuntur, in quamcunque partem volueris, admoventur more carpenti, quos obsidentes applicant muris; eorum protectione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus, defensores omnes de propugnaculis civitatis exturbant, ut scalis adscendendi facilius praestetur occasio.“

5) Saraceni seu ethnici Bisseni: „Saracenorum vocabulo Ungaros etiam, atque adeo gentes paganas promiscue donant interdum Scriptores, ut Hepidannus, Eckehardus iunior de Casibus S. Galli cap. 15.“ inquit Du Fresne in Gloss.

6) Subsolanus, seu Eurus.

7) Nicetas erat Belli Dux Michaëlis Graecorum Imperatoris, Duca Constantino nati, qui praefuit ab anno Christi 1071. a Botaniate, postquam in Principatu annos sex, totidemque menses expleasset, imperio exutus, ad Blachernensem aedem ultro profectus, purpuram cum monastica lacerna anno 1078. mutavit. Ita Caesar Bryennius; at Curopalates vi a seditiosis aula protractum, atque in asceterium deductum perhibet.

8) Scrobs, et Scroba, hoc loco interior carcer. Gloss.

9) Manu fidem dare Tabularium Vindocinense Chron. 179, an 1064. „Dedit etiam Domino Abbati Oderico fidem, Manum suam, sicut mos saecularis exigit, in illius manum mittens.“ Du Fresne Gloss. Hic autem eminus constitui Rex, ac Duces, quum porrigere nequirent, manus levarunt. Minus recte ergo Paulus Nagy in Hist. Prag. edit 1823, p. 222. scribit haec asserens: „Imo plures causas Ducum persequendorum habuisse Salomonem videmus inde, quod plebem ab eo alienare intenderint, (?) uti in expugnatione Belgradi; ubi plane iura Maiestatica, veniam hostibus exhibendo, et muneribus excolendo, invaserunt.“ — Etiam Hostibus data fides servari debet!

10) Id quod ea occasione expertus fuerit, dum Hungari captivos Regi, ac Ducibus in rupe agentibus sisterent.

11) Volebat nempe Graecos contra datam fidem, in servitutum redigere. Iura ergo Maiestatica, veniam hostibus exhibendo, ut promiserat; Geysa Dux nequaquam invasit: quemadmodum Paulus Nagy Hist. Pragm. Tom. I. edit. 1823. p. 222. perperam docet.

De Discordia Regis Salomonis, et Ducum.

Michaël Ducas Orientis Imperator, audita Geysae Ducis in suos humanitate, per Legatos amicitiam, et foedus cum eo percutit, et Corona donat.

Interea Imperator Grecorum, audita liberalitate Ducis Geysae, misit ad eum nuncios ad firmandam pacem, et

amicitiam. Dux autem remisit ei omnes captivos, et omnes, qui ab Arce descenderant, et ad eum confugerant. ¹⁾ Ad Regem autem Salomonem Rex Grecorum nequaquam misit; unde Rex Salomon super Geysam Ducem invidie facibus magis ac magis exarsit. Comes etiam Vyd pertinaciter instigabat Regem, ut Ducem Geysam expelleret, et Ducatum eius sibi vendicaret; et hoc facile fieri dicebat eo, quod Rex multo plures milites, quam Dux haberet; nec hoc differendum, sed magis accelerandum esse suggerbat, seducebatque Regem hoc proverbio: „Quod sicut duo gladii acuti in eadem vagina contineri non possent: sic nec vos in eodem Regno conregnare potestis.“ ²⁾ Rex ergo venenosis verbis Comitis Vyd tragefactus, ³⁾ odium et rancorem concepit; exinde ⁴⁾ itaque querebat oportunitatem aut capiendi Ducem Geysam per insidias, aut bellandi. Dissimulabat tamen Rex, et simulata amicitia, dimisit Ducem abire in Ducatum.

¹⁾ Ad haec tempora referri debent etiam Geysae Ducis nuptiae cum Synadene, Nicephori Botanlatis sororis filia celebratae, quam Curopalates p. 678. Regi Hungariae elocatam fuisse memorat. Dum enim veteres foedera percutiebant, et amicitia, quae hic amicam compositionem denotat, inter eos coaluit, illa potissimum initis connubiis firmare consueverunt; quemadmodum Andream I. Regem, ac Henricum III. Imperatorem fecisse legimus. — Nil autem obstat, quod Curopalates Geysam Ducem, Regem nominet, vel, ut Ioannes Scylitza, Cedreni continuator apud Xystum Schier de Reginis Hung. p. 80. habet: „Dedit item (Botoniatas) sororis suae filium Synadenen, Theodulo Synadeno genitam, Crali Ungariae uxorem; quo etiam mortuo, rursus est Byzantium reversa.“ Illa enim aetate Regum quoque filios, Reges compellatos fuisse, adductis in rem pluribus exemplis, Du Fresne docet. Certum mihi praeterea est, licet patrii Codices silentio premant; hac tempestate missum quoque fuisse a Michaële Duca Graecorum Augusto, Geysae Duci Circulum aureum, qui cum Regni Diademate a Sylvestro II. Romano Pontifice accepto iunctus est; quam ob rem nonnulli Hungariae Coronam a Graecis profectam voluerunt. Solebant nempe non Orientis modo, verum etiam Occidentis Augusti Ducibus de se bene meritis Circulum aureum, qualis Geysae Ducis est, mittere; ut illius aevi exempla perhibent. Ita Fridericus I. Imp. apud Balbinum Decad. I. Lib. VIII. Epistolar. Vol. I. Epist. 4. p. 3. ad annum 1157. concedit Vladislao Bohemorum Duci, quo Circulum

aureum, id est: Coronam auream, in Nativitate Domini, Pascha, et festivitibus Sanctorum Wenceslai, et Adalberti Martyrum gestare possit, ita, ut illam Pragensis, seu Olumuciensis Episcopus Duci imponerent. — De Coronis Ducum, et Comitum vide etiam Du Fresne Glossarium, ubi ex Aimoini Continuatore Cap. 32. de Carolo Calvo haec citat: „Romam exiens, Papiam venit, ubi — Bosone uxoris suae fratre, Duce ipsius terrae constituto, et Corona Ducali ornato.“ — Ordo ad benedicendum Ducem Aquitaniae ibidem „Post haec imponit Episcopus capiti Ducis circulum aureum, cum oratione ista.“ — Aegidius de Roya an. 1313. ibidem: „Rex Franciae solennem Curiam Parisiis tenuit, in qua omnes Principes sub Corona fuerunt, dempto Roberto Comite Flandriae, unde Rex mirabatur.“ etc. His ad evidentiam positis, neminem puto futurum, qui deinceps Coronam Hungariae ex Romana, ac Graeco circulo serius compositam, Graecis tribuat, eosque primos Religionis Christianae apud nos praecones fuisse sibi persvadeat.

2) Decretorius est hic articulus, qui Hungariae Ducum et dignitatem, et potestatem ut plurimum illustrat, sententiaeque, quam pag. 105—106. fide Diplomatum contra RR. D. Georgii Fejér obiectiones deprompsi, mirum quantum favet.

3) Tragefactus videtur ex Drageia, quod Pastillum saccaratum significat, derivari; hinc Tragemata idem, ac Bellaria. Gloss. Tragefacere itaque denotat seducere, decipere.

4) Exinde, ab illo tempore.

De dolositate Regis, bellisque duobus Ducum contra Regem, et de victoria eorundem.

Iactis in hunc modum, civilis belli fundamentis, Salomon, insontes patruelles per insidias sublaturus, eos ad Nissam oppugnandam evocat Anno 1073. verum Dissidentes opera Episcoporum pacem Strigonii faciunt.

Post hec itaque misit Rex ad utrumque Ducem, ut ambo simul ad Regem venirent cum exercitu, ut cum expeditione 1) super Nys Castrum 2) Graecorum proficiscerentur. Rex enim dolose intendebat eos perdere, ut si ambos improvisos capere posset, de cetero securus fuisset. Duces autem insidias Regis percipientes, 3) sibi caute consuluerunt. Ladizlaus igitur cum medietate exercitus in Partibus Nyr 4) remansit: Geyza vero cum Rege profec-

ctus est; nec ausi sunt quid molestie eidem inferre: quia Ladizlaus in manu valida, fratris ultorem fore non dubitabant. Interea viri de Nys multam pecuniam in auro, et argento, et pretiosis palliis Regi, et Duci habundanter obtulerunt; et que pacis sunt, obtinuerunt. Deinde revertentes ab Urbe Keve, ⁵⁾ Rex, et Dux ab invicem sunt divisi. Ladizlaus autem de Civitate Byhor, ⁶⁾ consilio fratris sui, ivit in Rusciam querere auxilium amicorum suorum, ut contra machinamenta ⁷⁾ Regis se se premunirent; iam enim omnibus innotuerat iniuria, et discordia Regis, et Ducum. Post hec collectis exercitibus, nunciisque frequenter missis, tandem Rex, et Dux venerunt in Strigonium, ibique ex conducto uterque eorum tantum cum octo hominibus, inter Episcopos, et Principes navigaverunt in Insulam Civitati proximam, ⁸⁾ ad colloquendum; ubi diu semet ipsos incusantes, et excusantes, tandem roborato federe pacis, Geysa rediit in Ducatum.

¹⁾ Expeditio, Du Fresne Obligationem eundi in exercitum significat.

²⁾ Nys Castrum, hodie Nissa urbs Serviae infra Belgradum. Editio Schwandtneriana perperam Nyr substituit; verum Augustana Turótzii anni 1488. editio Nys habet.

³⁾ Percipere, intelligere.

⁴⁾ Partes Nyr, nobis Nyírség trans Tybiscum sitae, seu Provinciae: Szabolts, Szathmár, Bihar, et Mediocris Szolnok usque Zilaj, et Meszes; quemadmodum iam suo loco innui. „Ubi suum fratres (Geyza, et Ladislaus) Ducatum habuisse videntur.“ inquit Kationa Hist. Crit. Tom. II. p. 251. cum tamen paulo ante p. 47. Quae fuerit haec tertia Hungariae pars, non definiverat; sed dubitari non potest illas partes fuisse: noster enim Ladislaum de Civitate Byhor in Russiam auxiliorum petendorum gratia profectum esse memorat. E combinatione igitur Turótzii Chron. P. II. Cap. XLIX. et LII. nec non Anonymi B. R. N. Cap. XXII. liquet, ad Ducatum spectasse Comitatus: Szabolts, Szathmár, Bihar, et Mediocre Szolnok usque Zilaj, et Meszes, etc. nec non Transsilvaniam.

⁵⁾ Quae in Servia ad confluentem Margi, seu Moravae fluvii sita, et a Keve Hungarorum Duce denominata fuit. Conf. Timonis Imag. Novae Hung. Cap. IV. item Anonymi B. R. N. Cap. XLIV. ubi Keve Castrum ad Albam Bulgariae.

⁶⁾ A qua Comitatus Bihariensis denominationem accepit.

⁷⁾ Machinamentum, versutia, conatus, consilium. Gloss.

8) „Venerunt in Strigonium, ibique ex conducto uterque eorum tantum cum octo hominibus — navigaverunt in Insulam Civitatis proximum.“ — Turótzii Chronicon perperam ex conducto habet; conductus enim hic pro comitatu et praesidio accipitur, quem Rex, et Dux pro tutela secum habuerunt. Insulam vero Civitati Strigoniensi proximam format Danubii praeterlabentis ramus, quam prisca aetate, rebus Hungarorum integris, Sanctimoniales incolebant.

Quam tamen Vidus, discordiarum fomes, nequiter turbat; quare, Geysa, de bello sibi per Salomonem inferendo cortior redditus, Ladislaum fratrem in Moraviam ad Ottonem, suppetias petiturum mittit Anno 1074. variaque fortuna usus, tandem Salomonem feliciter debellat.

Porro eo tempore Rex celebravit Natale Domini in loco, qui vocatur Geminum Castellum. 1) Deinde venit Zalam, 2) ubi Marchart Dux Teutonicorum, 3) cum Comite Vyd instigaverunt Regem, ut Ducem expugnaret. Lactatusque, et emulsus Rex pessimo consilio Vyd perfidi, movit exercitum super Ducem. Dux vero venebatur in Ygfan, 4) auditoque adventu Regis super eum, misit Ladizlaum fratrem suum in Bohemiam, qui iam nec reversus erat de Ruscia, ut rogaret Ducem Ottonem sororium eorum, ut ipsis in necessitate positis auxiliaretur. Geysa vero collecto exercitu, obviam egit Salomoni in Kemey, 5) cuius principes, imo traditores 6) miserunt clanculo nuncios ad Regem dicentes: quod si Rex eos in dignitatibus suis teneret, et in gratiam suam susciperet, ipsi, relicto Duce in bello, omnes pariter ad Regem confugerent. Rex autem certificavit eos super hoc prestito iuramento. 7) Et tunc securus transivit Tysciam super Ducem, ac Ducem auxilio suorum fraudulenter destitutum, superavit; sed et de ipsis traditoribus fugam simulantibus, vix pauci evaserunt, et utinam ex eis nullus evasisset, qui benefactorem Dominum suum sceleratissime tradiderunt. Dux vero Geysa, quamvis maxima parte sui exercitus esset destitutus, non tamen abhorruit, uno tantum agmine stipatus, contra triginta Salomonis agmina sevisimum prelium committere. Omnibus autem militibus suis pereuntibus, de-

clinavit a bello, transivitque Tysciam in Chotoid. ⁸⁾ Cunque equitasset ultra Vaciā, ⁹⁾ obviavit fratri suo Ladizlao, et Ottoni Duci sororio eorum, cum valido auxilio ad eum venienti. Rex autem, et Dux, ante quadragesimam pugnauerunt in Kemey, quarta feria post Dominicam, qua canitur: Exurge. ¹⁰⁾ In hoc autem bello Opus, filius Martini de genere Vecellini, miles gloriosus, militem Ducis nomine Petrum audacissimum super equum submirtensem, ¹¹⁾ ceterosque precedentem, radiante lorica et deaurata galea perspicuum, atque ad conflictum milites provocantem, singulari certamine superavit. ¹²⁾ Nam de agmine Salomonis ad predictum militem solus Opus super gilvum equum ¹³⁾ in lorica cucullata ¹⁴⁾ evulsus, in modum fulminis, ictu lancee, rupta lorica, per medium cor transfixit. In eodem etiam bello tantam stragem crebris ictibus gladii sui fecit Opus, quod pre nimia reciprocatione ictuum dextra eius obriguerat. Rex autem Salomon, et maxime Teutonici mirabantur de potentia et audacia Opus in prelio. Rex autem victoria potitus, transivit Tysciam congelatam in Chotoid, et descendit in curia filii Petri, ¹⁵⁾ ibique audivit Geysam obviasse Ladizlao, et Ottoni Ducibus, cum valida multitudine pugnatorum ad se venientem. Vyd vero detestabilis urgebat Regem hiis verbis: „Noviter exercitum eius convicimus, nobiliores occidimus, timorem ei immisimus, et nunc servos congregavit, messorum coadunavit, et eorum agmine se stipavit. Nihil ergo de eis debemus dubitare, quin eos in momento devorabimus. Bohemicum vero agmen, omnibus consodalibus meis acquiescentibus, ego cum Bachienbus premature mortis periculis afficiam.“ Rex ergo in verbis eius confidens, festinavit cum exercitu suo, et in quarta feria descendit in Rakos. ¹⁶⁾ Sed et Duces Geysa, Ladizlaus, et Otto, ac totus exercitus Hungarorum, qui erant cum eis, descenderunt circa Vaciā. Fuit autem ibi magna silva, et nemo in ea manserat, preter unum heremitam, nomine Vach, sancte vite, ex cuius nomine Dux Geysa illi Civitati postea ibi constructe nomen imposuit. ¹⁷⁾ Cum igitur exercitus pre-

dictus Salomonem contra se expectaret; Duces quodam mane in equis, causa consiliandi, stabant in loco, ubi modo est Capella lapidea Beati Petri Apostoli; ¹⁸⁾ tractantes, qualiter sint pugnaturi: et dum ibi starent, clara die vidit Beatus Ladizlaus visionem de celo, et ait ad Geysam Ducem, fratrem suum: Vidisti aliquid? Qui respondit: Nichil. Tunc Beatus Ladizlaus subiunxit: Dum staremus hic in consilio, ecce Angelus Domini descendit de celo, portans Coronam auream in manu sua, et impressit capiti tuo. Unde certus sum, quod nobis victoria donabitur, et Salomon exul fugiet debellatus extra Regnum; Regnum vero, et Corona tibi tradetur a Domino. ¹⁹⁾ Cui Geysa ait: Si Dominus Deus fuerit nobiscum, et custodierit nos ab inimicis nostris, et visio hec fuerit adimpleta, edificabo hic, in loco isto Ecclesiam in honore Sanctissime Virginis Marie Genitricis sue. Hoc dicto castra moverunt, et descenderunt in allodio, quod dicitur Zyngotha. ²⁰⁾ Mons autem quidam nomine Monyorod interiacebat exercitum; et lucescente quinta feria volebant preliari; sed densissima obscuritas supervenientis nebule eos impedivit. Nocte vero in sequenti dextrarios suos per habenas in manibus tenebant, et ortum solis prestolabantur. In diluculo autem sexte ferie, Rex ordinatis agminibus suis, equitavit trans verticem montis Monyorod, et precepit salmariis, ²¹⁾ ut in latere eiusdem montis remanerent; quatenus hostes, videntes turmas illorum, non sarcinas, sed in presidio constitutos esse putarent. Sed et Duces summo mane suas acies ordinaverunt. Dux autem Ladizlaus ante exercitum suum super arduum equum residens, gratia exhortandi suos et animandi, in girum flexit habenas; cunque tetigisset vepres lancea, quedam hermellina albissima ²²⁾ mirum in modum lancee eius insedit, et super ipsam discurrendo, in sinum eius usque devenit. Cum autem commissum esset prelium, Vyd Comes, et Bachienses in primo ictu a Bohemis miserabiliter sunt prostrati. Ladizlaus autem Dux commutaverat signa, ²³⁾ cum vexillo Ducis Geyse sua, ea intentione, quod Salomon audacius invaderet illud agmen, in quo signa Gey-

se gestabantur, putans esse agmen Geysc, quem nuper devicerat. Dux enim Ladizlaus affectabat ²⁴⁾ custodire fratrem suum Geysam Ducem ab insultu Salomonis, et ideo primos impetus belli in se voluit experiri. Rex itaque cum venisset ad agmen Ladizlai, ipso cognito, timore eius perterritus, ²⁵⁾ precepit Signiferis declinare labia super agmina Geysc Ducis. ²⁶⁾ Ladizlaus autem videns Regem pre timore divertisse a se; ipse primitus omnium irruit super agmina Regis, cunctique milites sui impetum fecerunt super eum a tergo: sed et ex adverso Geysa Dux cum suis acriter invasit eosdem. Milites autem Ladizlai agmina Salomonis tanquam in cortinis retro respicientia, ²⁷⁾ terribili tinnitu gladiatorum in morte concluserunt crudeli. Sed et ex adverso milites Geysc pocula dire mortis eisdem propinarunt. Ceduntur Teutonici, fugiunt Latini, locumque fuge non inveniunt, et cadunt ante Hungaros, ut boves in macello.

¹⁾ Geminum Castellum, Hungaris Iker-Vár in Comitatu Castri-Ferrei.

²⁾ Zala in cognomine Provincia, Abbatia S. Adriani per Divum Stephanum Proto-Regem anno 1019. fundata insignis. Cod. Dipl. Tom. I. p. 304 — 307.

³⁾ Marquardus iste non alius ab illo Carinthiae Duce fuerit, quem sub anni 1073. initium Henricus IV. Germaniae Rex, Bertoldo subrogavit, ut ex his Lamberti Schafnaburgensis verbis intelligimus „Rex natale Domini Babenberg celebravit. Ibi Bertoldo, duci Carnotensium, ducatum, sine legitima discussione, absenti abstulit; et Marewardo, cuidam propinguo suo tradidit. “Ad haec Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 257. „Quum igitur hic Marquardus Carinthiae dux, Henrico propingvus fuerit; Salomoni, qui Henrici sororem in coniugio habebat, promptius auxilium tulit; eaque de causa Salomon Szalam accesserit, ut ex Carinthia, cuius eo tempore pars Styria fuit, facilius illum exciperet.“

⁴⁾ Igfán, ita appellabantur sylvae, de quibus Anonymus Belae II. Regis Notarius Cap. XI. et LI. „Silva Igfon, quae iacet ad Erdeu-elu a fluvio Morus usque ad fluvium Zomus,“ seu per Comitatus Szabolts, Bihar, et Arad. Editores Bonfinii loco Igfan perperam substituerunt Givam.

⁵⁾ Anonymus Belae II. Regis Notarius in edit. Ven. an. 1827. Cap. LVII. „De terra Bissenorum venit quidam miles, de ducali progenie, cuius nomen fuit Thonuzoba, pater Urcund, a quo de-

scendit genus Thomoy, cui dux Tocsun dedit terram habitandi in partibus Kemey usque ad Thisciam, ubi nunc est portus Obad.“ Obad hodie vicus Abad in Hevessiensis Comitatu Tybisco adsitus: non vero Kapots Apáti Szaboltsensis Provinciae locus; quemadmodum Daniel Cornides in Anonymi Vindiciis p. 63. docet; hic enim a Tybisco tribus quadrantibus horae remotus est, situm vero Kemey, quod sciam, nemo hactenus indicavit. Cis Tybiscum in Borsodiensi Comitatu ad Sajonem hodieque existit Praedium Kemey: verum trans Tybiscum huius nominis locum, non reperi; videtur in Szaboltsensi Provincia quaerendus, ubi Tomány (Tomy) Szaboszló, Szová. (Tonuzoba) florent.

6) Principes, i. e. primores: Traditores, seu proditores, hinc Tradere, pro prodere; Proditores hos Thurótzius Petrud, et Bikas nominat.

7) Certificare iuramento, seu nuncupato iuramento certum, securumque facere. Haugen Lib. III. Cap. 43. „Hett avch (Salomon) Hertzogen ettlich seiner Recht abgericht vnd corrumpt, das sie den König ihren herrn den Hertzogen vbergeben wolten. Das ward der Hertzog durch den Abt Wilhelm gewarnet.“

8) Haugen Lib. III. Cap. 43. in ein gegent, heyst vngarisch Thokay.“ Chotoid alii quoque Tokainum interpretantur.

9) Vacia, Vaczium in ripa Danubii supra Pestinum, sedes Episcopi, et Capituli.

10) Dominica Exurge, seu Sexagesimae, quae anno 1074. in 23. Februarii incidit, fuitque feria quarta dies Mercurii, seu 26. Februarii.

11) Equus submirteus, Hungaris sárga, i. e. fulvus.

12) De Opus, eiusque generatione iam superius egi.

13) Gilvus equus, Nobis fakó.

14) Lorica cucullata, seu pellicea, villosa, lanea, coriacea duntaxat; ahenis squammis minime tecta, quae linteo ferreis laminis in modum plumae adnectabantur.

15) Hic Petrus fuerit Abbatiae Zazty fundator, quam Prai Diatribae p. 66. ex anni 1266. Belae IV. Regis diplomate se eruisse scribit: „Tandem ego Comes Petrus rogavi Regem, cum Duce Magno (Geysa) et cum Duce Ladislao — ut autem hoc meae concessionis donum sequenti aevo inconvulsum permaneat, testimonio aliquorum nominibus attestari fecit Rex Salomon; Dux Magnus, Dux Ladislaus. — Palatinus Comes Radowan, Comes Érney, Comes Wydus.“ etc. — Erectio Abbatiae in annum, quo Cuni in Transsilvania profligati fuerunt, seu 1066. inciderit; et cum Petrus cis Tybiscum Curiam habuisse referatur, puto Zazty Abbatiam eo olim loco stetisse, ubi hodie Jász Apati floret. Nil autem officit, quod Pazmánus Abbatiae huius non meminerit, nec ullus geographorum loci Zazty mentionem faciat: ante cladem enim

tartaricam non paucae viguerunt Abbatiae, ut in exemplo Zeuregh, seu Szőreg in Comitatu hodie Torontaliensi; quae postea numquam instrauratae sunt. Ceterum Zazty Abbatia videtur etiam Zadust compellata fuisse, ut in anni 1233. Andreae II. litteris Cod. Dipl. Tom. III. Vol. II. p. 322. scripta occurrit.

¹⁶⁾ Rákos est campus ultra Pestiensis urbis pomoeria ortum versus late protensus, quem rivulus Rákos appellatus, et iam Anonymo Cap. XLVI. memoratus interfuit; quem a cancrorum copia ita dictum Bonfinius Dec. II. Lib. 3. existimat. Ab interluente hoc rivo Campus ipse, Comitibus Hungaricis isthic olim haberi solitis famigeratissimus, Rákosi denominationem, ut Bonfinius, Isthvánfius, et alii plerique sentiunt, acceperat. In alia omnia discedit Matthias Belius, qui sicut Campum Rákos a voce Polonica Rákos comitia denotante; ita rivulum a Campo postea id nomen traxisse censet. Cuius opinionem Daniel Cornides in Anonymi Vindiciis p. 278 — 283. refutat; rivulumque hunc non a campo cognomine, nec campum a comitiis ibidem celebrari consuetis lingua Polonica Rákos dictis, sed versa vice comitia a campo, hunc vero a rivulo, rivulum denique a cancribus Rákos nomen obtinuisse docet. Sunt tamen plurima Hungariae loca, Rákos appellata, quae a cancribus denominari non potuerunt, ut adeo Danielis quoque Cornides sententia nil mius sit, quam certa. Ioannes Haugen, Hungarorum comitia constanter Rákus appellat.

¹⁷⁾ Hoc in dubium vocat Prai Hierarch. P. I. p. 331. „Nam quod Thurótzius memorat, locum ubi nunc Vacium Urbs est, desertum, et silvis obsitum fuisse, a vero valde abhorret, quod et loci positus situ opportunus, in Budae Veteris, et Strigonii vicina tamdiu hominibus vix potuerit esse incultus, et iam multo ante Romanorum Coloniam isthic fuisse non modo Lapidum, qui eruti sunt, Inscriptiones, sed nummorum quoque Romanorum non infrequens copia probabiliter arguat.“ — Nihil, quae Praius male narrat, moror. Romani enim Imperii limes Danubius erat; trans illum itaque in solo Barbarorum Colonia Romanorum esse non potuit. Quod autem ad litteratos Lapides adinet, ad hanc obiectionem verbis Stephani Schönwisner Comment. Geogr. P. II. p. 153. respondeo: „Vacium, ubi hoc marmor, et plures alii lapides literati nunc adservantur, haud procul a Buda, sed in altera Danubii ripa est, quae Quadorum, et Jazygum Sarmatarum olim fuit. Nemo igitur existimet, monumenta Vacienensium, quorum complura vulgabo, Vacii eruta fuisse. Sunt enim plerumque partim Buda, partim e locis vicinis illuc serius translata.“

¹⁸⁾ In Mogyoród supra pagum Fót sito, ubi S. Ladislaus cum Geysa fratre Monasterium S. Ordini Benedictinorum construxit, quo, ut Desericus in Hist. Episc. Vacien. p. 17. scribit, everso cum Ecclesia, reditus eius Episcopatu Vacienti attributi fu-

erunt. Mich. Carolus Althan vero Episcopus Vacienſis, ex rudere Coenobii, et Eccleſiae in medio villae Mogyoród elegans Templum excitavit anno ſalutis 1750.

19) Non deſunt, inquit Katona Hiſt Crit. Tom II p. 268. qui hanc viſionem in dubium propterea vocent, quod impios Ducum conatus, ad rapiendam legitimo regi coronam, coelum oſtento hoc approbaſſe cenſendum non ſit. Sed enim omnis narratio patriorum annalium oſtendit, Duces arma corripuiſſe tantum ad ſe contra ſanguinaria Vidi conſilia defendendos, non ad coronam legitimo regi rapiendam, quam, etſi coelum Geysae deſtinaverit, reddere tamen Salomoni primum quidem Geysa, deinde Ladislaus nitebantur. E quibus Ducum conatibus, identidem tentatis, apparet, nihil minus, quam coronam, regiumque titulum eos ambiviſſe, quem tamen coelum, iniquitate Salomonis irritatum ad eos, licet invitos, tranſtulit, et transferendum hac viſione iam nunc indicare voluit. Nil igitur eſt, cur communem iſtam patriorum ſcriptorum Traditionem reiiciamus“ — Haec argumenta Ducum innocentiam egregie vindicant: de viſione autem homo profanus non habeo, quod iudicem.

20) Czinkotta vicus hodie, eſt uno fere milliari Peſtino orientem verſus diſſitus.

21) Salmarius, Sagmarius, qui equum, aut iumentum clitellarium agit. Sagma fem. gen. quae, inquit Papias ex Iſidoro Lib. 20. Cap. 16. corrupte Salma dicitur, a ſtratu ſagorum nuncupatur, unde et equus ſagmarius dicitur. Mamotrectus 15. Levit. Hoc *sagma*. tiſ. eſt ſtratura aſini: haec *Sagma*: quae corrupte dicitur ſalma, eſt ſella, vel pondus, et ſarcina, quae ponitur ſuper ſellam. Gloss.

22) Hermellina. Muſ Ponticus, ab Armenia dictus, quod inde eiſmodi murium pelles in Europam adveherentur: nam Hermeniam, pro Armenia dixere ſcriptores Latini recentioris aevi. Gloss.

23) Signum hoc loco Inſigne denotat, qualia vero illa Ducum fuerint? in ſilentio documentorum non eſt expeditum dicere.

24) Affectare, praeoptare, ſitienter expetere. Gloss.

25) Singularem namque fuit animi fortitudine, quam cum chriſtiana in Deum fiducia coniunxit, ut ubi gravius erat periculum, medios in hoſtes ruerit intrepidus, ac cum fortiffimis quibuſque ſingulari congredi certamine non perhorreſceret. Hoſ autem ſecundos belli ſucceſſus, quibus a Deo bonorum omnium largitore per omnem vitam cumulatus fuit, inſignis eiſ religio, nec fucata vitae chriſtianae probitas merebantur.

26) „Salomon praecepit ſigniferis declinare labia ſuper agmina Geysae Ducis.“ i. e. iuſſit Geysae cladem inferri, cladem in agmen

eius dirigi; nam Labes, Labina, Labia cladem, et calamitatem aevi medii Scriptoribus denotat.

27) „Agmina, tanquam in cortinis retro respicientia.“ — Cortina hic tentorium, non autem rusticam aream muris cinctam, ut Du Fresne ad haec Turótzii verba in Glossario vult, significaverit; quum Cortinarii olim dicti fuerint, qui Principum tentoria observabant et servabant.

De fuga et expulsionem Regis Salomonis.

Qui fuga salutem quaerens, Mosonium aegre elabitur.

Rex autem Salomon fere omnibus suis interfectis, au- fugit in Zigetfeu ¹⁾ Danubium transiens, cum Opus, Martini filio venit tandem in Musun ad matrem suam, et uxorem; persecutusque est eum exercitus Ducum, et suos a mane usque ad vesperam. In praefato namque prelio non solum Teutonici, aut Latini ceciderunt: sed maior pars milicie Regni Hungariae dicitur corruisse. Duces autem Geysa, et Ladizlaus triumpho victoriae divinitus sublimati, super cadavere interfectorum, Deo ter laudes proclamaverunt. Dux autem Ladizlaus, sicut erat semper eximie pietatis, videns tot millia interfectorum, quamvis inimici ipsius fuissent, tamen commota sunt omnia viscera eius super illos, et deflevit eos amare, scindens sibi genas et capillos planctu magno, tanquam mater in funere filiorum. ²⁾ Postea de spoliis eorum constructa est Ecclesia de Monyorod. Marchart vero Dux Teutonicorum, et Zvete-polug Dux Sclavorum ³⁾ capti sunt, militibus suis interfectis, et ipsis graviter vulneratis. Dux autem Otto, qui animam suam pro amicis posuerat, copiosissime remuneratus a Ducibus, repatriavit. ⁴⁾ Iam enim cognoverat Rex Salomon, quod non auxiliaretur ei Dominus in bello, et in eadem nocte collegit se festinanter in Musun, et Poson, que castra iam pridem munierat, matrem quoque et uxorem suam, quando in prelium ivit, illic reliquerat, ob quam causam victus in prelio ob timorem Ducum, ibi se recepit.

¹⁾ Sziget-Fő, seu in Capite Insulae S. Andrae prope Verő-tze, quae olim Orosz Szigete, a Russis eam incolentibus, nominabatur.

2) Thurótzio Chron. P. II. Cap. LII. teste, inter caesos Salomonis duces consebantur Vid, et eius frater Ernei, quorum hic pacis, ille belli semper autor erat. Quumque Ladislaus perambularet gemens in cadaveribus mortuorum, videns cadaver Erney comitis, statim de equo prosiliit, et ipsum amplexatus est, cui flens dicebat: Erney comes, pacis amator! doleo! super te, quasi super fratre meo, quia cor tuum, et consilium tuum pace plenum erat. Quem manu propria levans, osculatus est; praecepitque militibus suis, ut eum Bacie (forte Báts in cognomine Provincia Episcopatu nunc cum Colocensi canonice unito inclyta) honorifice sepelirent. Quumque idem Ladislaus ex alia parte ambularet, vidit cadaver Vid, et ait: doleo super morte tua, quamvis nobis semper inimicus fuisses. Utinam vixisses, et conversus fuisses, et pacem inter nos firmasses. Sed miror, quia de genere ducum non fuisti, cur Ducatum volebas? nec de propagine regum: quare coronam optabas? Videó nunc, quia cor, quod ad Ducatum anhelabat, lancea perforatum iacet, et caput, quod coronam optabat, gladio scissum est. Sed et ipsum sepelire praecepit. Ex his iterum apparet, bellum hoc a Ducibus non exautorandi Salomonis causa susceptum fuisse.

3) Svato-Bologus duntaxat Bohemicarum copiarum dux fuerat; Bohemis, enim suprema potestate Wratislaus, Ottonis germanus praefuit, qui cum Salomonis sororem Adelhaidem duxisset, affini, ductore Svato-Bolugo, suppetias misit.

4) Otto, Wratislai Bohemorum Ducis germanus, qui Moravia Olomucensibus praefuit, et Ducum nostrorum, ut iam memini, affinis erat.

Devicto, effugatoque Salomone, Geysa Dux in Civitate Alba, Corona Regia coronatur.

*Geysa autem Dux, compellentibus Hungaris, rerum
potitur, et Episcopatum Vaciensem fundat.*

Porro Duces Geyza, et Ladizlaus cum exercitu Albam venerunt, Deinde Castrum Porte Bobuch, ¹⁾ et Albam, ac alia Castra fortissimorum militum presidio munientes, dimissoque exercitu, habitabant in Hungaria. ²⁾ Tunc Geysa Dux Magnus, ³⁾ compellentibus Hungaris, Coronam Regni suscepit. ⁴⁾ Post coronationem autem veniens in locum, ubi facta visio fuerat; et ceperunt cum fratre suo Ladizlao proponere de loco fundamenti Ecclesie, ad

honorem Virginis Marie fabricande. Et dum ibi starent iuxta Vaciam, ubi nunc est Ecclesia Beati Petri Apostoli, ⁵⁾ apparuit eis cervus habens cornua plena candelis ardentibus; cepitque fugere coram eis versus silvam, et in loco, ubi nunc est Monasterium, ⁶⁾ fixit pedes suos. Quem dum milites sagittarent, proiecit se in Danubium, et eum ultro non viderunt. Quo viso Beatus Ladizlaus ait: Vere non cervus, sed Angelus Dei erat. Et dixit Geysa Rex: Dic mihi dilecte frater! quid fieri volunt omnes candelae ardentes vise in cornibus cervi? Respondit Beatus Ladizlaus: Non sunt cornua; sed ale, non sunt candelae, ardentes, sed penne fulgentes. Pedes vero fixit; quia ibi locum demonstravit, ut Ecclesiam Beate Virginis, non alias, nisi hic edificari faceremus. ⁷⁾ Ut autem locus prime visionis non sit sine edificio, a Geysa Rege, et a fratribus suis decretum est, ut ibi Capella in honore Beati Petri Principis Apostolorum fundaretur. ⁸⁾ Rex igitur Geysa fundavit Ecclesiam Vaciensem, ⁹⁾ et dotavit illam prediis multis et possessionibus. Non solum Ecclesiam illam: verum etiam Budensem, cui constituit tributum in Pesth, ¹⁰⁾ et tres villas in Simigio, ¹¹⁾ ac ornamenta preciosa.

¹⁾ Porta Bobuch in Soproniensi Comitatu, quam Clemens PP. IV. in anni 1268. bulla Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 471. „Portam de Suprun, quae Bobet vulgariter appellatur“ nominat. Sita est penes Kapu-Vár ad Rabam annem positam Arcem, quae ideo Kapu-Vár appellata fuerit, quod ibi Porta, seu transitus per Rabam esset.

²⁾ Per Hungariam intellige duas Regni partes Regi subiectas: nam tertia pars, quae Ducibus parebat, ut ut proprie etiam Hungariae appellacionem legeris in anni quoque 1075. fundationalibus Abbatiae O. S. Benedicti de Gron a Geysa editis Cod. Dipl. T. I. p. 438. „In supra dictis vero terris (p. 436. recensitis, ac in Comitatibus Exteriori Zonuk, Pest, Heves, et Csongrád sitis) in Hungaria scilicet in Meler, Sapi, Pelu, Sagy, Alpar, Chonu, et Fizegh, quot quot voluerit Abbas, homines cum aratris ponat.“

³⁾ Magni nomen ei lustricum fuit; Petrus enim Comes in literis fundacionis Abbatiae Zazty superius iam citatis eum, tacito nomine Geysae, Magnum compellat. Codex Membr. MSC. Bibl. Regnicol. eum peraeque saepius Magnum nominat: ad an. 1071. „Salomon rex cum duce magno geyza ungarorum exercitum (sic.) de-

bellatur“ ad an. 1074: „Inter regem Salomonem, et ducem Magnum gravis discordia oritur“ ad an. 1075. „Magnus, rex coronatur.“ Ipsemet nomen Magni in memoratis tabulis Abbatiae O. S. Benedicti de Gron bis usurpat „Ego Magnus, qui et Geysa, supremus (frater enim Ladislaus erat secundus) Hungarorum Dux, postea vero gratia Dei Rex consecratus.“ item „Praeterea ego Magnus, qui et Geiza, gratia Dei Pannoniarum Rex consecratus, auctoritate regali concedens statui — quartam decimam pro salvatione animae meae, et fratrum meorum (Ladizlai et Lamperti) nec non et filiorum meorum (Colomanni, et Almi) parentumque meorum (Belae I. et Richsae).“ — Mirum, quod Synadene consortis, quam anno 1071. duxerat, non meminerit; id quod scribae errori tribuendum puto.

4) Chronicon Poseniense: „Post fugam vero Salomonis, Geyscha dux, compellentibus Hungaris coronatur“ prorsus ita Turótzius P. II. Cap. XLIII. Nihil igitur moderationi Geysae, fideique Salomoni debitae detrahi potest; quum regimen invitus capessere debuerit. Haugen Lib. III. Cap. 45. „hielt sich, das er von meniglich geliebt ward.“

5) In Mogyoród prope Vacium.

6) Monasterium, inquit Du Fresne, saepe sumitur pro Ecclesia Cathedrali, quod plerisque in Ecclesiis Cathedralibus Monachi, non ut hodie Canonici, olim sacra munia obirent: unde usu servato, etiamnum in Germania Cathedrales Ecclesiae dicuntur Münster, ut observant Nebridius Mundelheimius Ep. 17. Antiqu. Monast. et Gretzerus Lib. 1. observat. ad Vitam S. Wilibaldi c. 17.

7) De cuius situ Desericius Hist. Vacien. p. 19. Redeamus ad locum, inquit, ubi cervus constiterat, ac proinde ubi Basilica beatissimae Dei Matri fundata positaeque. Haud equidem in eo ipso situ, ubi hodie consistit Ecclesia Religiosorum S. Francisci in latere collis occidentali: at in collis mediterraneo orientem versus tendebatur: quam ambiebat in quadrum, Domicilium Sacerdotum (Canonicorum) adiuncto a latere Episcopio — Circiter annum Aerae communis 1717, videram exstans adhuc horum omnium triste rudus, Basilicae collabentis structura oblonga fuit, sed astricta: qualis fere in Sacro Monte Pannoniae, vel in Pago Lébeny supra Iaurinum. Caetera fuere acervus lapidum, et funesta congeries.“ Urbe nimirum Turcis erepta aedes in rudus abiit. — Coniecturas Praii de Vacio ante Geysam condito, iam superius enervavi; videamus, an in Episcopatu Vacienti, S. Stephano vindicando sit felicior. Quae de re libro citato p. 332: „Quid quod ipse Bela Rex (Geysam Regem voluit dicere) in litteris fundatae ab se Abbatiae S. Benedicti iuxta Gron satis aperte videatur declarare, Episcopatum Vaciensem prius, quam rerum summam in Hungaria adeptus esset, iam fuisse erectum.“ — Ita sane, Geysa in his tabulis anno 1075 con-

fectis, binis vicibus Episcopatus Sanctae Mariae Vaciensis meminit; verum Abbatia S. Benedicti iuxta Gron serius fundata legitur: Episcopatus autem anno auspicati regiminis, seu 1074. institutus fuit; adeoque ex Abbatiae fundationalibus posterius editis nullo pacto sequitur, Vaciensis Episcopatus incunabula S. Stephano tribui oportere. Ego sane domesticorum fide Chronicorum stabo deinceps quoque, donec diplomate de contrario convictus fuero. In eo etiam adhaerescunt nonnulli, quod Turótzius Vaciam identidem appellaverit; ut adeo et civitas, et appellatio haec prius iam existerit. Verum Chronicon Turótzianum id, quod postea configit, per prolepsim praemittit; quod et in nostro observare licebat.

⁸⁾ Nempé in Mogyoród.

⁹⁾ Chronicon Poseniense: „qui post coronationem fundavit ecclesiam Wachiensem.“

¹⁰⁾ Tributum Pestienne, seu hodiernarum Pest et Buda urbium, non Geysa I. verum huius nominis secundus Rex, Ecclesiae Vetero Budensi donavit, ut anni 1148. eius litterae Cod. Dipl. Tom. II. p. 129. hoc modo testantur: „Geisa secundus, secundi Belae regis filius — relictus, quos praedecessor meus rex Ladislaus (nimirum Sanctus) ad usum fratrum Budensis Ecclesiae, scilicet 360. pensas singulis annis de sua Camera ordinaverat; — pro his omnibus, totius regni mei consensu — tributum fori Geysae (hodierni suburbii Budensis, vulgo Via Regia nuncupati) et tributum portus Pest, et Kerepes — eidem ecclesiae — condonare curavi.“

¹¹⁾ Nimirum: Komar, Galambuk, Zent Petur in Simigiensi, et Karus in Zaladiensi Comitatibus, quos tamen Ludovicus I. Rex anno 1355. pro illa Budae veteris, seu hodiernae Neapolis, Neustift, parte contulit, quam ab Ecclesia Vetero Budensi recepit, ac Reginarum Civitatem constituit. Lege eius litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 370—382.

Bisseni spe libertatis obtinendae, certam Geysae Regi de Salomone victoriam pollicentur; quos tamen Salomon in fugam vertit, et Auxilium Henrici affinis sollicitat.

Eo tempore Besseni unanimiter rogaverunt Regem Geysam, ut si eos libertati donaret, ipsi insultus Regis Salomonis omnino cohercerent ita, quod nec auderet exire de Musun, et Poson ad depredandam Hungariam. ¹⁾ Rex autem Geysa se petitioni eorum condescensurum permisit, ²⁾ si ipsi hoc, quod promiserant, adimplerent. Besseni itaque cum principe eorum Zolta nomine equitaverunt super Regem Salomonem; cum autem venissent ad con-

flictum, Besseni fugerunt a facie Salomonis, sicut cera a facie ignis; et multis ex eis interfectis, et in stagnum Ferteu ³⁾ submersis, pauci cum Zolta fugiendo evaserunt. Postea autem Rex Salomon metuens Geysam Regem, et ipsius fratrem, cum rebus, et familia Stiriam introivit, et in claustro Agmund ⁴⁾ matre, et uxore relictis; in Musun est reversus, volens, collecto exercitu, invadere ambos fratres. ⁵⁾ Cunque de die in diem Salomon deficeret: sed illorum processus ⁶⁾ reciperet felicia incrementa; confusus, ad Cesarem direxit gressus suos, requirens eum, ut ei auxilium tribueret in Hungariam revertendi. Et licet pecuniam dedisset affluenter pro militibus solidandis; ⁷⁾ Teutonici tamen, et Latini, cum ipso, ob metum non venerunt Hungarorum.

¹⁾ Videntur hi Bisseni, qui Salomonem coartare voluerunt, illorum fuisse reliquiae, quos Salomon ad Belgradum victos, contra datam fidem, in servitutem redegit, ac in Hungariam deduxit; nec non eorum posteri esse, de quibus Anonymus B. R. N. Cap. LVII. sub Zolta Duce loquitur: „Dux vero Zolta — ex parte Theotonicorum — dedit castrum construere Ruthenis (in Mosoniensi Comitatu Orosz Vár, hodie Karlburg, Caroloburgum, a Carolo VI. Imperatore, et III. huius nominis Hungariae Rege ita dictum) qui cum Almo Duce, avo suo, in Pannoniam venerant; et in eodem confinio, ultra lutum Musun collocavit etiam Bissenos non paucos habitare, pro defensione regni sui, ut ne aliquando in posterum furibundi Theotonici, propter iniuriam sibi illatam, fines Hungarorum invadere possent.“ — Hi fuere Limitum Custodes, Órii dicti, quorum memoriam Órség, item in Comitatu, Castri Ferrei, Óri Szent Márton, Óri Szent Péter, Óri Sziget, Alsó et Fölső Ór, Ober und Unter Wart hodieque loquantur.

²⁾ „Permittere se in aliquo per conniventiam.“ De re aliqua pacisci, convenire. Gloss.

³⁾ Ferteu, Fertő alias Peiso. Germanis Neusiedlersee, diffunditur intra Soproniensem, et Mosoniensem Comitatum quatuor milliariam longitudine. Nomen Pesio a fluvio Phison seu Gangen unde Hungari commigrarunt, mutuaverit. Phison enim teste Hoffmanno Lexicon. Univ. etiam Pison nominabatur; solebant quippe Hungari ad retinendam veteris patriae memoriam, non urbibus modo: verum etiam fluviis, relictorum locorum Nomina imponere. Emlitenem kell, inquit doctiss. Stephanus Horvát in an. 1817. Tudományos Gyűjtemény Tom. I. p. 80—81. hogy a' Velentzei

tó is hajdan, mint egyébb számos tovaik, és a' töle nem meszsze fekvő Pataki Tó, Fertő nevet viselt. III. Bela király azon oklevelében, melyet a' Fehérvári Hospitalárius Szerzeteseknek 1193-ban adott, mondja: „In Agar (ma Agárd) iuxta Ferteu ad quinque aratra, et in Ferteu habent praedicti Fratres partem, sicut servi nostri.“

⁴⁾ Admontensis Monasterii exordia Hansizio teste Germ. Sacr. Tom. II. de Archi Episcopis Salisburgensibus in an. 1073. incidunt ubi p. 177. haec de S. Gebehardo narrat „Sanctus Gebehardus Archi Episcopus Salisburgensis molitur (anno 1073) coenobium Admontense ad vallem quandam iuxta Anasum fluvium“ — Ut ut vero p. 217. Asceterium Admontense virginum serius, circa annum quippe 1120. constructum in haec verba perhibeatur „Conradi (I. Archi Episcopi Salisburgensis) studium aemulatus est Wolfholdus Abbas Admontensis, qui pariter coenobio Monachorum adiunxit collegium Virginum, quod aetate Conradi Sophia Regis Hungariae Belae (Hdi) filia nobilitavit.“ — Virorum tamen monasterium eo anno, quo haec deportatio circa annum 1076. contigit, iam exaedificatum esse potuit, Turótzius ergo non est hallucinatus, ut Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 337. opinatur. Nec enim Sophia, seu Iuditha velum assumpsisse censenda est, ut quae Ratisbonam ad fratrem reversa, anno demum 1088. consentientibus Poloniae Historicis, Vladislao Poloniae Duci nupserit.

⁵⁾ Geysam nempe, et Ladislaum fratres.

⁶⁾ Processus, seu Agendi ratio.

⁷⁾ Solidare, Stipendium praebere, hinc Solidarii iidem, qui Milites. Gloss.

Henricus IV. Salomon precibus motus, Hungariam invadit.

Imperator ergo verbis Salamonis permotus, cum magno exercitu intravit in Hungariam; alimentum vero ad usum sui exercitus habunde navigio ferebatur in Danubio, et alia necessaria copiose. Cum venisset Imperator ad flumen Vag, ¹⁾ Salomon acceptis tribus agminibus, equitavit de Semte ²⁾ super Nitriam. ³⁾ Exeuntes autem iuvenes, et confligebant secum, nunc hiis, nunc illis fugientibus, et diu sine vulnere certantibus, Opus miles electus ex millibus, sedens super dextrarium suum, irruit in portam Civitatis, et unum de pugnantis fulminavit. ⁴⁾ Nitrienses vero de morte socii sui turbati, acriter ingemebant, in Opus iaculantes lanceas, dextrarium eius interfecerunt; ipse autem

fortiter eis resistens, illesus evasit. Inde ergo revertentes Teutonici narrabant Imperatori audiciam Opus, et incredibilem eius potenciam in prelio. Imperator autem accersito eo, magnis laudibus commendavit, et verbis dulcibus gratificavit. Quesivit itaque a Salomone, si apud Geysam, et Ladizlaum essent multi tam boni milites? Salomon autem intendens laudare Hungaros, immediate respondit: multi sunt, inquires, etiam multo meliores. Cui Imperator: si ita est, talibus militibus repugnantibus, non recuperabis regnum.

1) Vag, Vagus in Liptoviensi Comitatu oritur in Carpati radicibus, qua is maxime incipit adtolli; infinitis propemodum rivis et torrentibus auctus, in Turótziensem Provinciam elabatur; inde in Trenchiniensem, ac infra Vág-Ujhely in Nitriensem fertur. Postea perpetuus fere Comitatus Posoniensis disterminator, in ramum Danubii septentrionalem exit, ac demum Comaromio suffunditur.

2) Semte sinistram Vagi ripam insedit, et Oppido Szered trans fluvium sito adiacet.

3) Nitria Arx et Urbs Episcopalis monti petroso imposita, quam Nitria fluvius circumfluit; ab illa Comitatus quoque nomen sortitus est. Nitria Mons et Civitas reperitur in antiquis quoque Inferioris Aegypti Mappis. Hungaros autem primos Africae incolas fuisse, in exordio, sacrarum Paginarum fide narravi. Haec tamen non eo sensu accipienda sunt, quod Nitriam Hungari postremo demigrantes condiderint.

4) Fulminare, emissio iaculo transfodere.

Sed Geysae stratagematibus delusus, rebus infectis, revertitur Anno 1074.

Rex autem Geysa, audiens Imperatorem pervenisse Vaciam, prudenti usus consilio, iussit attemptare ¹⁾ et demulcere Patriarcham Aquilegiensem, ²⁾ cuius consiliis Imperator plurimum auscultabat; simul etiam omnes Duces Teutonicorum, promittens eis multam pecuniam, si Imperatorem reverti facerent. Patriarcha igitur, et Duces muneribus allekti, et auri amore capti, satagebant variis figmentis inducere Imperatorem, ut reverteretur. ³⁾ Patriarcha enim fixit ⁴⁾ se vidisse somnium, cuius coniectura manifestissime totum exercitum Imperatoris, divina ultione

peritulum, nisi quam citius reverteretur. Sed et Duces similiter fixerunt se divinitus ammonitos, conquerebanturque Imperatori, nescio quid opinati mali imminere, si non cito reverterentur. Sequenti vero nocte Duces instruxerunt quosdam astutos milites suos, ut ipsi vociferando, ⁵⁾ et clipeos suos alternatim percutiendo, seditio-nem ortam in exercitu simularent. Quod cum fecissent milites, magnus horror irruit super Imperatorem, et universum exercitum, excogitate frandis et simulationis inscium. ⁶⁾ Factus est itaque tota nocte illa tumultus magnus in castris. Mane autem facto, convocavit Imperator Patriarcham, et Duces in consilium, ut deliberarent, quidnam esset agendum? Patriarcha ergo, et Duces pecunia corrupti, modis omnibus consuluerunt ei, ut reverteretur. Cesar autem ingeniis ⁷⁾ deceptus, simulans se Salomoni in posterum auxiliaturum, destructis navibus, ⁸⁾ in Teutonium est reversus.

¹⁾ Attemptare, moliri, Attemptatio, molitio, scelus Gloss.

²⁾ Erat is Sigefridus, seu Sicardus. Haugen Lib. III. Cap. 46. „Nicht on argwon, als hetten sie gross gaben von könig Gey-sa darumb ingenommen.“

³⁾ At Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1074. Henricum IV. ad reducendas copias fame coactum: Imperatoremque post Festum S. Michaëlis Vormatiam, inde vero Ratisbonam reversum fuisse perhibet. Sive usus est Geysa hoc stratagemate, sive non; in eo tamen exteri quoque Scriptores conveniunt, quod Henricus infectis rebus redierit. Reditus autem iste non ad hunc, verum sequentem annum referri debet.

⁴⁾ Lege: finxit.

⁵⁾ Vociferari, clamare.

⁶⁾ Haec fuerit causa, quod Lambertus Schafnaburgensis rerum in Hungaria gestarum perinde ignarus, Henrici copias dira fame laborasse scribat.

⁷⁾ Ingenium, Ingenium, hoc loco fraus, astutia.

⁸⁾ Destructis navibus, reduces copias suapte annona deficere debuit.

Geysa interim tenerrimae conscientiae anxietatibus exagitatus, Regnum Salomoni ultro cessurus, moritur, et Vacii tumultatur Anno 1077.

At Rex Salomon spe frustratus, gemebundus ac mestus collegit se in Posen; confirmatumque est Regnum in manu Geyse Regis; et eo tempore inceptum est nomen eius vocari Rex Magnus. ¹⁾ Dux autem Ladizlaus obsedit Posen multis diebus; milites vero Salomonis, qui necessitudine ²⁾ compellente, ad Ladizlaum Ducem veniebant, regali liberalitate et sua benignitate largissima refovebantur, et ad Dominum suum libere ire permittebantur. ⁷⁾ Rex autem Magnus, eo tempore, Natale Domini in Zuk-Zard celebravit, quo petente Archi-Episcopus Desiderius ⁸⁾ solemnem Missam celebravit, et sermone lucidissimo animum Regis delinivit, et ad bonum pacis inclinavit. Celebrataque Missa, et omnibus rite peractis, precepit Rex, ut omnes egrederentur, preter Episcopos, et Abbates. Tunc Rex cum lacrimis prostratus est Archiepiscopo, et aliis Ecclesiasticis personis, seu Prelatis; dicebat se peccasse, quia Regnum legitime coronati Regis occupaverat; ⁹⁾ promisitque Regnum redditurum Salomoni cum pace firma hoc modo: quod ipse Coronam iure teneret cum tertia tamen parte Regni, que Ducatui appropriata erat. ¹⁰⁾ Salomon quoque duas partes Regni coronatus teneret, quas prius detinebat. Episcopi ergo letas Deo gratias egerunt; quia Regem Spiritus Sancti gracia et visitatione compunctum et illustratum esse videbant. Tunc Rex Magnus, missis nunciis ad Regem Salomonem, explicuit ei per litteras modum pacis pretaxatum. Intercurrentibus itaque nunciis, et super hac re diversis, diversa sentientibus, consumptio reconciliationis effectum sortiri non potuit. ¹¹⁾ Interea Rex Magnus in guavem egritudinem incidit, et Septimo Kalendas Maii viam carnis universe, vir, virtutibus adornatus; est ingressus. ¹²⁾ Erat enim fide Catholicus, Deo devotissimus, et Princeps Christianissimus. Regnavit autem tribus annis, et Vacie tumultatus in Ecclesia Beate Virginis, quam ipse construxit et dotavit. ¹³⁾

1) Noster, et ex Turótzio, Praius, Annal. Reg. Hung. P. I. p. 73. Geysam ob delusum astu Henricum Imperatorem cognomen-
tum Magni adeptum esse putavit: alii vero hanc eum appellatio-
nem a rebus gestis consecutum censuerunt; verum iam ante delu-
sum Imperatorem Magnus fuit dictus: nec e modestia Geysae fuis-
set, ut se in tabulis quoque suis hac appellatione ornaret, lustrico
itaque nomine Magnus fuisse dictus existimari debet, nam San-
ctum quoque Stephanum plura habuisse nomina legimus.

2) Necessitudo, opus. Gloss.

3) Insigne est hoc, et rarissimum animi fortitudinis, mode-
stiaeque exemplum, quo Ducibus Bela quoque parens praeivit, quem-
admodum in illius historia legimus.

4) Hoc tempore Nehemias fuit Archi-Episcopus Strigoniensis:
Colocensis autem Ecclesia necdum erat Metropolitana; quare no-
ster, et Turótzius ad morem aetatis suae, qua iam Colocensis Ar-
chi-Episcopatus exstitit, loquuti fuisse videntur; seu potius, Codi-
ces post erectum Archi-Episcopatum Colocensem exaratos, fide-
liter de verbo ad verbum exscripsisse censendi sunt.

5) Anxia hac sollicitudine teneram optimi Principis conscien-
tiam eximere poterat, quod per Proceres fuerit ad regnandum
compulsus. Opinione mea vel hoc facto se et re, et nomine Ma-
gnum esse ostendit.

6) Haec non eo sensu accipienda, quasi Geysa nudum Regis
titulum, quod iam inauguratus esset, reservare sibi voluerit; sed
referri debent ad Coronam Ducalem, quam a Michaële Duca, Grae-
corum Imperatore habebat: eam enim se iure tenere innuit; Re-
giam autem Coronam cum duabus Regni partibus Salomoni se ul-
tro cessurum spondet. Nec alia ratione haec cum prioribus con-
ciliari possunt: hoc autem pacto bene Geysa secum consentit.

7) Quia, sicut volentibus Proceribus Regni fasces suscepit:
ita nec se solo, invitis Hungaris imperio se abdicare potuit. Non
alia igitur interceptae pacis causa erat, quam quod se se Regni
Proceres interposuerint, modisque omnibus adversati fuerint consi-
lio Geysae; quo Regnum in Salomonem transferre constituerat. Ve-
rebantur enim, ne, si salomon rerum rursus potiretur, pactum
iniuriosum, quod is Henrico de tributo pendendo, tradendisque
sex munitissimis Hungariae Civitatibus, seu Comitatibus stipula-
tus erat; in quod tamen Optimates nunquam consenserant, in effe-
ctum deduceret.

8) Id est: 25. Aprilis 1077. incoepit autem anno 1074. ante
mensem Martium, ut ex S. Gregorii VII. Papae litteris XVI. Ka-
lendas Aprilis, Indictione XII. ad eum datis liquet. Cod. Dipl.
Tom. I. p. 420—421. Haugen Lib. III. Cap. 47.. „Er verliess
zwen sün, Colomannum den eltern, vnd Aluinum (Alnum) den
jungern.“

9) Ad morem nempe aliorum Hungariae Regum, quos in Ecclesiis a se conditis tumulatos adhuc fuisse noster tradidit. — Et Chronicon Poseniense: post multa bella in gravem infirmitatem incidit, et mortuus, Wacieque tumulatus est.

De Coronatione

Sancti Regis Ladizlai, Fratris Geyze, Filiique
Bele Primi, et de Vita, et Morte eius.

*Geysa I. Rege mortuo, Salomoneque reiecto, S. Ladislaus
Dux, licet invitatus et reluctans, omnium votis regnare
cogitur Anno 1077.*

Audita vero morte Regis Magni, convenit universa multitudo Hungarorum Nobilium ad fratrem eius Ladizlaum, ¹⁾ et eum communi consensu, parilique voto, et consona voluntate, ad suscipiendum Regni Gubernaculum concorditer elegerunt, imo vere magis, affectuosissimis et instantissimis precibus compulerunt. ²⁾ Omnes enim noverunt, ipsum esse vestitum consummatione virtutum, fide Catholicum, pietate precipuum, largitate munificum, caritate conspicuum. Emicuit quippe quasi stella matutina in medio nebulae, fugans tedia tenebrarum; et quasi luna plena in diebus suis; velut etiam sol refulgens: sic effulsit in populo suo, quasi adeps separatus a carne. Et cum leonibus et ursis lusit, quasi cum agnis ovium; numquid non occidit gigantem? et abstulit opprobrium ex Israël? Convertit enim inimicos suos undique, et extirpavit adversarios populi sui. ³⁾ Erat enim magnus, secundum nomen maximum. Nam si ethymologiae nominis aludamus: Ladizlaus, quasi laus divinitus data dicitur. Laos enim populus interpretatur: Doys autem dans, vel datio, sive datum; prima enim silaba nominis eius laus est ⁴⁾ per paragen. ⁵⁾

¹⁾ Non modo aevi posterioris, verum etiam antiqui opinio obtinebat, S. Ladislaum omnino coelibem fuisse; huius opinionem Chronici Dubnitzensis compilator his verbis memoriae prodidit: „matrimonii enim copula dissolutus (solutus teste Glossario coelibem significat) acceptabile munus continentem Deo dedicans.“ —

Ipsē tamen coniugem se habuisse, in tabulis Ecclesiae Beszprimiensi an. 1082. datis testatur apud Pray Hierach Hung. P. I. p. 272. et Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 350.—359. ubi cetera inter: „In praedio Merena, quod uxor nostra concessit Ecclesiae Sancti Michaëlis de nostra voluntate, habet Ecclesia magnam terram.“ Eius vero nomen Hemericus Rex in anni 1201. diplomate Cod. Dipl. Tom. II. p. 386. ab oblivione vindicavit „In praedio quodam nomine Merena, quod gloriosa Regina Adelhey, uxor videlicet bonae memoriae Regis Ladislai, animae suae remedio consulens, Ecclesiae Beati Michaëlis de Veszprimio contulerat.“ — Quam non Rudolphi Comititis Reinfeldensis: verum Bertholdi Zaringensis filiam fuisse, Prai in Dissert. de S. Ladislao, et Daniel Cornides Geneal. Reg. Hung. contra, ac Lazius, Albisius, Pistorius, Guillimanus, et Volateranus perhibent, existimabant. Sed errorem deducit Cels. olim S. R. I. Princeps et Abbas S. Blasii in Silva nigra Martinus Gerbert edito opere de Rudolpho Svevico, et in Hist. Nigrae Silvae; in illo p. 400. in hoc vero p. 234. et Adelheidem Divo Ladislao Hungariae Regi paulo ante an. 1077. nupsisse ostendit. Bertholdi Constantiensis testimonio, mense Maio an. 1090. mortua. Ex isto connubio filiam Piriscam, Graecis Irenen dictam suscepisse legitur, de qua Cinnamus Lib. I. „Uxorem duxerat Ioannes (Comnenus, qui ab anno 1119. ad an. 1143. praefuit) Bladisblai filiam Eirenen, castissimam, si quae alia, et virtutis studiosissimam mulierem.“ Meminerunt eius etiam Turótz Chron P. II. Cap. LXIII. et Bonfinius Decad. II. Lib. VI.

2) Haugen Lib. III. Cap. 48. „erwelten einbelligklich den seligen Ladislaum — wiewol er sich des lang wiert, vnd nit annehmen wolt, die sün seiner brüder fürhielt — so wolten in die Vngern des nicht begeben, dann meniglich hat in lieb, und west sein tugend vnd fromkeyt.“ — Et Chronicon Magno Varadinense: „Sanctus Rex Ladislaus ab omnibus Regnicolis, post obitum Geysae Regis, fratris sui, vix potuit induci, ut regni gubernaculum susciperet.“ Compelli debeat, quod vivente Salomone nulla ratione regnare vellet; sed Patriae salus secum ferebat, ut prae Salomone imperet: eoque magis in eum conspirarunt, quo pluribus, iisque maximis virtutibus effulgebat. De Corona autem S. Ladislai Regis conf. an. 1838. Tudomány Tár Tom. III. p. 333 — 334.

3) Ea semper in belligerando piissimus ac fortissimus Princeps usus est rara felicitate, ut quoties manus cum hoste consereret, toties victor rediret, id quod et vetus nostrorum cantilena in eo celebrat:

„Tu carne purus, mente preclarus,
 Tu corde audax more leonis,
 Ad hoc Es dictus bátor (audax) Ladislaus
 Cum adhuc iuvenis etate fores.“

Conf. Taschenbuch für die vaterländische Geschichte. Herausgegeben durch die Freyherrn von Hormayr, und Mednyánszky Wien. 1821.

4) Infelici etymologo facile haec derivatio condonari potest ut qui amato Principi, quos Hungaria unquam venerata est, omnium optimo et maximo, etiam ex nomine laudem conciliare voluerit. Ladislai nomen in eius Vita, quam anno 1836. Budae edidi, e Wolod, dominator, seu Wladik dominus, ac Slauha, servus conflatum putavi, quae voces Slavis Domini Servum denotant: quemadmodum Boguslaus Dei servum; quod ei Slavicum nomen matre Polona, in Polonia nato inditum fuit. Antonius Boczek in Dipl. Moraviae p. XVI. Wladislaos Moraviae Marchiones alias Henricos appellat; Hoffmanno autem teste in Lexico Univers. Henricus, si Germanice sit Einric, sonat Everich, seu semper Potens; quae interpretatio opinioni meae multum favere videtur, confirmatque Graecorum Basilium, Slavis Wladislaum, Germanis autem Henricum significare. Hungaris Ladislaus László, Lantz, Latzi. Vid. an. 1836. Tudom. Gyűjt. Tom. IX. 76. unde Gallorum Lancelot. „Leben der Väter und Märtyrer. Mainz 1824, in 8. VIII. B. p. 424.

5) Paragogen, idem, quod Paragramma, scripturae inversio, agnominatio.

Singulares Eius Virtutes.

Postquam autem, divina dispensatione, Regni suscepit gubernacula; non mundanam gloriam caducam, et transitoriam: sed celestem patriam, et divinam gloriam, toto cordis affectu promereri studuit. Semper enim timorem Domini pre oculis habuit in omnibus iudiciis suis, et maxime in causis criminalibus, in quibus ultio, sive pena sanguinis irrogatur. Divina quidem inspiratione illustratus sciebat, quod Rex non tam regat, quam regatur. Unde in omnibus iudiciis suis mitigata legum severitate, semper utebatur misericordiae lenitate. Erat enim consolator afflictorum, sublevator oppressorum, pius pater pupillorum, et protector orphanorum. Qui etiam victor honoratus, inclitus augustus extitit, non tam nominum proprietate, quam rerum veritate. Adauxit enim Rempublicam Hungariae.

Dalmatiam, et Croatiam Iuribus Hungariae adiicit
Anno 1090.

Ipsa quidem primus Dalmatiam, atque Croaciam suae monarchiae, iure perpetuo subiugavit. Cum enim Rex Zoromerus sine liberis decessisset, uxor eius, soror Regis Ladislai, ab inimicis viri sui, multis iniuriis pregravata, auxilium fratris sui, Regis Ladislai, in nomine Iesu Christi imploravit; cuius iniuriam Rex graviter vindicavit; et Croaciam, atque Dalmatiam integraliter sibi restituit. Quapropterea, praedicta Regna suo subdidit dominio; quod non fecit propter cupiditatem; sed, quia secundum legalem iustitiam sibi competeat hereditas, quoniam quidem Rex Zoromerus in primo gradu affinitatis eidem attinebat, et haeredem non habuit. ¹⁾

¹⁾ Zoromerus, Suinnimirus, e Lepa, Belae I. Regis filia, et S. Ladislai sorore Radovanum filium suscepit; vid. an. 1078. nec non 1083. literas in Cod. Dipl. Tom. I. p. 444—445. et 461—462. cum anno. 1089. iam Stephanus regnaverit in Croatia, ac Dalmatia; p. 462. et 464. ibid. certum est Radovanum, Suinnimiri filium eorum iam non vixisse. Quia, porro, nullum ultra annum 1089. Stephani Regis diploma occurrit mihi notum, p. 464 — 466. ibid. nullave ipsius mentio; rursus argumento est, eum e morbo, quo antea laborabat, decessisse, regnumque turbis involutum reliquisse; de quibus Thomas Archidiaconus Spalatensis Hist. Salon. Cap. XVII. ita testatur: Coepit itaque inter omnes regni proceres magna discordia suboriri: et quum divisim modo hic, modo ille regnandi ambitione sibi terrae dominium vendicaret; innumerabiles rapinae, praedationes, caedes et omnium facinorum seminaria emergerunt. Alter enim alterum insequi, invadere, trucidare quotidie non cessabat. Verum his temporibus — quidam ex magnatibus Sclavoniae — in Ungariam profectus est — ad regem Ladislaum — persuadens ei (nomine sororis suae Lepae.) ut ad capiendum Croatiae regnum et suo dominatui subiugandum exiret. His ergo Ladislaus Rex inductus consiliis — venit et occupavit totam terram a Dravo (rectius Savo) fluvio, usque ad Alpes, quae dicuntur, ferreae (montes Albii) nullo obice resistente.“ Id quod anno 1090. contigit; anno enim 1091. iam tenuit, et per nepotem Almu, Croatiam (intellige trans Savanam, hodierna enim Croatia, est veri nominis Slavonia. conf. meam de Slavonia ut constitutiva Hungariae parte Commentationem, an. 1837. in lucem emissam) rexit, quemadmodum diploma, quod Lucius Lib. II. Cap. I. p. 170. recitat, uberius docet.

Salomonem in gratiam recipit, insidias sibi struentem Visegradini inclusum tenet, occasione Elevationis Corporum S.S. Stephani Regis, ac Emerici Ducis libertati assertus ad Cumanos deficit, eosque contra S. Ladislaum in Hungariam evocat internecina clade affectos
Anno 1086.

Porro, Salomon erat in Poson; reverendissimi autem Episcopi laborabant pacificare eos. ¹⁾ Rex autem Ladizlaus, quamvis sciret Salomonem nimis esse trucem et impatibilem; ²⁾ vietus tamen pietate, et maxime iusticia ³⁾ compellente: quia ius legitimum Ladizlaus non habebat contra eum; ⁴⁾ sed omnia ex facto fecit, non de iure: ⁵⁾ quarto anno regni sui pacificatus est cum Salomone; donans ei stipendia, ad regales expensas sufficientia. ⁶⁾ Optimates autem Regni futura pericula bellice cladis caute precavescentes, non patiebantur Regnum partiri cum Salomone; ne novissima fierent peiora prioribus. ⁷⁾ Salomonis autem cauteriatam conscientiam ⁸⁾ preconcepte iracundie amaritudo laniabat. Cepit itaque fremebundus, estuanti animo, machinari dolos in perniciem innoxii sanguinis Ladizlai; sed incidit in foveam, quam fecit. Rex enim Ladizlaus deprehenso flagitio, cepit Salomonem, et in Visegrad retrusit in carcerem. ⁹⁾ Sed postmodum dimissus est de carcere in Elevatione Corporum Sancti Regis Stephani, et Beati Emerici Confessoris. ¹⁰⁾ Et fugiens adiit Ducem Cunorum, qui vocabatur Cutesk, cui iuravit, quod Transsilvaniam provinciam proprietario sibi traderet, ¹¹⁾ et filiam eius in uxorem acciperet, si ille in auxilium eius super Ladizlaum veniret. Dux autem Cutesk inani spe seductus, cum magna multitudine Cunorum invadens Hungariam, devenit usque in Provinciam Castrorum Hung, ¹²⁾ et Borsoa. ¹³⁾ Quo audito, Rex Ladizlaus irrumpit super eos, et contriti sunt a facie eius, cecideruntque in ore gladii multa millia Cunorum. Rex autem Salomon, et Cutesk, sicut anates, avulsis pennis, ab ungnibus astutis fugientes, evaserunt. Rex itaque Ladizlaus tulit spolia eorum, et in ymnis et confessionibus benedicebant Deum,

quia dedit eis gloriosam victoriam. Fecit autem Rex construere Ecclesiam ad honorem omnipotentis Dei. ¹⁴⁾

¹⁾ Pacificare, solvere, exolvere. Clamor pacificatus, debitum exolutum. Gloss. Hoc sensu loquitur noster, dum ait: „quarto anno regni sui pacificatus est (Ladizlaus) cum Salomone, donans ei stipendia, ad regales expensas sufficientia.“ Episcopi ergo cum Salomone non de pace tractarunt; nec enim cum exautorato, ac per Optimates secundum iam reiecto Rege agere amplius valebant: verum de stipendio ei unde unde tribuendo solliciti erant.

²⁾ Placabilis, Placitus, Gratus. Gloss. Implacabilis proin hoc loco ingratum denotat.

³⁾ Iustitia hic, illius aevi loquendi modo, Convenientiam inuit. Gloss.

⁴⁾ Contra, aevo medio saepissime loco Pro sumitur. Lex Alemann. tit. 20. „Nullus Presbyter... potestatem habeat vendendi Ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram.“ Gloss. Sensus igitur Chronicorum est: Divum Ladislaum lege obligatum haud fuisse, ut Salomoni de stipendiis provideat.

⁵⁾ Ex facto, non de iure. Factum dicebatur olim scriptum, quo dona, et id genus alia confirmabantur. Coniicio S. Ladislaum scripto Salomoni stipendiorum beneficium obtulisse.

⁶⁾ Id quod anno 1081. evenit, quemadmodum Codex membr. MSC. Bibl. Regnicol. testatur: „Ladislaus rex, et Salomon frater eius (patruelis) pacem fecerunt.“

⁷⁾ Proceres igitur omni seu cessionis, seu partitionis Regni, quam S. Ladislaus ex animo facere voluit, obstitere.

⁸⁾ Caeteriata conscientia, seu depravata, cui, quasi caeteri nota inusta est.

⁹⁾ Vissegrad Illyrica denominatione, Altum Castrum significat. Arx nunc rudus informe, ad dextram Danubii ripam infra Strigonium in excelso monte consedit. Salomon autem anno 1083. in carcerem coniectus fuit, ut memoratus Codex ad hunc annum habet: „In carcere (Salomon) missus, et dominus rex Stephanus, et Henricus filius eius, et Gerardus episcopus revelantur, et Salomon rex fugit.“

¹⁰⁾ Anno quippe 1083. ut paulo ante, ex saepe laudato Codice recitavi; cui etiam Hartvicius in Biographia S. Stephani, quam edidi, vellificatur, p. 85 — 87. in haec verba scribens: „rex deo dilectus — sanctam animam — anno dominice incarnationis mill. XXXVIII. in manus virginis perpetue, et sanctorum angelorum, celestis quieti beatitudinis inferendam tradidit.“ Eius autem apotheosim ad annum ab eius obitu 45 refert: „Quievit itaque corpus beatum eodem in loco, non apertis declaratum signorum inditiis XLV. annis — Interiectis itaque XLV. annis — rex ladizlaus,

qui tunc rempublicam administrabat, universa honestate morum preclarus habitus, et virtutum fulgore conspicuus, laudibus et servitio dei perfecte deditus, — habito colloquio cum episcopis, et primatibus, et totius pannonie sapientibus — cum — sanctum eius corpus — elevare satagerent — eo — tempore, exigentibus culpis, inter predictum regem ladizlaum, et fratrem eius salomonem gravis orta seditio (conspiratio in mortem Gloss) fuerat, ob quam salomon captus in carcere tenebatur.“ — Elevatio autem, loquendi modo seculis illis usitato, ipsam Canonisationem significat. Legg. Eccl. Hung. Tom. I. p. 167. Quod Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 430 — 436. cum ignoraret, insuperabilem circa Elevationis annum expertus est difficultatem, ex qua eluctari non potuit; praesertim, quod Divus Ladislaus in tabulis Ecclesiae Veszprimiensi anno 1082. concessis, Stephanum ter Sanctum Regem appellaret; censebatque S. Stephanum definitiva sententia iam an. 1081. Coelitibus esse adnumeratum. Sed vero Elevationem anno 1083. contigisse, in dubium vocari nequit: praeterea Divum Protoregem ante adhuc Canonisationem pro Sancto habitum fuisse; quod Vita eius ex Actis publica fide conscriptis palam omnibus constaret, in Praefatione, quam Hartvici Legendae praemisream, uberius docui. Aevo denique medio Sanctitatis titulus non Episcopis modo: sed etiam vivis Imperatoribus, atque Regibus passim tribuebatur. — Elevationis tempore, reperta fuit S. Stephani Sacra Dextera, et ad monasterium Szent Jog, quod Hungaris perinde Dexteram significat, in Bihariensi Provincia constructum pie delata. Conf. Pray Dissert. de Sacra Dextera Divi Stephani Vien. 1771. in 4-o — Usque an. 1241. quo Tartaris in Hungariam infusis, tutioris permansionis ergo, Albam Regiam migravit, ibidem colebatur. Alba Regia autem, ubi Sacrum hoc Palladium inter Regni Clenodia asservabatur, Carolo Roberto sceptrum tenente, cum Clenodiis Vissegradinum translata, hinc, ut Petrus de Rewa Cent. VII. refert, quam religiosissime custodita fuit „In arcibus vero (Visegrad) quodam cubiculo, in hunc usque diem cerni potest concavitas quaedam, inquit, instar mediocris fenestrae, ex durissimo saxo excisa, in qua Sacra asservabatur Corona.“ Verum Ludovico I. Rege eius filio Hungaris imperante, qui Regiam Vissegradino Budam in arcem transtulit, rursus Albam Regiam remeavit; quemadmodum Pelbartus Serm. 78. de S. Ladislao perhibet: „Festum Dextre Stephani Regis celebrandum (S. Ladislaus) instituit, quod moderna consuetudo non colit; sed tamen pia devotione in Civitate Albensi positam olim, misericordie operibus plenam omnis populus veneratur.“ Et Serm. 1. cum Legenda de S. Stephano „Dextraque manus beati regis Stephani, usque modo ossibus, cute et nervis adherentibus, manet integra, quasi elemosynam porrigere videretur, quod a Deo factum credimus pro pie-

tatis operibus commendandis.“ Hic fuisse in honore habitam, Legatus quoque Palatini Comitis, qui Matthiae I. Regis nuptias cum Beatrice anno 1476, celebratas, ut spectator, descripsit, perinde testatur: „Regi urbem (Albam) ingredienti, omnes religiosi et clerici, longissimo ordine venerunt obviam cum sacris reliquiis: et ante Divi Stephani, Rex, et Regina cum de equis descendissent, una ambo sub uno eodem expanso et bacillis gestato velo deducti in templum in chorum fuerunt.“ Schwandtner SS. RR. Hung. Tom. I. p. 520. Alba Regia vero an. 1543. per Turcas armis subacta, Ragusam ablata, anno demum 1771. Augusta Maria Theresia reductum hunc thesaurum, quovis auro pretiosorem in Arce Budensi, ac Ecclesia S. Sigismundi, ubi hodieque pie veneratur, decenter collocatum, Hungaris restituit.

¹¹⁾ Proprietario, i. e. Iure domini, et legitimi possessoris.

¹²⁾ Hodie Ung-Vár rupi non altae magis, quam prospectus amoeni imposita, ad cognominem amniculum consedit, nomenque totius Provinciae mutuavit.

¹³⁾ Haec irruptio non videtur, ad an. 1086. retrudenda esse; genius enim Salomonis nequam, vix tres annos conquieverit. Ceterum Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 499. coniectat, quod per Borsoam non Borsodiensis Provincia, sed vetus ultra Munkatsinum arcula designetur: Spect. Vir. Gabriel Nagy autem in anni 1836. Tudom. Gyűjt. Tom. IV. sub hac nomenclatione Beregiensem Comitatum latere innuit.

¹⁴⁾ Turótzii Chronicon addit: „ob memoriam victoriae, quam ibi, adiutorio Dei, obtinuerat.“ Laudatus Gabriel Nagy lib. cit. in rem hanc, veteris templi Kis-Várdaënsis Inscriptionem vulgavit: „Hoc Templum, Divi Petri Principis Apostolorum Honori, Post Amarissimae Caedis, Ad Bököny In Inclyto Comitatu Szabolcsiensi Habitae, Eotum Vicum, Gloriosissime Reportatam Victoriam, Divus Hungariae Rex, Sanctus Ladizlaus, Pientissime Posuit Anno Domini Millesimo, Octvagesimo Secundo. Quod Dein Piae Reminiscendae Viri, Petrus Quaestor, Et Paulus De Kis-Varda, Pene Regia Munificentia Auxere.“ — In anno error cubat litteris romanis olim forte exarato; indocta nempe manus pro IV. pinxit II.

Salomon cum strage reiectus, collectis iterum Cumanis, bellum in Bulgariam, et Graeciam transfert, adversoque Marte pugnans in fugam agitur, ac ex itinere, male acta defleturus, disparet, Polamque se recipit
Anno 1087.

At Rex Salomon cum latrunculis Cunorum invasit Bulgariam, et confinia Graeciae; ubi ab exercitu Imperato-

ris Graecie miserabiliter sunt percussi, e quibus valde pauci evaserunt. Rex ergo Salomon fugiens, evasit cum paucis, et facili cursu transivit Danubium; quia glaciatus erat. Cunque venisset ad quoddam nemus maximum, dixit suis, ut pro recreandis equis paululum pausarent; ipse vero, deposito scuto, fixit se confestim reversurum, et abiit in opacas partes silvarum, suis nichil tale opinantibus, absentavit se ab illis, nec unquam ultra comparuit. Fractus quippe tot adversis, visitatus est a Spiritu salutari; quia ex ipsis adversis non est effectus durior, nec contra iustissimam Dei veritatem ¹⁾ libero pugnans arbitrio: ²⁾ sed manum misericordie corripientis Dei sentiens, in recordatione commissorum ingemuit; et quantum iuste humanitatis arbitrium ³⁾ pensari potest, cum cordis contritione, et satisfactione de peccatis suis penituit. ⁴⁾ Vere felix necessitas, que compellit ad meliora. En nobile corpus Regis Salomonis regalibus deliciis educatum, iacet in pulvere et cinere fatigatum. Et qui prius pugnabat pro temporalibus, nunc solum intendit celestibus. Totum enim tempus vite sue, in peregrinatione, et oratione, in ieiuniis et vigiliis, in laboribus, et obsecrationibus consummavit. Visus est etiam semel in Hungaria tempore Regis Colomanni; sed statim delituit, nec unquam amplius comparuit. Migravit autem ex hoc seculo ad Dominum, et sepultus est Pole in Civitate Istriae. ⁵⁾ Uxor autem eius, et mater in Agmund requiescunt. ⁶⁾

¹⁾ Veritas, Iudicium.

²⁾ Liberum arbitrium, libera voluntas.

³⁾ Arbitrium, hoc loco iudicium.

⁴⁾ Xystus Schier in Reginis Hung. Vien. 1776. 4^o. p. 74—75. Bertholdi Constantiensis, Annalistae Saxonis, ac Engelhusii fide narrat, Salomonem in hac pugna occubuisse, eiusque viduam Iuditham non coece, sed postquam mariti obitus fide digne innotuisset; anno 1088. ad secundas nuptias cum Vladislao Poloniae Duce celebratas, transiisse. Diversa sunt haec ab illis, quae Pray in sua Dissertatione Posenii anno 1774. edita de Sancto Salomone habet. In Hungaria certe pro Sancto nunquam cultum fuisse, in Dissertationibus quoque, quas de Colomanno Rege inter Coelites haud relato, in an. 1834. Tudom. Gyűjt. Tom. IX. p. 3. nec non Tom. XI. p. 81. vulgaveram, sic satis me evicisse reor; Ec-

clesia enim Hungarica, praeter S. Stephanum, Emericumque eius filium, ac S. Ladislaum, qui in publicis etiam tabulis Sancti Tres Reges audiunt; neminem Regum nostrorum, seu Colomannum, seu vero Salomonem cultu, qui Sanctis tribui solet, prosecuta est. Confer Stephani Katona Hist. Crit. Tom. II. p. 499—527. Anna quoque Comnena Salomonis in hoc bello exerte meminit, victoriamque et ipsa Graecis adscribit.

⁵⁾ Poseniense Chronicon: „Post multos vero labores et pugnas, migravit ex hoc seculo ad Dominum, et sepultus est Pole, in civitate Ystrie.“ Quum Polonici Scriptores uno ore et consensu tradant, Salomonis viduam Wladislao Poloniae duci anno 1088. fuisse nuptam. Biographus quoque S. Ottonis Episcopi Bambergensis idem affirmet, dum eundem Sanctum harum nuptiarum conciliatorem extitisse pluribus, narrat; consequitur, Salomonem his nuptiis, quae sive, certitudine mortis eius, a Sanctis Viris conciliatae non fuissent, praemori debuisse. Si igitur de priore vita, ut domestici Annales volunt, rigidam apud Polenses in Istria poenitentiam egit, hanc non ultra 1088 annum continuare potuit.

⁶⁾ Omnis hic nostrorum error, quod Sophiam, Salomonis coniugem in Admontensi Parthenone sepultam, vel, ut Simon de Keza narrat, Virginum religiosarum nomen professam fuisse tradunt, inde repetendus est, quod eam cum Sophia, Belae II. Hungariae Regis filia, quae piam in hoc claustro vitam duxit, male confundant. Sophia certe Salomonis uxor, quae secundo marito anno 1102. e vivis sublato, praemortua est, hic sepeliri non potuit. Conf. Danielis Cornides Geneal. Regum Hung. p. 182—187. Eo loco habenda sunt etiam, quae noster de Anastasia, Sophiae socru in coenobio Admontensi mortua, et sepulta refert.

Mortuo Hermanno, quem Germaniae Proceres Henrico IV. opposuerant, S. Ladislao Imperii fasces offeruntur, quos deprecatus Anno 1088. vivere desiit, Anno 1095. Varadini sepultus.

At Rex Ladizlaus in anteriora se semper extendens, et de virtute in virtutem proficiscens, quasi virgula fumi ascendens ex aromatibus mirre et thuris, et universi pulveris pigmentarii; qui non solum in Hungariam: sed etiam in universa Regna Christianitatis respersit odorem svavitatis. Unde, mortuo Romanorum Imperatore, Duces, et Tetrarche Teutonicorum, cunctique Barones et optimates communiter et concorditer rogaverunt eum, ut susciperet imperium. ¹⁾ Quia vero ipse non sua, sed quae Iesu Christi sunt, querebat; illud divinum oraculum mente sedula

revolvebat : „Non transgrediaris terminos antiquos , quos posuerunt Patres tui.“ Regnavit autem decem et novem annis , et mensibus tribus. Migravit autem ad Dominum anno Domini millesimo nonagesimo quinto , quarto Kalendas Augusti , feria prima. 2) Cuius Sanctissimum Corpus in suo Monasterio Varadini devotissime veneratur. 3)

1) Bertholdo Constantiensi teste , S. Ladislaus ad comitia per Principes Germaniae celebrata Legatos misit ; veri ergo est simile , hac ei occasione , mortuo Hermanno Lotharingiae comite , quem Henrico IV. septem ab hinc annis opposuerant , Coronam Germaniae oblatam fuisse.

2) Zagrabiensis Ecclesiae Missale Venetiis 1511. impressum ad diem 30. Iulii „Depositio Sancti Ladislai.“ cum rubrica. Cum IV. Kal. Augusti Feria I. congruit anno 1095. quo S. Ladislaum obiisse , Sigebertus , Annalista Saxo , Hildesheimensis , et Conradus Urspergensis testantur. Haugen Lib. III. Cap. 52. „Stiess in ein sieber an — vnd starb seligklichen.“ Henricus Muglen eum delicias humani generis vocat , et his eum laudibus effert : „den tod des heiligen beweinten allerhant lewte , wan er ein gemaynes gut waz aller der wereld.“ — Codex Membr. MSC. Bibl. Regnicol. eius , ac Lamperti mortem ad an. 1097. retulit : „Ladizlaus rex obiit , et frater eius Lampertus Dux , quibus Colomannus , et frater eius Almus succedunt in regnum.“ ille nimirum in regno : hic vero in ducatu. Ceterum Septenarium numerum arabicum pro Quinario vesteres sumsisse , notum est.

3) Hoc loco describimus Hymnum , quem vetus Ecclesia Hungarica in honorem S. Ladislai canebat :

In festo beati Ladislai Regis Hungarie sequentia.

Nove laudis extollamus
Regem , cuius exultamus
Speciali gloria.
Dulcem mellis novi favum ,
Dulci regem Ladislaum
Canamus melodia.
Regis laudi nil discordet ,
Cuius laudem non remordet
Celestis symphonia.
Confessorem regem laudent ,
Per quem reges sibi gaudent
Vite dari munera.
Quem precamur laudantes singuli ,
Gemma regum totius seculi ,
Et spes salutifera.

O quam felix, quam preclara
 Varadini fulget ara
 Tuo clara nomine.
 Cuius regens secula
 Manus sine macula
 Lavit omni crimine.
 Scala gentis Hungarorum,
 Per quam scandit ad celorum
 Cathedram Pannonia.
 Fama cuius celo tendit,
 Et terrarum comprehendit
 Quatvor confinia.
 Per hunc vigent sacramenta,
 Et firmatur iam inventa
 Fidei Religio.
 Egros curans sanos fecit,
 Et salutis opem iecit
 Virtutis Officio.
 Exauditur in hac domo
 Quicquid orans petat homo
 Per regis suffragia.
 Per quem neque gladium,
 Nec incursus hostium
 Trepidat Hungaria.
 Hostis arte plebs arrepta
 Prece regis est adepta
 Salutis piacula.
 Per quem auctor fidei
 Cornu stillat olei
 Posteris per secula.
 Per hunc gentes universas
 Hungarorum iam conversas
 Novimus imperio.
 Procul ense parent per se
 Fere gentes et adverse
 Nutu voluntario.
 Ex obscuris sui iuris
 Iubar latens sed iam patens
 Reserat prodigia.
 Hostes cedit, victor redit,
 Barbarorum, Hungarorum
 Unus fugat, millia.
 Ipse suos contemptores
 Pene facit compendiores,
 Morbos sanat et languores
 Aufert et demonia.

Sed qui suam sanctitatem
 Colunt, his fert sanitatem,
 Et ad vite sospitatem
 Rex reducit omnia.
 Regum genus triumphale.
 Hungarorum salus vale!
 Non refulsit iubar tale
 Regum florens germine.
 Regum radix christiana,
 Laudet laudans fide sana
 Quos exaltat vox humana,
 Fit in tuo nomine.
 Assistentes regis laudi
 Coronator regis audi,
 Atque servos Sancti Regis
 Post hanc vitam sui gregis
 Transfer ad palatia.
 Cuius laudi vis servire,
 Nos fac letos consentire,
 Fac ad ipsum pervenire,
 Ubi confer et largire
 Sempiterna gaudia. Amen.

E Zagrabienſis Eccleſiae Miſſali Venetiis an. 1511. impreſſo, bi-
 bliothecae V. Capituli M. Eccl. Strigoniienſis quod Ill. ac R. R.
 D. Antonius Ocskay de Eadem Elect. Episc. Bacenſis mecum
 communicavit.

In Cathedrali Eccleſia Varadinenſi ſepultus fuit, quemadmodum
 Capituli huius Statuta, poſt an. 1370. conſcripta docent. LL. Eccl.
 Tom. III. p. 250. et non in Minore Eccleſia B. V. iuxta portum;
 quam cum Capitulo Praiuſ, et poſt illum RR. D. Georgiuſ Fejér
 in Diſſertationibus in Reſ Hung. veteris, Monasterium illud eſſe
 affirmant, quod Turótzuiſ in Parochia, ſeu Comitatu Caſtri Bihor
 in honorem Virginis Mariae ab Ladislao conſtructum teſtatur. Nam
 in Statutis p. 245. Praepoſiturae Eccleſiae Minoris fundator Cha-
 nadinuſ Archi-Epiſcopuſ Strigoniienſis eſſe perhibetur; ut qui, vo-
 lentibus Epiſcopo atque Capitulo Varadinenſi, Eccleſiam B. V.
 Minorem iuxta Portum, in Collegiatam erexerit, inſtituens in ea
 Praepoſituſ, et ſex Canonicos. — Poſtquam Varadinuſ anno
 1556. in Iſabellae, Ioannis Zápolya viduae, poteſtatem conceſſit,
 Thomaa Varkoch urbiiſ praefectuſ, et ſiccariuſ Templorum Dei,
 Baſilicam quoque Dei Genitriciſ, in qua S. Ladislai exuviae cole-
 bantur, barbaramente dirui: Ioanneſ Sigismunduſ Zápolya vero, in re-
 buſ fidei omni vertumno volubilior, etiam Divi Ladislai Sepulchruſ
 22. Iunii 1565. impie violari iuſſit. Conf. Praii Diſſert. de S. La-
 diſlao, ac Eiuſ Biographiae per me editae P. II.

Quia RR. D. Georgius Fejér Praepositus, et Consiliarius Regius in citatis Dissertationibus p. 131. et sequ. ortum Cathedralis Ecclesiae Varadinensis, quem S. Ladislao vindicavi, Divo Proto Regi tribuit; rationes, quibus contra me pugnât, et S. Stephanum, praeter Strigoniensem Metropolim, decem Episcopatus erexisse statuit, hoc loco resumendi necessitatem mihi imposuit. *Primo*, eoque praecipuo argumento, Hartvici testimonio utitur, qui in Vita S. Stephani per me typis vulgata, de Episcopatibus in haec verba Scribit: „Post hec (devicto Koppán Simegiensi Duce) provincias in decem partitus episcopatus, strigoniensem, metropolim et magistram — ceterarum ecclesiarum fore instituit — Quarto post patris obitum anno — asericum presulem — ad limina sanctorum apostolorum misit, ut — novelle christianitati exorte in partibus pannonie, largam benedictionem porrigeret, strigoniensem ecclesiam in metropolim sue subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret.“ — Testem decem episcopatum, praeter Strigoniensem Metropolim, a Proto Rege fundatorum adpellat etiam S. Gerardi Biographum, qui in editione Batthyanyiana p. 325. Divum Stephanum de duodecim Episcopatibus disserentem inducit. Ac denique cum Praio ad Synodum quoque sub Colomanno Rege an. 1111. Strigonii celebratam provocat, quae Laurentium Metropolitam — cum decem sufraganeis memorat.

Verum Hartvicus, quem S. Stephani Vitam e publicis Actis excerptis monui, primum de decem Episcopatibus loquitur, ac postmodum subiungit, Strigoniensem fore omnium metropolim ac magistram: adeoque etiam hanc decenario numero includit; quia de illa nihil praemiserat. Nam, si illam a decem reliquis, distinxisset, S. Stephanum provincias non in decem, verum in undecim Episcopatus divisisse scripsisset. RR. D. Adversarii proin argumentum p. 145. ex Stephani Katona Hist. ducum repetitum, nihil demonstrat. Hartvici testimonio S. Stephanus condiderit A.-Episcopatum Strigoniensem, praeterea Episcopatus Agriensem, Bachiensem, Colocensem, Csanadiensem, Iaurinensem, Quinque-Ecclesiensem, Transsilvaniensem, Beszprimiensem, et Nitriensem, primum circa an. 824. ut ex epistola Eugenii II. Pontificis eo anno exarata constat, ab Urolpho Laureacensi Praesule erectum (Salagi de Stat. Eccl. Pannon. Lib. III. et IV.) anno 880. iterum instauratum; sed initio seculi X. per maiores nostros extinctum, ut Luitprandus Lib. II. Cap. I. affirmat, testimonioque Constantini Porphyrogenitae de Administr. Imp. Cap. XXX. luculentum est; ac per S. Stephanum iam secundum restitutum. Non est enim veri simile, ut maxima hodiernae Moraviae pars, nec non omnis ille tractus, quem Cetius mons, et Hungariae limites includunt, Comitatus praeterea Posoniensis, Nitriensis, Trenchiniensis, Arvensis, Turótzensis Liptoviensis, Scepusiensis, Gömöriensis, Toró-

tzinensis, Neogradiensis, Hontensis, Zoliensis, Barsiensis, Strigoniensis; pars item Comitatus Iaurinensis, atque Comaromiensis, soli Metropolitae paruisent. Verum Nitriensis Episcopatus post annum 1026. praepropere interciderit, postea nempe, quam S. Stephanus maximam hodiernae Moraviae partem, quae ad Hungariam pertinebat, amisisset; ut Bratislai Moraviae Ducis tabulae circa annum 1030. editae innuunt, quibus desolatae ecclesiae Olomucensis dotem restituit: „Ego Brachizlaus — considerans — omnia, que victorioso et feliciter geruntur, — evenire per Deum — idcirca profigationem ungarorum de terra nostra moravia, ipsius tantum auxiliante brachio factam esse, ingenuo profiteor. Illacrimavi sane — quando videbam loca illa sacra, ubi cepit christianitas, per eos ungaros, tum paganos devastata et diruta atque in ruderibus dissipata iacere. et ecclesias in illis partibus terre nostre omnes ad unum spoliatas et profanatas existere — Hinc est, quod ego Brachizlaus Dux Moraviensis etiam ecclesie sancti Petri in Olmuci, et capelle, que est in honore b. clementis constructa, ibidem, eam dotis sue restitui fecimus portionem, quam ipsi ex collatione antiquorum huius terre principum concessam esse, scripto et oretenus veraciter didicimus, videlicet circuitum in conterminio ungarorum iuxta fluvium Morova, ubi fluvius, qui Tye nuncupatur, in eandem profluit, cum loco Tyn a cultoribus plane deserto.“ Vid. Antonii Boczek Diplomatarium Moraviense Tom. I. p. 112. 113. — Nitriensis ergo Episcopatus reapse intercudit; qui tamen postea, quam S. Ladislaus Rex partem cis Moravam amnem sitam, teste Ludovico I. apud Prai Diatrib. p. 34. recuperasset, mox instauratus fuit, ut e Colomani Regis charta anno 1113. Abbatiae S. Ipoliti de Zobor data, ac in memoria Episcopatus Nitriensis p. 111. — 114. e Transumpto originali vulgata discimus; in qua iam villa Episcopalis Gan, hodie Gány trans Vagum in Poseniensi Comitatu sita, aparte memoratur. In Libro autem Privilegiorum Archi Abbatiae S. Martini O. S. B. de Sacro Monte Pannoniae p. 23, quemadmodum informor; iam ad annum 1110. Gervasius Nitriensis Episcopus occurrit. Instauratio forte post annum 1098. contingerit, quo Colomannus Rex cum Bratislao Duce foedus renovasse apud Cosmam Pragensem legitur. Profecto, ni haec ita evenissent, non video rationem, cur Nitriensis Episcopatus sola Trenchiniensi Provincia, et non maxima parte Comitatus Nitriensis descriptus, Colomanni Regis pietate fuisset e Strigoniensi Dioecesi excisus, et Collegiata Ecclesia in Cathedrali conversa? Ut ut vehementer dubito, an etiam Capitulum, intercidente Episcopatu, postea quoque floruerit. Editor enim L. L. Eccl. Tom. II. p. 201. nec non Ioannes Christianus Engel Geschichte des Ungr. Reichs. edit prim. Tom. I. p. 209. dudum monuerunt, Caput XXII. Lib. I. Decretor. Colomanni Regis ita esse legendum „Iudicium

ferri et aque, in aliqua ecclesia fieri interdiximus, nisi in sede Episcopali (Ecclesia Cathedrali) et Maioribus Praepositis, (Collegiatis Ecclesiis) nec non Posonii, et Nitrie.“ Haec propterea memoro, ut ostendam, Nitriensem Praeposituram in Episcopum haud migrasse; cum enim textus Legis restitutus, Cathedralis, a Collegiatis Ecclesiis clare distinguat, necessaria consecutione infero, Posonii, atque Nitrie eorum Capitula omnino non fuisse; nam si extitissent, illa quoque Maioribus Praepositis adnumerasset: quia teste Glossario, eiusmodi Canonorum Collegia, quibus Praepositi praefuerant, praepositurae nuncupabantur. Sententiae huic vellificatur Geyssae II. quoque Regis diploma an. 1158. editum, quo Ecclesiae Nitriensi possessiones, ac libertates contulit, Ecclesiamque Nitriensem adhuc Praeposito carere perhibet. Cod. Dipl. Tom. II. p. 152 — 153. — Caeterum quo tempore pars illa, quae inter Moravam omnem, atque Hungariae limites protenditur, amissa fuerit, incompertum habeo.

Nec illa RR. D. Adversarii opinio sustineri potest, Praeposituralem Ecclesiam Nitriensem Episcopatu Olmucensi Moravico, Pontificia, atque Henrici III. Imp. anni 1086. constitutione obnoxiam fuisse. Nam Olmucensis Episcopatus, quemadmodum Antonius Boczek laudati operis p. XIII. et 138. fide diplomatum docet, primum an. 1063. conditus fuit. Et si haec opinio subsisteret, eadem prorsus consecutione inferre possem, quod etiam Sabaria, Quinque Ecclesiae, Eszekinum, ceteraeque in Pannonia civitates saeculo adhuc XII ad Salisburgensem Dioecesim pertinuerint; quia Philippus Dux Sveviae, et Romanorum Rex anno 1199. eas pariter huic Ecclesiae donavit (Koller Proleg. in Hist. Episc. V. Eccl. p. 43 — 44.) Si proin ante an. 1063. ora, et Ecclesia Nitriensis, Olmucensis Episcopo non suberat; eo minus post an. 1063. ei ancillari potuit.

S. Gerardi autem Biographum de duodecim Episcopatibus disserentem non moror, quum haec S. Regis intentio in effectum non abierit, Nec Strigoniensis synodus in testem vocari potest; laudatus enim L. L. Eccl. editor Tom. II. p. 120. hanc synodum non Laurentio praesidente, verum sub Seraphino A. Episcopo celebratam fuisse, innuit, subiungitque Manuscriptum Caesariae Bibliothecae, ex quo Péterffy primam synodi huius in Conciliis suis editionem fecit; loco Initii, quod Sancti Spiritus invocationem continet, sequentia referre: „Incipiunt Capitula de synodalibus decretis Laurentii Strigoniensis Metropolitanus, et decem suffraganeorum suorum.“ — Haec igitur recentior manus adiecerit, suae probandi vi carent. Praeterea III. ac RR. D. Antonius Ocskay de Eadem El. Episc. Bacensis in Appendice Antiquit. Hung. quas Aca-dem. Hung. edit, Tom. I. p. LXXV. diserte docet, Canones Cordici missali posoniensi insertos e duabus, diversis temporibus cele-

bratis synodis coaluisse, nec satis constare, utrum sub Seraphino, aut Laurentio Archi Episcopis habitae fuerint.

Ad illam denique objectionem, quod Turótzius Chron. P. H. Cap. XLIX. ad an. 1070. adeoque adhuc ante Divi Ladislai reginem Episcopum Varadinensem memoret, iam p. 105 — 106. respondi, fideque tabularum per RR. D. Adversarium in lucem prolatarum docui, Hungariae Duces etiam Episcopos nominandi iure gavisos fuisse. Id quod non est etiam sine recentiori exemplo; Pray Hierarch. P. I. p. 364. memoriae prodidit, Matthiam I. Regem, Ius Patronatus in Nitriensem Episcopatum, in Michaälem Ország de Gúth, quoad viveret, transtulisse, ut defuncto Nitriensi Episcopo, quem vellet, subrogare, pro arbitrato suo, posset. Duces autem Hungariae, suo Marte, ex eminenti, qua pollebant, dignitate, ius hoc exercuisse, diplomata testantur. S. Ladislaus proinde Episcopatum Varadinensem in Ducatu suo etiam ante aditum ter felix regimen, omnino erigere potuit. Illud quoque RR. D. Adversarii assertum, p. 164. obmotum: quod Varadinensis Capituli Privilegia a Geysa I. et S. Ladislao confirmata, non autem concessa fuerint; erroneum est: nam Statutorum Compiler L. L. Eccl. Tom. III. p. 222. de Geysa II. et Ladislao III. qui a Cunis cognomen accepit, loquitur; per eos enim Henrici Regis anni 1203. Privilegium, quod p. 219. praemiserat, rati habitum fuisse scribit; prout legenti prima statim fronte patebit.

Praetereo minutiores post Praium, atque Katonaium iteratas rationes. Nec in Pelbarto nimium adhaereo, qui S. Ladislaum duo episcopalia monasteria, Varadinense scilicet, et Albense construxisse refert; quia typi errore, aut certe librariorum oscitantia Albense, pro Zagrabiense irrepsit: estque longe recentioris aevi, quippe saeculi XV. ac XVI. scriptor, quam ut in silentio documentorum, ad quae non provocat, idoneum hac in re testem agere posset. In an. 1497. edit. de S. Stephano: „Regnum hungariae in decem, partes dividens, et in illis episcopatus decem instituens, strigoniensem ecclesiam metropolim omnium prefecit; quibus demum episcopatibus alios duos rex Ladislaus Sanctus, cum fratre suo Geysa superaddidit.“ Illud duntaxat RR. D. Adversarii argumentum convellam, quo p. 177. Praeposituram Minorem B. M. V. Varadinensem, quae testantibus Capituli Varadinensis anni 1375. Statutis, per Chanadinum A. Episcopum Strigoniensem intra annos 1331 — 1351. erecta fuit, iam anno 1321. extitisse, et ad annum 1321. in Rationibus Decimae Pontificiae occurrere, mihi perperam obvertit. Pray enim Diatrib. p. 232. Rationes Decimae Pontificiae Sexemalis, quae ad eius peculium spectabant, hanc Inscriptionem p. 39. habere innuit: „Incipiunt Rationes Decimae Sexennalis collectae in Hungaria ab anno 1332. ad annum 1337. a Jacobo Berengarii, et Raimundo Bonofato Collecteribus Pontificiis.“ — Illos

annos referre, in Dissertatione quoque de Sacra Dextera Divi Stephani p. 27. testatur. Has Rationes RR. Opponens male cum anni 1317. Rationibus, sub Ioanne XXII. Pontifice per Rufinum de Civinio redditus, et Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 101 — 137. vulgaris confundit. Auctor itaque Statutorum Capituli Varadinensis falsi non revincitur; Praium autem Statutorum inscium, merito erroris argui, et non insimulavi. Nec errores in vetustioribus rebus commissi Statutorum Compilatoris fidei derogant; nam etiamsi cetera omnia ignorasset, Fundatores tamen suos Capitulum saeculo adhuc XIV. scire potuit; imo p. 218. fontes quoque, quos Compiler sectatus est, indicat; eique etiam Ludovicus Rex in anni 1355. donatione Demetrio Varadinensi Episcopo facta, testimonium perhibet inquit: „ob devotionem, quam ad Beatissimum Regem Ladislaum progenitorem nostrum, cuius Ecclesiae idem praees Episcopus; et in qua ipsius Sacrae Reliquiae requiescunt, gerimus specialem.“ — Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 399. Cum ergo Varadinensis Capituli Statuta non modo domesticis Annalibus, verum etiam Diplomatibus, quae S. Ladislaum Episcopatus Varadinensis fundatorem esse perhibent, conformia narrent; eorum fide deinceps quoque standum existimo, nec habeo, quid hac in re, in Vita S. Ladislai, veri unice intentus studio, et non disputandi libidine ductus, retractem.

De Coronatione Regis Colomanni, filii Regis Geyse Primi, qui fuit filius Regis Bele Primi.

*Succedit Colomannus S. Ladislai ex fratre nepos
Anno 1095.*

Post ipsum autem regnavit Colomannus, filius Regis Geyse. Ipse enim Belam, filium Almus Ducis, filii Lamperti Ducis, ¹⁾ filii Bele Regis dicti Benin, adhuc infantem, de quorundam consilio, extractum de matris gremio, excecavit. Sed quia sibi consanguinitate attinebat, ²⁾ ideo ipsum non interfecit; sed privavit lumine, ut non sit dignus portare Coronam Sancti Regis. ³⁾ Iste Colomannus Episcopus fuit Varadiensis; ⁴⁾ sed quia fratres, quos habebat, morte sunt praeventi; ⁵⁾ ideo Summo Pontifice cum eo dispensante, ⁶⁾ regnare compellitur; qui ab Hungaris Kunves Calman appellatur eo, quod libros habebat, in quibus Horas Canonicas, ⁷⁾ ut Episcopus, persolvebat.

1) Apud Turótium in edit. Brunensi an. 1488. in Iemmate Capituli LXIV. Almus aequae filius Lamberti dicitur; editio tamen Schwandtneriana, Lamberto Geysam substituit. At Codex MSC. Turótianus, cuius Lucius de Regn. Dalm. et Croat. Lib. III. Cap. VIII. mentionem facit, Almus pariter Lamberti filium nominat. His similibusque argumentis Daniel Cornides in Geneal. R. H. magno olim conatu evincere nitebatur; Almus revera nec Geysae I. filium, nec Colomanni fratrem fuisse; totus enim in id incubuit, ut Colomannum S. Ladislao vindicaret. Plures nactus est opinionum suarum fautores; sed postquam fide diplomatum pro certo constat, Colomannum, Geysam patrem habuisse, rationes eius hodie sustineri amplius non possunt. Chronicon certe in Cod. MSC. membr. Bibl. Regnicol. exaratum, quod iam suo loco citavi, Almus pro Colomanni germano habet. Chronicon M. Varadinense L. L. Eccl. Tom. III. p. 221. de Geysa I. Rege: „habuit duos filios, primus fuit Dux Colomannus, postea Rex: secundus fuit Dux Almus, pater Regis Belae secundi.“ itidem Chronicon apud Kovachich SS. Rer Hung. min. Tom. I. p. 4: „Colomanus filius Regis Geysae primi.“ Turótius, qui Chronicon suum ex variis Bibliothecae Budensis antiquis, et recentioribus Codicibus consarcinavit, P. II. Cap. LIX. S. Ladislauum in Bohemia belligerantem, fratres suos, nempe filios Geysae, Colomannum, et Almus, in sua comitiva habuisse testatur, scribitque, moriturum S. Ladislauum sanxisse quidem, ut se in regimine Almus exciperet, hunc tamen coronam regni, cum ius successionis, ex nascendi ordine, ad seniorum fratrem attinuerit, ultro Colomanno cessione. Bonfinius Decad. II. Lib. V. non absimiliter, illum Colomanni fratrem, Libro autem VI. Stephani II. patrum appellat. In publico etiam eius temporis monumento, quod Lucius Lib. et Cap. citatis produxit, Almus S. Ladislai nepos dicitur. Ranzanus quoque Ind. XII. eum Geysae filium statuit. Horum testimonia etiam exteri scriptores confirmant. Sane synchronus Cosmas Pragensis „Hic enim Almus, inquit, a fratre suo Colomanno coecatus.“ et ad an. 1117. „Utinam hoc audiret Colomannus Rex Pannonicus, si viveret, qui metuens, ne germanus suus Almus post eum regnaret, ipsum, et filium eius mentula privavit et lumine.“ — Biographus perinde S. Ottonis Episcopi Bambergensis hoc idem perhibet: „Otto episcopus oeconomum mittit ad regem Hunnorum, illum beatae memoriae Belam, qui a patruo suo, Colomanno rege, cum patre suo Almo duce, in diebus adolescentiae luminibus privatus, postea in regnum sublimatus est.“ Act. SS. mensis Iulii. Tom. I. Rikardus denique coaevus, Newburgensis de S. Leopoldo dictus ad an. 1108. „Henricum V. regem comitatus est Lewpoldus ad fines Ungarorum cum militibus suis, sed non pugnatum; quia Colomannus rex fratri suo Almo, metu Imperatoris conciliatus est.“ — Atque sic Almus omnino Colomanni germanus erat, ut etiam noster in

Historia Salomonis aperte scribit. De Lamberti autem coniugio, quod sciam, nullum apud priscos Auctores vestigium extat; sunt quidem, qui existiment Synadenen in matrimonio habuisse: sed veri est similis Geysae coniugem fuisse, quemadmodum in eius Historia innui; ipsam adeo benevolentiae significationem, qua Iohannes Comnenus Almuu, Stephani II. odiis exagitatum suscepit, non tam Ireni S. Ladislai filiae, Imperatoris uxori, quam Synadenae matri, post Geysae mortem Bizantium reversae tribuo.

2) Sanguis aevi medii scriptoribus: origo, genus, stirps; Consanguinitas igitur hoc loco eandem originem significaverit.

3) Regiam clare distinguit a Ducali corona; nam, ut Codex MSC. membr. Bibl. Regnicol. ad an. 1097. habet, non Reges modo, verum etiam Duces inaugurabantur: „Colomannus rex coronatur, et frater eius Almu diadema (sic) induitur.“

4) Hoc idem Turótzi quoque Chronicon perhibet, nec difficulter fidem nobis facient, modo adiuncta librentur; nam post S. Ladislaum iunior eius frater Lambertus re natus erat, nisi eodem, quo S. Ladislaus, anno praemortuus fuisset; ut paulo ante memini. Hinc iam id quoque luculentum est, cur S. Ladislaus Hungaris prae Colomanno Almu commendaverit, qui ei, dubio procul, etiam successisset, ni Colomannum Summus Pontifex, quemadmodum Benedictus IX. an. 1041. Casimirum, Poloniae Regem antea Clumacensem monachum, a votis absolvit, dispensasset.

5) Frater illius aevi loquendi modo saepissime nomen est consanguinitatis, vel propinguitatis; eius itaque patruī S. Ladislaus, et Lambertus Colomanni fratres fuere.

6) Erat is Urbanus II. qui in litteris an. 1096, ad Colomannum datis „Retulit nobis, inquit, venerabilis filius noster Odilo S. Egidii Abbas, strenuitatem tuam, praeter secularem, qua precellis industriam; scripturis etiam ecclesiasticis eruditam, et quod potissimum iudiciariam concedet potestatem, sanctorum Canonum pollere scientia.“ Cod. Dipl. Tom. II. p. 13. RR. D. Editor Pontificiis litteris hanc subiunxit notam: „E litteris Pontificiis colligere licet, Colomannum Geysae filium, scientiis, iuribusque instructum, a S. Ladislao, dum spe masculae sobolis aleretur, ad infulam Agriensem destinari potuisse, quod Chronicon Turótzi insinuat P. II. Cap. LIX. nequitiam autem Episcopum Varadinensem effectum, ac dispensante Summo Pontifice regnare compulsum fuisse; quod quibusdam videbatur; secus enim ipsum scientiis canonicis instructum, regnantemque Urbanus Papa non testimonio Odilonis Abbatis comperisset; ordinisque gesti mentionem erat certe iniecturus.“ Verum dispensatio, Urbani litteras IV. Kal. Augusti 1096. adeoque post unum annum exaratas, praecessit; illius ergo mentionem facere superfluum fuisset; electionem tamen eius, ex Odilone omnino comperire putuit: quia Pontifici non constabat,

quod dispensatum, Hungari pro certo Regem electuri essent. Immo vero, Canonum quoque scientia probat, illum reapse Episcopum fuisse; id quod *nemo inficiabitur*, qui novit, in quanta litterarum omnium ignoratione civilis ordinis homines ea fuerint tempestate versati. In Hungaria profecto adhuc saeculo XIV. vernacula, lingua laica appellabatur. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 613.

7) Horae Canonicae, Officia diurna, quae in Ecclesiis sacri Ordinis viri psallendo exequentur; sic dicta, quia certis horis recitari debent iuxta Canones, et Regulas SS. Patrum.

Dalmatiam Regno adiicit Anno 1096.

Iste Dalmacie Regnum, occiso suo Rege, Petro nominato, in mortibus Peter-Gazia, ¹⁾ Hungarie adiunxit. ²⁾ Galeas ³⁾ quoque Venetorum, et naves solidans, ⁴⁾ et allocans ⁵⁾ pecunia maxima, exercitum copiosum in Apuliam destinavit. Qui Apulia spoliata, per tres menses in ea permansit; ubi etiam milites exercitus Monopolim, et Brundisium expugnantes, Venetis ad tenendum, pro utilitate Regis Colomanni, reliquerunt; ⁶⁾ ipsi autem in Hungariam abinde sunt reversi. Que quidem civitates per galiotas ⁷⁾ Pisanorum, missos per Cesarem, expulsis Venetis, sunt rehabite.

¹⁾ Andreas quoque Dandulus in Chronico Veneto de rebus Vitalis Michaelis tradit, Petrum Dalmatiae Regem anno 1096. fuisse profligatum atque caesum; qui tractui Peter Gozdiae cognomen primus fecit. Hunc tractum Anonymus B. R. N. Cap. XLIII. Petur Goz, Simon autem de Keza, Montes Gozd appellat, ad Gvozdanszko in Banali I. Regimine hodieque sic dictum locum sitos. Conf. Kerschelichii Notit. Praelim. Regnor. Dalm. Croat. et Slav. p. 136.

²⁾ Colomannus extincta Petri tyrannide, Croatiam mediterraneam a patruo S. Ladislao subactam, Hungarico iuri rursum asseruit.

³⁾ Galea, genus navigii velocissimi; longae item rostratae, et liburnae naves.

⁴⁾ Solidare, Stipendium praebere.

⁵⁾ Allocare, conducere.

⁶⁾ Haec Dandulus totidem verbis narrat.

⁷⁾ Galiotae, Remiges galearum, vel galiotarum.

Moritur Anno 1114.

Regnavit autem Rex Colomannus annis decem et octo, mensibus sex, et diebus quinque. ¹⁾ Migravit ex hoc seculo Anno Domini millesimo centesimo decimo quarto, tercio nonas Februarii, feria tertia, ²⁾ cuius corpus Albe quiescit. ³⁾

¹⁾ Quot a 29. Iulii 1095, quo S. Ladislans vitam clausit, ad diem usque 3. Februarii 1114. quo Colomannus ipse obiit, defluerunt.

²⁾ Quum anno 1114. littera Dominicalis fuerit D. tertia Februarii cum tertia feria omnino concurrat.

³⁾ Haugen Lib. IV. Cap. 53. „ward — von den trefflichsten Fürsten vnd herren, so sich Iherusalem vnd das gelobt landt wider zu gewinnen verpunden hetten, zu einen Obristen hauptmann, wie sich dann vormals sein vetter der selig Ladislaus bewilligt hat, auch pitlich angesucht, vnd vor ihn allen darzu begeret. Das schlug nicht allein ab, sonder verbot in auch den durchzug durch das land zu Ungern, vnd verordnet volck auff die grenitz, die in die pass vnd weg verhalten, und nicht passiren lassen sollten. Aber die Christlichen Ritter wollten in das nit weeren lassen, schlugen die Vngern hinweg, vnd namen den weg, wie sie beschlossen hatten, mit gewalt durch das Vngerlandt.“ Post S. Stephanum secundus Hungariae Rex, qui Albae Regiae tumulum invenit, Turótzius, et et post hunc nonnulli Patriae scriptores adeo tetrus eum coloribus pepingunt, ut nullum fere corporis, animique vitium sit, quod illi non affligant. Atrocissima tamen convicia saeculi XIV. fectus et commentum esse videntur; nam Albericus Decretorum eius compilator, columbinae gratia simplicitatis, cum omni virtutum discretionem praeditum (Corp. Iuris Hung. edit an. 1822. Tom. I. p. 139) Godefridus vero Abbas Zoboriensis in citatis anni 1113. tabulis, eum inaeestimabilis temporalis, et aeternae gloriae sanctitatis gratia perfusum fuisse testantur; iis ergo vitiiis, quibus vulgo notatus, deditus non fuerit. Immo, si crudelitatem, consilio malevalorum in Almu fratrem, ac Belam nepotem demas, laude quoque dignissimus, Regnoque tam legibus rogatis, quam finibus prolati, utilissimus. Postquam Regnum adeptus est, Busillam, Rogerii Siciliae Comitis filiam sibi coniugem adscivit (Gaufred. Mala terra Lib. XV. Cap. 25) ex qua Stephanum successorem, et secundum huius nominis Hungariae Regem suscepit. Chron. M. Vadarinense „hic habuit filium Stephanum Ducem, qui ei successit in Regno.“ Et Chronicon apud Kovachich SS. Rer. Hung. min. Tom. I. p. 4: „genuit duos filios, scilicet Ladislaum, et Step-

num.“ Ladislaus natu maior Turótzio P. II. Cap. LX. memoratus vivere desiit an. 1112. ut sequenti Capite his verbis innuit: „Anno Domini MCXII. N. filius Regis Colomanni mortuus est.“ Secundis nuptiis, ut Nestor perhibet, anno 1104. 11. Augusti illigatus, duxit Predslawam, Swatopolki magni Russiae Principis filiam; quam tamen ob Borichium, seu Bartholomaeum ex adulterio sublatum, repudiavit.

Mortuo Rege Colomanno, Stephanus Secundus filius eius in Regem consecratur.

Stephanus II. Rex coepit 1114. desiit 1131.

Cui successit Stephanus filius eius. Qui regnavit annis decem et octo, et mensibus quinque. Migravit autem ad Dominum Anno Domini millesimo centesimo tricesimo primo. Cuius corpus Varadini quiescit. ¹⁾

¹⁾ In coenobio Praemonstratensium, quos primus Hungariae induxit, in colle supra Varadinum circa an. 1130. condito. Pelbartus serm. I. de laudibus S. Stephani, hanc Praeposituram honoribus S. Stephani Protomartyris excitatam, a Divo Stephano erectam fuisse perhibet; cui Uladislai II. quoque Regis an. 1494. diploma per Keresztarium in Descript. Episcop. et Capit. Varad. P. I. p. 251. favere videtur. Verum Pelbartus errorem ex Uladislai II. charta hauserit, inde repetendum, quod Stephanus Secundus ordinalem numerum, quotus nam huius nominis Rex esset, in tabulis haud expresserit. Vetustiora sane diplomata hac de re altum tacent; nec credibile est, Stephanum II. collegiatam Ecclesiam neo recepti Ordinis gratia dissolvere; ille proin, et non S. Stephanus pro primo fundatore censendus est. Coniugem ei Regni Optimates anno 1121. dedere Adelhaidem, Henrici Landgravii Stelphensis, et Burggravii Ratisbonensis filiam, Leopoldi Ducis Austriae, ex Sorore Richerda neptim. Schier Regin. Hung. p. 100. quae tamen ab illo improlis abiit. Conf. Ioannis Haugen Chron. Lib. IV. Cap. 56.



**De Coronatione Secundi Bele Ceci, filii Almus
Ducis, filii Lamperti Ducis, qui fuit filius
Regis Bele Primi.**

*Bela II. coecus autem regnat ab Anno 1131.
ad Annum 1141.*

Post ipsum vero regnavit Bela Cecus. Impletum est in ipso illud propheticum: „Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cecos.“ Et iterum „Inite consilium, et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet.“ Crevit autem puer cecus regnante Stephano, filio Regis Colomanni, ¹⁾ et mortuo ipso, coronatur quarto Kalendas Maii, feria tertia. Et genuit quatuor filios, scilicet: Geysam, Ladizlaum, Stephanum, et Almus. ²⁾

¹⁾ In Pétsváradiensi coenobio, id ex diplomate Geysae II. an. 1158. patet, ubi de Bela haec: „qui ad monasterium beati confugit Benedicti, ibique ab Abbate — honorifice susceptus, et — rebus de ecclesiasticis — tentus in honore, victui vestituque quam sibi ipsi, quam suis omnibus necessaria ministrando.“ Cod. Dipl. Tom. II. p. 147—151.

²⁾ Ex Helena, Urosii, Serviae Principis filia; lege de illa an. 1138. diploma in Cod. Dipl. Tom. II. p. 94. 108. item Chron. M. Varadiense: „hic habuit filios quatuor, Ducem scilicet Geysam, tandem Regem; Ducem Ladislaum, et Ducem Stephanum, et Almus,“ hoc connubio non solum regiae propagini, sed regno etiam consultum fuit, quod ex parte orientis, novum in Servia, ad versus Graecorum progressiones, tutamentum obtinuit.

*Cuius uxor Helena vindictam spirans, in eos, qui Belam
excoecarunt, animadversura, Aradium Comitum cogit
Anno 1136.*

Quo regnante, Regina, habito consilio Regis, et Baronum fidelium, fecit congregationem generalem in Regno iuxta Arad. Illa igitur die, dicte congregationis, dum Rex sedisset super solium Regni sui, venit Regina cum filiis suis, et sedit circa Regem. Dixit autem ad populum universum: „Omnes fideles, nobiles, senes, et iuvenes, divites, ac pauperes audite: Cum unicuique vestrum Deus

visionem dederit naturalem, volo audire: Cur Dominus vester Rex, suis oculis sit privatus? et quorum consilio hoc sit actum? modo michi propulate, et eos fideliter in hoc loco vindicantes, nobis de ipsis finem date. ¹⁾ Ecce enim Deus Regi vestro per duobus oculis, dedit quatuor.“ ²⁾ Facta igitur hac voce, irruit omnis populus super illos Barones, quorum consilio Rex fuerat obcecatus, et quosdam ex ipsis ligaverunt, quosdam vero detruncaverunt. Sexaginta autem et octo prophanos ³⁾ ibidem crudeliter occiderunt; et omnes successores eorum, tam viri, quam mulieres, ⁴⁾ eodem die sunt registrati. ⁵⁾ Insuper omnis illorum possessio Ecclesiis Cathedralibus est divisa, ⁶⁾ et sic omnes ville conditionales, ⁷⁾ donationes Regum nominantur.

¹⁾ „Eos fideliter in hoc loco vindicantes, nobis de ipsis finem date.“ i. e. meritis poenas exigite, et litem componite; finem enim facere, vel dare, significat peremptorie litibus finem imponere. Gloss.

²⁾ Turótzi Chron. P. II. Cap. LXIV. „Ecce enim Deus Regi vestro pro duobus oculis dedit filios quatuor,“ propterea aliqui comitia haec ad an. 1136. retrudunt. Sed ipsa res poscebat, ut in ipso Regni aditu conventus, pro more recepto, haberetur; quo tempore Helena, Geysam, et Ladizlaum filios, qui per quatuor oculos intelliguntur, iam peperisse potuit; Haugen enim Chron. Lib. IV. Cap. 56. Belam adhuc Stephano vivente duxisse, ac Geysam filium suscepisse testatur. Bela ex filiis, Almo iam ante extincto, superstites reliquit Geysam, Ladislaum, et Stephanum: filias item Sophiam, Henrico, Conradi Imperatoris filio desponsam, quo tamen an 1150. praemortuo, sponsa reliquam vitam in monasterio Admonatensi traduxit: et Gertrudem Miceslao Poloniae Duci postea collocatam.

³⁾ Prophanus, reus, violator.

⁴⁾ „Omnes successores tam viri, quam mulieres,“ i. e. utriusque sexus successores.

⁵⁾ Registrare, in acta referre, scilicet tanquam infamatos.

⁶⁾ Nempe ob crimen laesae Maiestatis bonorum quoque omnium iacturam fecerunt.

⁷⁾ Conditio, obnoxio; hinc Conditionarii, vel Conditionales appellati fuerunt captivi ea conditione manumissi, ut Dominis pro donata libertate servitia exercere tenerentur. Conf. Simonis de Keza Appendicem, ubi cetera inter: „Factum est, quod cum Hungari, possessa Pannonia, Christianos, et Paganos, more gen-

tium, quosdam captivos occiderent resistentes; aliquos ex captivis virtuosos ad praelium deducentes secum, aliquam ipsis portionem de spoliis erogarent, quosdam vero diversis servitiis mancipando, circa sua tabernacula, solerent conservare; iidem captivi ex fructu animalium, et praeda sola habebant vitam suam, ut Comani. — dispensatum est postmodum per Papam in hunc modum, quod captivi terras colerent, et ex terrae fructibus viverent, prout alii Christiani. Ideoque captivi terras non habentes, propria voluntate, census dare susceperunt, qualem Domini tribuerent. — Statutum etiam extitit per S. Regem Stephanum, quod Conditionarius, si se vellet redimere, centum bizantiis redimeret se, et domum; si vero esset sine coniuge et familia, personam suam viginti quatuor bizantiis, vel servitio tandem competente.“

Bela II. moritur Anno 1141.

Regnavit autem ipse Bela Cecus annis novem, et mensibus XI. et diebus duodecim, et fuit Pius Rex. ¹⁾ Migravit autem ad Dominum Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo, ydibus Februarii, feria quinta. ²⁾ Cuius Corpus Albe quiescit.

¹⁾ Henricus Muglen Kap. L. „Derselb Kunig — vermayd alle posshait vnd naiget sich zu redlicher sache tzu allen stunden vnd seit er got liep het in seinem hertzen so gab ym got gelucke in allen dingen — In des kuniges zeiten waz vngelerlant in frid vnd in gnad, derselb kunig waz gar milde vnd süss.“ Iniurius ergo est Chronici Turótziani compiler P. II. Cap. LXIV, haec de illo scribens: „Postquam autem regnum confirmatum est in manu Regis Belae, utebatur ex vino multum; cuius aulici consveti erant, quidquid in ebrietate Regis petebant, habebant, et post ebrietatem Rex recipere non poterat.“ Nec hydropem ex immodico vini usu, verum ex vitio stomachi contraxit; quod Biographus S. Ottonis Episcopi iam alias laudatus apud Paulum Nagy Hist. Pragm. Regni Hung. edit. 1823. T. I. p. 283. ita refert „Bela regnum sublimatus est, oculisque fidei, ac sapientia mentis praeditus, rempublicam Ungarorum per annos plures, graviter administravit, plenus orationibus, plenus et operibus bonis, et eleemosynis — Qui tamen post restitutam tranquillitatem, vitiato stomacho, hydropisi moritur, cum regnasset annis decem.“

²⁾ Quae fuit 13. Februarii et dies Iovis.



**Mortuo Rege Bela Ceco, Rex Geysa Secundus,
filius eius Primogenitus coronatur.**

*Eique Geysa huius nominis II. succedit, 'qui prae fuit ab
Anno 1141. ad Annum 1161.*

Regnavit autem post eum Geysa, filius eius, qui coronatus est quarto Kalendas Marcii, in Dominica Invocavit me, ¹⁾ transactis duobus diebus post mortem patris. Regnavit autem annis XX. mensibus tribus, et diebus undecim. Et genuit quatuor filios, scilicet Stephanum, et Belam, Arpad, atque Geysam. ²⁾ Migravit autem ad Dominum Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo primo, pridie Kalendas Iunii, ³⁾ feria quarta. Cuius corpus Albe quiescit.

¹⁾ Seu Dominica prima Quadragesimae, quae incidit in 16. Februarii; coronatus ergo fuit non quarto, sed Decimo Quarto Kalendas Martii 1141.

²⁾ Muglen Kap. LII. „vnd heft vier sun stephanum, belam, arpadanum, vnd geysam“ Et Chron. M. Varad: „hic habuit filios quatuor, quorum primus fuit Dux Stephanus, tandem Rex; secundus fuit Rex Bela, tertius fuit Dux Arpad, quartus fuit Dux Geysa.“ quos Turótzii Chronicon non memorat; ex Euphrosina, Minoslai Ruthenorum Ducis filia sublatos: item filias, Helenam, quam Leopoldus Austr. Elisabetham, ac Hulicham, quas Fridericus, et Svatoplugus Bohemi, denique Margaritam, hanc vero Andreas Comes Simegiensis connubio sibi iunxerunt. Katona, et Pray.

³⁾ Chron. M. Varadinense „Secundo Calendas Iunii.“

De Coronatione Stephani Tercii, Filii Geyse Secundi. Et de Coronatione primo Ladizlai Secundi, deinde Stephani Quarti, filiorum Bele Ceci, vivente adhuc Stephano Tercio.

Stephanus III. Rex ab Anno 1161. ad Annum 1173.

Loco eius coronatur Stephanus filius eius. Et regnavit annis undecim mensibus novem, et diebus tribus. In

cuius imperio Dux Ladizlaus, filius Regis Bele Ceci, usurpavit sibi Coronam dimidio anno. Migravit ad Dominum Anno Domini millesimo centesimo septvagesimo secundo, IX. Kalendas Februarii, feria prima; ¹⁾ cuius corpus Albe quiescit.

¹⁾ Librarium oscitantia depravatam chronotaxim Katona ita legendam innuit. „Anno dom. MCLXII. XIX. Kal. Febr. feria prima.“, eique Iuditham Boleslai III. filiam uxorem tribuit.

*Quo Sceptra tenente, Ladislaus II. et Stephanus IV.
patruales Regimen ademit.*

Post hunc Stephanus frater eius ¹⁾ usurpavit sibi Coronam mensibus quinque, et diebus quinque. Coronatus est autem tertio ydus Februarii, in Dominica Exurge. ²⁾ Devictus est autem in festo Sanctorum Gervasii, et Protasii, feria tertia; ³⁾ ubi multi Nobiles Hungarorum corruerunt. Post hoc expulsus est de Regno, obiit in Castro Zemlen ⁴⁾ Anno Domini millesimo centesimo septvagesimo, tercio ydus Aprilis, feria quinta, ⁵⁾ cuius corpus Albe quiescit.

¹⁾ Nimirum Ladizlai frater.

²⁾ Dominica Exurge, seu Sexagesimae an. 1162. cum III. Idib. Februarii concurrat. Chron. apud. Kovachich S. S. Rer. H. min. Tom. I. p. 5. „quem Lucas Strigoniensis Archiepiscopus excommunicaverat, et periculum ei certissime futurum praedixerat, eo, quod se se illegitime fecerat coronari.“

³⁾ Id est: 19. Iunii, qua festum Gervasii et Protasii anno 1162. in feriam tertiam incidit.

⁴⁾ Zemlinum in Sirmio ad Savi, et Danubii confluentes, Belgrado obiacet.

⁵⁾ Chron. M. Varad: „tercio idus Aprilis.“ qui anno 1172. in 11. Aprilis, quae fuit feria quinta, incidit; adeoque emortualis Stephani IV. annus 1172. erat. Ex Maria, Isaacii Comneni Sebastocratoris filia, nullam sobolem reliquit.

Sine herede decedit Anno 1173.

Dictus vero Stephanus, filius Geyse sine herede migravit ad Dominum ¹⁾ Anno Domini millesimo centesimo septvagesimo tercio, quarto Nonas Marcii, feria prima, ²⁾ cuius corpus Strigonii quiescit. ³⁾

¹⁾ Uxorem habuit Agnetem, Henrici cognomento Iasomirgott primi Austriae Ducis, et Theodora Graecae filiam, Schier in Regin. Hungariae p. 119 existimat, ante Agnetem fuisse Stephano filiam Hieroslai, Haliciae reguli collocatam, ex qua filium sustulerit.

²⁾ Quarto Nonas Martii anno 1173. in feriam I. seu dominicam incidit. Congruunt et anni, menses, dies regni, quos noster superius ita expressit: „Regnavit annis undecim, mensibus novem, et diebus tribus.“

³⁾ Primus Hungariae Regum, qui hic sepeliri voluit, forte apud Hospitalarios, quibus in honorem S. Stephani hospitale erexit.

De Coronatione Regis Bele Tercii, fratris Stephani Tercii, et filii Geyse Secundi.

Fratricque Belae III successione aperuit; qui regnavit ab Anno 1173. ad Annum 1196.

Postea regnavit Bela frater eius, qui fures et latrones persecutus est, et petitionibus loqui traxit originem; ¹⁾ ut Romana habet Curia, et Imperii. Qui coronatus est ydibus Ianuarii, feria prima. ²⁾ Regnavit annis viginti tribus, mense uno, et diebus decem novem. Obdormivit autem in Domino Anno eiusdem millesimo centesimo nonagesimo, ³⁾ nono Kalendas Maii, feria tertia; ⁴⁾ cuius corpus in Albensi Ecclesia tumulatur. ⁵⁾

¹⁾ Petitio, Libellus Supplex.

²⁾ Hae notae temporis cum anno 1174. bene congruunt.

³⁾ Adde: Sexto.

⁴⁾ Non. Kalend. Maii, seu 23. Aprilis anno 1196. in feriam III. incidit.

⁵⁾ Ex Agnete, alias Anna Comnena filios hactenus notos Emericum, et Andream suscepit, et Constantiam, atque Margaretham filias; illam Isaacio Angelo Graecorum Imperatori desponsatam, post vero Bonifacio Montis ferrati Marchioni: hanc vero Premislao Ottocaro Bohemiae Duci in matrimonium datas. Pray Hist. Regum Hung. P. I. p. 180. tertium quoque anonymum ei filium tribuit; verum in Innocentii III. epistola de Ladislao, Emerici filio, quem Pontifex Andreae minorem fratrem appellat, sermonem esse, dubitari nequit. Chron. M. Varadinense ei quatuor filios tribuit: „hic reliquit filios quatuor, quorum primus fuit Dux Henricus, qui suc-

cessit ei in Regno, secundus fuit Dux Andreas, postea Rex, Pater Regis Belae Quarti; Tertius fuit Dux Salomon; et quartus fuit Dux Stephanus.“ Ab secunda coniuge Margaretha, Ludovici VII. Galliarum Regis filia improlis abiit. Lege de illo an. 1836. Tudom. Gyűjt. Tom. II. p. 51 — 69.

De Coronatione Emerici Regis, filii Bele Tercii, filii Geyse Secundi.

*Hunc vero in Regimine excepit Emericus filius Anno
1196. seditque ad Annum 1204.*

Cui successit Emericus ¹⁾ filius eius; et regnavit annis octo, mensibus septem, et diebus sex. Huius uxor Domina Constantia, filia Regis Aragonie, ²⁾ Cesari Friderico, ³⁾ per consilium Apostolici, copulatur. ⁴⁾ Et genuit filium nomine Ladizlaum. Migravit autem ad Dominum Anno Domini millesimo ducentesimo, ⁵⁾ pridie Kalendas Decembris, feria tertia; cuius corpus requiescit in Ecclesia Agriensi. ⁶⁾

¹⁾ Emericus in tabulis se se constanter Henricum scripsit; hoc enim nomen ex Henrico derivatur: nam S. Stephanus filium Emericum a Gisela editum, in gratiam Henrici II. Imp. Henricum vocari voluit.

²⁾ Sponsione matrimonii, quam vivo patre, cum Alisia Principis Antiocheni filia inierat, incertum, quam ob causam soluta; Constantiam, Alphonsi Castellae Regis filiam, sibi coniugem deligit.

³⁾ Constantia vidua in Arragoniam reversa, Friderico II. Imperatori postea anno 1208 collocata fuit.

⁴⁾ Innocentii III. eatenus litteras ad Petrum Arragoniae Regem anno 1208, datas lege in Cod. Dipl. Tom. III. p. 57—58.

⁵⁾ Adde: quarto, quo anno 30. Novembris in feriam III. incidit; quum enim Emericus 23. Aprilis an 1196. mortuo patre, Hungaris praeesse coeperit: ad 30. usque Novembris anni 1204, regnavit annis octo, Mensibus septem, diebus sex.

⁶⁾ An in Cathedrali, aut alia Religioso cuidam Ordini per se excitata? incertum. Chron. Varad. Ladislaum quoque filium hic fuisse tumulo illatum perhibet.



De Coronatione Regis Ladizlai Tercii, filii Regis Emerici.

Qui Ladislaum III. successorem reliquit mortuum
Anno 1205.

Post eum regnavit Ladizlaus filius eius, et coronatus est septimo Kalendas Septembris, feria quinta, ¹⁾ Regnavit autem mensibus sex, diebus duobus. Migravit autem ad Dominum Anno eiusdem millesimo ducentesimo primo, ²⁾ Nonis Maii; ³⁾ cuius corpus Albae quiescit.

¹⁾ Ut ut adhuc infans redimitus, inter Reges tamen non cen-
sebatur; quemadmodum illius aevi diplomata, Ladislai praeterea
cognomento Cuni sigilla, in quibus hac epigraphe usus est: „Si-
gillum Ladislai Tertii Regis, Quinti Stephani Regis filii,“ nec non
Simonis de Keza Chronicon Ladislao III. seu Cuno inscriptum,
perhibent.

²⁾ Certum est annum obitus 1205. corrigendum esse.

³⁾ Katona Stephano videtur Emericus, S. Emerici festo re-
gni curas posuisse, licet ad 30. Novembris provixerit. Nam a
5. Novembris ad 7. Maii sex menses, et duo dies, quos noster
habet, effluxerunt.

De Coronatione Regis Andree Secundi, filii Regis Bele Tercii.

Quo sublato, Andreas II. Regni fasces suscepit Anno 1205.
tenuitque ad Annum 1235.

Huic successit Andreas, filius Bele Tercii, qui An-
dreas coronatus est vicesimo septimo die, post obitum
Regis Ladizlai, quarto Kalendas Iunii, in Penthecosten. ¹⁾
Cuius uxor fuit Domina Gertrudis de Almania, ²⁾ de qua
genuit Belam, Colomannum, Andream, et Beatam Eliza-
zabeth. ³⁾ Sed proch dolor, humani generis inimico pro-
cul dubio svadente, uxorem Bank-Bani, ⁴⁾ Magnifici Prin-
cipis, Domina memorata, vi tradidit cuidam suo fratri hos-
piti ⁵⁾ deludendam. ⁶⁾ Quam ob causam idem Bank-Ba-
nus, de genere Bor oriundus, suum Gladium in Regine

sanguine, miserabiliter sauciando, cruentavit, et diro vulnere sauciatam, anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo interfecit. Cuius corpus in monasterio Griseorum Monachorum ⁷⁾ de Pelis tumulatur. ⁸⁾ Pro cuius morte vox flebilis insonuit in tota Pannonia, et in omni genere Bank-Bani execrabilis et horrenda est sanguinis effusio subsecuta. ⁹⁾.

¹⁾ Quum anno 1205. Festum Pentecostes IV. Kal. Iunii, seu 29. Maii celebratum fuerit, consequitur, Andreae II. coronationem non post XXVII. sed XXII. dies peractam esse.

²⁾ Bertholdi Meraniae Ducis filia.

³⁾ De Bela primogenito lege sis Bartholomaei Episcopi Veszprimiensis chartam an 1233. editam. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. I. p. 235—237. — et Andreae II. Regis an. 1214. tabulas. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 191. Praeter S. Elisabetham, Ludovico Thuringiae Landgravio an. 1221. collocatam, e prima coniuge Mariam quoque Asanis, Bulgarorum Regis coniugem, suscepit. Ex Iolantha vero Arragonia, Petri Curt. Imp. Latini Constantinopolitani filia genuit Iolantham matri cognominem, Iacobo Arragoniae Regi nuptui traditam, et Andream, familiarum Rabenpret, nunc Merode, et Croyiacae in Brabantia stipitem (Fejér Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 262.) E tertia autem Beatrice, Aldrovandini Marchionis Estensis filia sustulit Stephanum Posthumum, qui e Catharina Thomasina Maurocena Veneta, uxore secunda procreavit Andream, huius nominis tertium Hungariae Regem, in quo virilis stirps Arpadina anno 1301. exstincta est. — Chron. Varad, „hic (Andreas) reliquit filios tres, quorum primus fuit Dux Bela, tandem Rex, qui ei successit; secundus dux Colomannus, tertius Dux Andreas, et unam filiam beatam scilicet Elisabeth.“

⁴⁾ Bank, Benedictus fuerit, qui ab an. 1209. ad an 1210. Croatiae et Dalmatiae Banus fuisse legitur, postea per Andream II. Regni Palatinus constitutus.

⁵⁾ Hospes, i. e. extraneus.

⁶⁾ Deludere, pudicitiam violare, vim inferre, lenocinari; hoc sensu acceperunt Bonfinius Decad. II. Lib. VII. edit. Lips. p. 286. 287. et veteris Chronici Hungarici saeculi XIV. Translator Henricus Muglen Kap. LX. „Dieselb kunigin gerdraut gab eins grossen fursten weib der hiess bankan (Bank-Ban) iren pruder den bischoff von Bobenberg, dar er sie beslieff mit gewalt. do der fürst das erfur, slug er die kunigin tzu tode, und nam ir belan und coloman von den arm, vnd sprach: meinen erbherren tun ich nicht, derselb bankan was aus dem geschlecht uor (Bor) darnach wart getotet das gantz geschlecht bankan. „Item Haugen Lib. IV. Cap. 65. „Vnd nach

dem die königin bezigen ward, wie sie der haussfrawen Banklani — solt darzu geholfen und irem bruder gestatt habent, das er die selbig frawen missbraucht heft.“ Regina vero duos habuit fratres, Bertholdum quippe Babenburgensem Praepositum anno 1207. ad Colocensem Archiepiscopatum translatum. (Vide Innocentii III. 1206. et 1207. litteras ad Andream Regem, et Bertholdum datas Cod. Dipl. Tom. III. p. 29.—31. 49.—52. et 53.) nec non Ebertum Bambergensem Episcopum, propter quem, caedis Philippi Sueviae Ducis accusatum, querulosas Innocentius III. an. 1209. ad Andream litteras exaravit. Cod. Dipl. Tom. III. p. 34.—36. in an. 1213. litteris autem Andreae in haec verba respondit „Licet Bambergensis episcopus in multis offenderit; nos tamen interuentu precum tuarum, rigorem iustitiae temperantes — Moguntiensis Archiepiscopo — nostris damus litteris, in mandatis, ut non procedat aduersus eum; sed inquisita super facto eius, de quo ipsi mandauimus, plenarie veritate, quicquid invenerit, fideliter nobis scribere non postponat; ut circa ipsum, secundum quod expedierit, procedamus. In quo tuae non erimus deprecationis immemores; nisi forsitan ipse suis excessibus intercessoris affectum impediat, et effectum intercessionis excludat.“ Cod. Dipl. Tom. III. p. 139—140. Cum Pontifex criminum meminerit, videtur Ecbertus non caedis modo: verum etiam huius facinoris reus fuisse, praesertim cum annales domestici illum, qui conscia Regina, Bank Bani coniugem violauit, hospitem seu extraneum, et Bambergensem Episcopum fuisse perhibeant.“ Opinor autem Pontificem Ecberto sacram expeditionem iniunxisse, quum teste Staindelio apud Oefel. Tom. I. p. 501. Andrae II. in Palaestinam proficiscenti itineris comes fuerit. — Rationes ergo Praei Hist. Regum Hung. P. I. p. 199 — 100. in contrarium adlatae, quod si narratio veritate niteretur, Ecbertus nunquam in sedem Bambergensem reponendus erat, suapte ruunt.

7) Ordo Griseus, Monachorum scilicet, qui coloris cinericii, seu pseudolactini vestibus induebantur: quo nomine Cistercienses Monachi intelliguntur, qui nigrum habitum primi in griseum commutarunt, ut auctor est Iacobus de Vitriaco in Hist. occident. Cap. 14 Gloss.

8) Chronicon Poseniense: „Cuius corpus in monasterio de Pyllis tumulatur.“ Pelys Abbatia in homonymo Comitatu, duobus infra Strigonium milliariis florebat, quam Turcae saeculo XVI. diruerunt; hodie ab an. 1814. cum Zirtziensi, atque Pásztóiensi unita est. Bela IV. Rex in an. 1254. tabulis: „Ecclesia de Plys — in qua etiam corpus matris nostrae honorabiliter requiescit.“ Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. II. p. 214—218. et Adreas II. in an. 1214. diplomate, quo dotationem Praepositurae Lelesziensis confirmat: „Praedium — Micusa — pro anima illustris reginae Gertrudis coniugis nostrae, eidem Ecclesiae in perpetuum contulimus — et ideo

maxime, quod quaedam corporis eiusdem pars in eadem est sepulta ecclesia, duoque Sacerdotes ibi sunt constituti, pro eius anima perpetuo celebraturi.“ Ibid. Tom. III. p. 157.

⁹⁾ Andreas ex Halicia redux, in reos statim animadvertere non est ausus, immo, si Bonfinio credimus, Baneconem innoxium pronunciavit; serius attamen, ut an. 1214. illius diploma docet, caedis auctores communi Regis, filiorum, et Episcoporum, nec non omnium Baronum consilio, fundis ex lege privavit. Cod Dipl. Tom. III. p. 152. Vide etiam Belae IV. litteras an. 1237. Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. I. p. 68—71.

In Palaestinam profectus Anno 1217.

Post hec, Rex Andreas Terram Sanctam visitavit ad mandatum Pape, quod mandatum acceperat, dum esset adhuc Dux; sicut habetur de voto, et voti redemptione extra: „Licet universis.“ ¹⁾ Quia ipse complevit, et redemit votum patris. ²⁾ Et ibi in Terra Sancta super exercitum Christianorum, contra Soldanum Babilonie, ³⁾ Capitaneus et Dux preficitur, et mox victor efficitur gloriosus. ⁴⁾ Mansit autem ibi tribus mensibus. ⁵⁾

¹⁾ Hic textus in Turótzii Chron. P. II. Cap. LXXIII. liberiorum oscitantia, aut ignoratione mirum quantum depravatus, e nostro feliciter restituitur. Mandatum autem Innocentii III. Papae, quod memorat, editum fuit Laterani IV. Kal. Febr. 1198. et prostat in Cod. Dipl. Tom. II. p. 313—314. estque huius tenoris: „Nobili Viro A. Duci, de prosecutione Voti Regis Ungarie patris sui defuncti.“ Post Lemma: „Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, nec necessitas in votis locum habeat, sed voluntas; usque adeo tamen solutio necessaria est per votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui resilire non liceat ab his, que sponte, ac solenniter repromiserat.“ etc. Hinc iam liquet, unde Regum nostrorum Res gestas Chronici Compiler hauserit? etsi fontes non indicat, eas tamen ex Annalibus, fide documentorum exaratis, excerptis, quilibet sibi facile persvadebit.

²⁾ Anno videlicet 1217. mense Augusto iter maturavit, et Hungaria excessit.

³⁾ Sephedinum; lege Villhelmi de Carnoto, Templariorum Magistri ad Honorium III. litteras, Andreae II. in Palaestina victorios nuntiantes Cod. Dipl. Tom. III. p. 230—232.

⁴⁾ Vid. Honorii III. litteras, quibus, comperto Andreae II. felici in Terra Sancta progressu, anno 1217. communem supplicationem indixit. Ibidem p. 232—233.

5) Qui non inter abitum et reditum eius numerandi sunt, quum certum sit, eum diutius abfuisse; sed accipiendi potius de mora, quam in Palaestina cum exercitu suo traxit. Conf. Iacobi Acconensis Episcopi litteras ad Honorium PP. an. 1218. datas. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. I. p. 197—198.

Sanctorum Lypsanis dives revertitur Anno 1218.

Regali denique thezauro exposito, diversorum Sanctorum per ipsum Reliquie comparantur. Caput videlicet Sancti Prothomartiris Stephani, et Caput Beatae Margarete Virginis et Martiris, Dextra Beati Thome Apostoli, et Sancti Bartholomei. Item de Virga Aaron, et Una de sex ydriis illis, in quibus Christus mutavit aquam in vinum; et alie multe, quas potuit tunc congregare, reversus est in Hungariam cum preciosis thesauris Sanctorum; Regnum autem suum reinvenit in prospero statu: 1) non tamen hoc suis meritis, sed Sanctorum, quorum Reliquias afferebat, asscribi voluit. In occursum ergo Regis Benedictus, filius Ega, Cancellarius Regine, omnes Prelatos Ecclesie compellebat. Modo autem illas Reliquias Sanctas, specialiter ille Ecclesie habent, quarum Prelati, Regi venienti, obviam occurrerunt.

1) Id quidem a vero prorsus abhorret, quemadmodum Andreas, datis ad Honorium an. 1218. litteris, memoriae prodidit: „Novit etiam Vestra Sanctitas, quod, quum in Hungariam pervenimus, modo Hungariam, sed tantum angariatam, atque dissipatam, et cunctis fisci proventibus spoliata reperimus; ita videlicet, quod nec debita, quibus in nostrae peregrinationis itinere fuimus obligati, persolvere, nec usque ad quindecim annorum spatium, regnum nostrum pristino statu poterimus reformare.“ etc. Pray Annal. Reg. Hung. P. I. p. 214—215. — In reditu Leonis, Armenorum Regis filiam, Andreae natu minimo filio, cum iure successionis ad eundem haeredes traducto: Belae autem primogenito, cum in Graecia aliquandiu moratur, Mariam, Theodori Lascaris filiam despondit: ab Alsane, Bulgarorum Imperatore, non ante dimissus, quam eidem quoque filiam nuptui se daturum promisisset. Adfuere etiam ab Iconii Sultano nuntii, qui, si Rex sibi filiam, aut neptem matrimonio iungeret, se cum suis Sacra Christianorum amplexurum receperat. Conf. citatas Andreae litteras. Atque hunc fere unicum ex Sacra Expeditione, cui se, suaeque, Regno non optime constituto, consecraverat, fructum retulit.

*Elisabetham filiam Ludovico Thuringiae Landgravio
collocat Anno 1221.*

Transactis itaque novem annis, ¹⁾ Rex generosam Elisabeth filiam suam, Nobili Ludovico, Viro illustri, Turingie Lanthgravio copulavit. ²⁾ Qui post multos annos, similiter cruce signatus, devote Ierosolimam pergens, ibidem migravit ad Christum. ³⁾ Cuius festum Ierosolimis devote celebratur.

¹⁾ A caede nimirum Gertrudis anno 1212. attentatae anno nono; nuptiae igitur an. 1221. conflatae fuerunt: nam desponsatio vivente adhuc matre an. 1211. Posenii celebrata fuit. Conf. Vitam S. Elisabethae Viduae, nec non B. Margaritae Virginis, quam Pray edidit Tyrn. 1770. in fol. min.

²⁾ „Hic (Ludovicus) Elisabeth regis Ungariae filiam olim sibi per patrem desponsatam duxit in uxorem anno Domini 1221. in castro suo Wartpurg.“ Hist. Landgraviorum Thuringiae apud Pistor. Tom. I. p. 1322. Idem ibidem. — Is annus aetatis Elisabethae quintus supra decimum fuit; nata enim erat an. 1207. ut annales de iisdem Landgraviis p. 1371. diserte confirmant: „anno Domini MCCVII. Andreas in Hungaria rex, cuius uxor Gertrudis nomine, Ducis Carinthiae filia, filiam generis sui decus, Elisabeth nomine, accepit per genituram.“ Locum vero nativitatis Pelbartus sermone de laudibus Elisabethae his verbis consignat: „Elisabeth Andree regis Hungariae filia, dum nata fuisset in oppido Sorospatak, et in deliciis nutrita, omnia puerilia contempsit.“ Dubitari nequit, eum ex S. Viduae Legenda, aut certe ex patriis Annalibus id accepisse, cum laudatis verbis haec praemittat: „sic enim de ea legitur.“ Conf. Ladislai cognomento Cuni diploma an. 1273. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 95—99. Sáros Patakinum autem Zempliniensis Provinciae oppidum Regum, ac Reginarum Hungariae Civitatem fuisse, Anonymus B. R. N. Cap. XV. testis est; fidem eius in Oppidi Historia, fide Diplomatum illustrata, quam in lucem emittere paro, vindicaturus. Emortualis vero Divae annus 1231. fuit, ut Historia Landgraviorum perhibet: „Obiit autem anno Domini MCCXXXI. anno aetatis suae XXIV.“ per Gregorium IX. PP. an. 1235. X. Kal. Iunii, adeoque ante, quam Andreas pater naturae debitum persolveret, Sanctis adnumerata, cuius litteras ea de re vulgatas lege apud Pray Lib. cit. p. 13—17. Katona Tom. V. p. 723—729. Cod. Dipl. Tom. III. p. 444—448.

³⁾ Annales brevissimi Annum peregrinationis, locum, et genus mortis in hunc modum memorant: „anno Domini MCCXXV I. generale passagium ad terram sanctam factum, in quo et Frideri-

cus Romanus Imperator cum multa turba cruce signatorum: Ludovicus quoque Princeps Thuringiae Christianissimus, habito cum Domino Conrado Hildensemensi Episcopo consilio, ab eodem cruce signatus est. — Ingressi deinde civitatem, quae Otrant dicitur — coepit — acrius febribus vexari. Accersito Patriarcha Hierosolymitano, Sacramenta accepit, deinde — obdormivit in Domino, tertio idus Septembris.“

Vitam cum morte commutat Anno 1235.

Migravit autem Rex Andreas ad Dominum Anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, tricesimo anno Regni sui. ¹⁾ Cuius corpus Varadini ad pedes Sancti Ladislai requiescit. ²⁾

¹⁾ Pernoldus scriptor synchronus apud Hantál. Fast. Campil. P. I. p. 1315. „Rex autem Andreas, iam senex, et saepe aeger, medio mense Novembri obiit, uxore nova gravida relicta.“

²⁾ Turótzii Chron. P. II. Cap. LXXIII. „cuius corpus in monasterio de Egrus feliciter requiescit.“ et Chronicon Poseniense: „cuius corpus in monasterio Abbatum de Egres, iuxta fluvium Morus requiescit.“ denique M. Varadinense Chronicon L. L. Eccl. Tom. III. p. 222. „hic multa meritoria opera exercuit in aedificandis et dotandis Ecclesiis, Secularibus et Regularibus, et introducendis Religiosis diversis, victoriaeque habita ad Sepulchrum Domini, obiit Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto (quinto) Undecimo Kalendas Octobris, cuius corpus in Monasterio suo Egres requiescit.“ Egresiensis ergo Abbatia Cisterciensium in Provincia Aradinensi sita, originem, et natales ad Andream II. refert; de qua Rogerius in Miserabili Carmine de destruct. Hungariae Cap. XXXVII. — Quum noster eum Varadini ad pedes S. Ladislai sepultum narret, puto aliquam corporis eius partem, ut Gertrudi quoque factum vidimus, istic; reliquam in Egresiensi coenobio, quod ipse iuxta Marusium erexerat, conditam fuisse; ubi Iolantam quoque tumulatam esse, Albericus Cisterciensis monachus ad An. 1235. docet.

De Coronatione Regis Bele Quarti, filii Andree Secundi, et de diffortunio eius.

Bela IV. Regnum adit Anno 1235. gubernatque ad Annum 1270.

Rex Bela post eum, filius suus coronatus est pridie idus Octobris, feria prima, qua cantatur „Da Pacem.“

1) in Cathedrali Ecclesia Beati Petri, Albe, 2) quam ipse consecrari fecit. 3) Colomanno Duce 4) fratre eius Ensem Regalem ad latus ipsius honorifice tenente; Daniele vero Duce Ruthenorum 5) Equum suum ante ipsum, summa cum reverentia ducente. 6) Regnavit autem triginta quinque annis. 7)

1) Bela, ut iunior Rex, anno 1222. fuit sacro diademate redimitus, quemadmodum Honorii III. litterae hac de re quarto Nonas Iulii 1222. ad Andream datae testantur. Cod. Dipl. Tom. III. p. 388. Patrem vero eius 21. Septembris 1235. diem supremum obiisse, e Chronico Varadinensi confit; Rogerius demum coaevus scriptor Carm. Miser. Cap. IV. Belam a morte patris mox inauguratum fuisse narrat: Pridie Idus, seu 14. Octobris demum anno 1235. omnino in Dominicam XX. post Pentecosten incidit, qua Missam Ecclesia his verbis orditur: „Omnia, quae fecisti.“ Adeoque, cum praeter Missae initium, in quo consignando Annalium Compiler error potuit; omnia rite conspirent; geminam Belae IV. hoc loco coronationem, prout Katona Hist. Crit. Tom. V. p. 754—755. memorari, ac male confundi existimavit, admittere nequeo.

2) Stabat olim intra moenia eiusdem Urbis ducentis fere passibus a Divae Virginis templo sita; de qua lege sis Michaëlis Szvórényi Amoenit. Hist. Eccl. Fascicul. V. p. 91.—92. dubitatque vehementer hanc Ecclesiam fuisse Cathedralam, aut Collegiatam: „Ego, inquit, quamdiu grave testimonium vetus, aut vestigium evidens in antiquitate non deprehendero, propter nudam assertionem virorum, qui multo posterius vixere, S. Petri Ecclesiam Albensem fuisse collegiatam, ut credam, induci minime possum.“ — Nec sine causa haec vir eruditissimus protulit; nulla enim Collegiatae huius Ecclesiae in priscis Regum tabulis exstat memoria: ut adeo inferre liceat, aevo medio Parochiales quoque Ecclesias, qualis ista fuit, velut in Sacrorum Curionum sedibus locatas, Cathedrales dictas fuisse.

3) De usu Ecclesiae Pontifex Templum dedicat; sacra autem Ecclesiae utensilia consecrat, inquit Gillebertus Lunicensis Episcopus in Glos. apud Du Fresne.

4) Colomannus eo tempore Slavoniae praefuit. Muglen kap. LXI. „In desselben kronung stund hertzog coloman sein pruder vnd hielt ym das kuniglich swert tzur rechten hand.“ Cum Salomea, Lesconis Albi, Poloniae Principis filia, coniugium duxit intemeratum Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 263.

5) Evidenti argumento, inquit Pray, Andream Belae IV. fratrem, tum iam obiisse, alioquin in publica coronationis functione, haec praerogativa illi prae Russorum Duce competeat; sed posterior haec opinio, ut mox visuri sumus, sustineri nequit.

6) Equi albi, ut olim triumphantium fuere; ita et Principum in solennitatibus in urbes ingressibus. Gloss. Ceterum Equos ante Principes vasalli, et clientelari iure obnoxii ducere solebant, signumque subiectionis fuit; haec igitur non tam praerogativa, quam servitus, Andreae Regis fratri prae Russorum Duce, haud competebat.

7) Quum parenti, ut coronatus iunior Rex, pleno iure 21. Septembris 1235. successerit, vitam autem 3. Maii 1270. finierit, Regni habenas duntaxat 34. annos, septem menses, atque 15. dies moderatus est. Ex Mariae coniugio habuit filios, Stephanum, et Belam; de his Chronicon Dubnitzense -- „genuit duos filios, scilicet Stephanum, et Belam, qui bonus appellatur.“ Hic Cunegundem, Ottonis Marchionis Brandeburgensis filiam duxit uxorem, verum ante susceptam prolem anno 1269. caesus est. Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 263. Eum Bela pater in an. 1269. diplomate Ecclesiae Veszprimiensi concesso, Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 495.—502. amare deflet: „quod cum manus Domini ostendentis, mundi prospera fore transitoria — nos orbans filio carissimo, Bela videlicet illustrissimo Duce Slavoniae, sicque genitorem efficiens infelicem, graviter tetigisset.“ — Filiae autem fuere: Cunegundis, Boleslao Pudico, Poloniae; Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. II. p. 443.—446. Elisabetha, Henrico Bavariae; Anna, Radislao Haliciae Ducibus collocatae, ex qua Michael Bosniae, et Bela Machoviae Duces nati. Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 210. et p. 235.—236. Item Helena, Boleslao Pio Maioris Poloniae Duci nupta; Sabina, Moysis Hungariae Palatini coniux; Cod. Dipl. Tom. V. Vol. III. p. 78.—79. Constantia, Ottocari Bohemiae consors; Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 263. quam Katona Hist. Crit. Tom. VI. p. 514. et Pray Hist. Reg. Hung. P. I. p. 280. Danieli, Russiae Duci tribuunt. Praeter has, Margaritam, et Catharinam in infantia Clissae an. 1242. defunctas sustulit, et alteram Margaritam, quae Deo inter Sacras Virgines se dicaverat. R. R. Codicis Dipl. auctor Tom. VII. V. II. p. 263. etiam Iolantam memorat.

De primo adventu Tartarorum in Hungariam.

*Sub eo Tartari irrumpunt, ad Sajonemque
profligatur Anno 1241.*

Tempore autem istius Bele Regis, Anno a Nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, ¹⁾ Magali, sive Tartari, cum quinquies centenis millibus armatorum, Regnum Hungariae invaserunt. Contra quos Bela Rex, iuxta flumen Sayo prelians, vincitur. ²⁾ In quo prelio fere extinguitur milicia Regni Hungariae universa. Ipso

vero Bela Rege ad Mare fugam faciente, Tartari usque ibi eum crudeliter insecuntur. ³⁾ Manserunt enim ipsi Tartari in Regno Hungarie tribus annis. Et quia seminare in illis temporibus non potuerunt Hungari; ideo multo plures, post exitum illorum, fame perierunt, quam illi, qui in captivitatem ducti sunt, et gladio ceciderunt. ⁴⁾

¹⁾ Lege testes litteras Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. I. p. 212—213. et 214—215. nec non p. 216—232. Tom. VII. Vol. I. p. 275.—276. et Chronicon Ioannis Haugen Lib IV. Cap. 66. 67. 68.

²⁾ Chronicon Poseniense: „Wela rex iuxta fluvium Seo; prope villam Muhi prelians vincitur: in quo prelio mortuus est Ugrinas archiepiscopus de genere Kaak (Csák) et fere extinguitur milicia Hungarie universa.“ Sajó annis capita habet apud Gömöriensem Comitatum, unde per Borsodiensem, acceptis innumeris rivulis praeceps labitur; rigatoque copioso oppido Miskoltz, tandem Tibisco mergitur, cursu ex occidente aestivo, in orientem porrecto. Infelix autem hoc praelium in praedio Muhi commissum fuit. „Campus Mohy, ubi pugna fuit Belae IV. Regis cum Tartaris, conterminatur ab oriente cum Sajó-Szeged: a meridie cum Baba, Chat, et Papi: ab Occidente cum Onod, Kereszt-úr: a Septentrione cum Sajó fluvio. Mohy nunc desertum est — Visuntur etiam nunc duo tumuli, caesorum ossa continentes, quos Hungari vulgo Halom-domb compellant.“ Kaprinai Hist. Dipl. P. II. p. 112.

³⁾ Chronicon Poseniense: „Wela rex ad mare fugam fecit, et Tartari usque ad insulam Raab vocatam ipsum sunt insecuti. Colomannus vero regis frater letaliter vulneratus, in sua fuga viam universe carnis est ingressus, cuius corpus tumulatur in villa Yvanth in ecclesia Weginarum (Beginarum).“ Colomannus Regis frater in Slavoniam delatus, brevi post ex accepto vulnere obiit. Bela vero vix periculo subductus, per montes variis erroribus actus, aegre Austriam attigit. Hic a Friderico Duce vi detentus, nec ante dimissus est, quam et thesaurum ab uxore allatum, et tres Austriae vicinos Comitatus: Mosoniensem, Soproniensem, et Castri-Ferrei eidem consignasset. Ita spoliatus, desertus a suis, omnique ope destitutus, ad partes maritimas properabat. Caidun cum parte copiarum magnis itineribus accelerans, pene interceperat, nisi Rex in Slavonia agens, fama adventus mature cognita, ad Dalmatiae primum urbes, et appropinquante hoste, in insulam Vegliam situ et accessu difficilem, se recepisset. Rogerius in Carm. Miser. de Destr. Hung.

⁴⁾ Tristem Regni faciem Chronica Australia apud Freher. Tom. I. p. 458. depingit.

*Friderici Austriae Ducis in se fugitivum inhumanitatem
vindicat Anno 1246.*

Post hec autem Rex Bela reversus de maritimis partibus, Ducem Austriae Fridericum Bellicosum ante Novam Civitatem gens occidit Hungarorum, in prelio per maxillam transfigendo. ¹⁾ Licet tamen idem Dux ceciderit in hoc bello; Bela Rex cum Hungaris triumphum perdidit. ²⁾

¹⁾ Hoc Bellum an. 1246. gestum Chronista quoque Mellicensis apud H. Pez Tom. I. col. 140. memorat, Conf. etiam eius ante conflictum noctu festi S. Viti exartas litteras Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. III. p. 29.—30. atque hunc finem habuit Fridericus Belae saepius infestus, et stirpis Babenbergicae ultimus, Conf. Haugen Chron. Lib. IV. Cap. 66.

²⁾ Friderici Austriae Ducis in fugitivum Anno 1242. Belam inhumanitas nota est, non item causa; quam Ioannes Haugen Lib. IV. Cap. 66. hanc fuisse scribit: „König Bela vermainet auch zuspruch vnd gerechtigkeit zu haben zum landt Steyr, deshalb zwischen sein und dem Hertzogen von Osterreich ein grosser krieg erstunde, aber als peid teil zu feld zugen, ward der krieg gericht, also das dem künig von Vngern das land Stayr von Semering biss gen Admünd nach dem wasser strich Ens bleiben solt, und das vberig mit sampt Osterreich solt dem Hertzogen bleiben. Der vertrag ward aber nicht gehalten, dann künig Bela macht sich auff mit grosser macht, vnd hat bey im seinen sun Steffanum, und wolt im Osterreich vnd die vmbliegende lender vnterwerffen. Als er nun vber die Marg zoch, begegnet ihm der Hertzog von Osterreich, vnd griffe die Vngern und des kunigs her an bey Kressenbrun, da ward lang gestritten, zu lest gaben die Vngern die flucht, der vil erschlagen und gefangen wurden. Es floch auch Bela mit seinem sun, und es ertranck vil volcks in der March. — Als nun der Hertzog gesigt, nam er den teyl in der Steyrmarg, so Bela zugetheilt was, wider ein.“

*At ex pugna cum Ottocaro Bohemiae Rege commissa
inferior redit Anno 1260.*

Post hec autem, Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, idem Rex Bela congregavit exercitum copiosum, contra Othocarum Regem Bohemorum circa Moraviam una cum filio suo Stephano, et Alpra Duce Cumanorum; sed victus fugit circa Haymburg, tercio ydus

Iulii. ¹⁾ Erat enim Rex Bela vir pacificus, sed in exercitiis et preliis minime fortunatus.

¹⁾ Id est: 13. Iulii.

Flagellatores Sectarii in Hungaria Anno 1263.

Ipsius etiam tempore, Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, plebs flagellis se feriendo, universaliter discurrebat. ¹⁾

¹⁾ Discurrere dicuntur Missi, qui mittuntur; alias Discursores. Erant autem Flagellatores sectarii, ac haeretici; sub an. 1261. Siffridus Presbyter „Eodem anno multa millia Flagellatorum prodierunt in mundum, dicentes, hominem ab omnibus peccatis absolvi, si in tali secta per unum mensem versaretur.“ — Vide Odoricum Rainaldum an. 1260. num. 11.

Belae IV. Regis obitus, et memoria.

Obiit autem Anno Domini millesimo ducentesimo septvagesimo, quinto Nonas Maii, feria sexta, in festo Inventionis Sancte Crucis, ¹⁾ in Insula Budensi. ²⁾ Et sepultum est corpus eius Strigonii, in Ecclesia Fratrum Minorum, constructa in honorem Virginis Gloriosae, quam ipse Dominus Rex Bela adhuc vivens, sumptuoso opere et pulchro fecerat inchoari; ³⁾ ubi cum Domina Regina consorte sua Maria nomine, filia Imperatoris Grecorum, et Duce Bela filio suo carissimo, feliciter requiescit. ⁴⁾ Vir virtutibus plenus, cuius memoria quasi mel dulcorosum usque in diem hodiernum, in ore omnium Hungarorum, et aliarum plurium nationum svavescit. ⁵⁾ Cuius corpus Philippus Archiepiscopus Strigoniensis de Ecclesia memorata auferri exhumando fecerat contra iura, et in sua Ecclesia Cathedrali indebite tumulari. Super quo facto coram Summo Pontifice causa diutius ventillata, Fratres Minores cum honore maximo rehabere ex integro meruerunt. et coram Virginis ara gloriosius condiderunt. Ubi hii pulchri versus continentur:

„Aspice rem caram, Tres cingunt Virginis Aram:
Rex, Dux, Regina; Quibus assint gaudia trina.
Dum licuit, Tua dum vigit Rex Bela Potestas,
Fraus latuit, Pax firma fuit, regnavit Honestas.“ ⁶⁾

1) Inventio S. Crucis, cuius memoria 3. Maii colitur, anno 1270. in diem Sabbati incidit, scribendum itaque fuisset „Feria Septima.“ Sed veteres in Calendarii cumprimis autem Romani Chronologia minus exactos fuisse, iam dudum eruditi observarunt; modo igitur Anni, Menses, Dies, Festaque temporibus congruant, in Kalendis, Nonis, Idibus, atque Feriis non est nimium crupulose adhaerendum; praesertim cum constet, veteres a Luna noctis dies numerare, auspicarique solitos fuisse; unde Hungari quoque Holdval diem sequentem olim innuebant; hodieque crastinum diem Holnap, pro Holdnap dicimus, Chronographus igitur Belae mortem aequae hac ratione computaverit.

2) Insula Budensis, ita dicta, quod medio ad Budam Danubio porrigatur; ideo in priscis tabulis passim etiam, Insula Danubii audit. Antiquioribus temporibus a Regum vivariis Insula Leporum appellabatur. Circa medium saeculi XII. quo Parthenonem honori Mariae Virginis dicatam Bela IV. Rex in ea construxit, filiamque Margaritam ex Veszprimiensi coenobio huc transtulit, Insulae Leporum nomen, in Beatae Mariae Virginis transiit, suisque nominibus promiscue veniebat; non multo post vero, quam Margarita vivis erepta esset, eidem cognominis facta, hodieque eius nomen tuetur. Habebat autem non modo Religiosorum oenodia, verum etiam palatia, in quibus Reges diversari solebant, in horum quodam Bela mortem oppetiit. Conf. Ladizlai Cuni tabulas. 1279. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 436 — 438.

3) Circa annum 1240. ut P. P. Franciscanorum Annales perhibent; quo per Turcas diruto, Georgius Széchényi Archiepiscopus Strigoniensis anno 1687. hodiernum coenobium excitari fecit, in suisque litteris haec ad nostram memoriam transmisit. „Monasterium — quod olim pro eadem Provincia S. Mariae a Bela IV. Hungariae Rege fundatum erat.“

4) Uxor cum Bela filio, quem teneriori amore prae Stephano complecti semper solebat, eum ad aeternitatem praecessit. Chronicon Posoniense „In qua ecclesia etiam nunc Domina Agatha, cuius ossa de Sancto Yreneo, de ecclesia Fratrum Minorum contumularunt, requiescit.“

5) Alter, merito suo, post S. Stephanum Regem, Hungariae Stator, quam a Tartaris fere inanem populis redditam, deductis ex Germania, Italia, et aliis oris coloniis, frequentiore reddidit, et cum his artes, mercimonia, et sine qua haec languent, industriam rei agrariae insigniter promovit, ac praeterea plurimas Arces, Civitatesque condidit; has inter Budam Regni Metropolim iussu Innocentii IV. Pontificis Maximi et providentia An. 1247. in edito monte Pestienſi per Germanicas Colonias excitavit, omnes denique, pro sua iustitia, pristinis iuribus restituit.

⁶⁾ In Chronico Dubnitzensi saepe laudato, hic quoque versiculus legitur:

„Hic obiit Bela, Populi Dux, atque Medela.“

Conf. litteras Henrici, Bavariae Ducis ad Collegium Cardinalium an. 1275. scriptas Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 289—291.

De Coronatione Regis Stephani Quinti, filii Regis Bele Quarti.

Stephanus V. Regnorum gubernacula Anno 1270. adeptus, Bulgariam Hungariae adnectit, praematureque fato eripitur Anno. 1272.

Post ipsum, anno Domini millesimo ducentesimo septvagesimo primo ¹⁾ cepit regnare filius eius Stephanus super totam Hungariam, ²⁾ qui Othocarum Regem Bohemorum, in Hungariam cum Bohemis, Australibus, et Banburgensibus cum potencia venientem, ac ceteris mixtis gentibus; ante fluvium Rabcha devicit viriliter ac fugavit. ³⁾ Postea Bodun Civitatem Bulgarorum ⁴⁾ et Bulgaros superans, Regem eorum sibi compulit deservire. ⁵⁾ Regnavit autem duobus annis, et mortuus est in anno tercio Regni sui, ⁶⁾ in Magna Insula, ⁷⁾ et sepultus est in Ecclesia Beate Virginis in Insula Budensi, in loco Beginarum. ⁸⁾

¹⁾ Palmari errore, quum Bela IV. 3. Maii 1270. oberiit. Errorem dedocet etiam Stephanni V. diploma, quod eo anno iam ut Rex Hungariae VI. Nonas Maii edidit. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. I. p. 19—20.

²⁾ Ante hac enim duntaxat Ducatui praeerat.

³⁾ Hoc bellum anno 1270. inchoatum, sequente consopitum fuit. Conf. Ottocari litteras an. 1271., et eiusdem; ac Stephani pacis tabulas. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. I. p. 108—126.

⁴⁾ Hodie Vidinum.

⁵⁾ Erat is Svetislaus. Vid. Stephani Katona Hist. Crit. Tom. VI. p. 564. de Bulgaria autem Regno Hungariae subiecta Ladislaus eius filius in an. 1279. Diplomate: „Cum suam ad iurisdictionem, potestatem, seu regimen, Regnum Bulgariae subiugavit.“ Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 73 et Tom. V. Vol. II. p. 174—175.

⁶⁾ Chron. M. Varad: „Regnavit — annis duobus, mensibus tribus, diebus quinque — et obiit Anno Domini millesimo ducentesimo quingagesimo (septvagesimo) secundo, Octavo Idus Augusti.“ — Mortis causam M. Henricus de Isernia, Ottocari Regis Bohemiae Cancellarius, in litteris ad Ladislaum III. Regem exaratis in lo-

achimum Pectari, Slavoniae Banum coniicit: „cuius detestanda perfidia faciente, felicitis memoriae olim rex Stephanus, pater vester, dum filium suum ab eodem Ioachimo subreptum per investigationis cite laboriosam festinanciam cuperet rehabere, ac etiam propter dolore et inconvete fatigacionis onus, falce crudelis fati existit interemptus — Nam — Dominum Andream iuniorem regem Ungariae, quem proditorie subripuerat, volebat ipsius Rudolphi comitis (de Habsburg) filiae matrimonialis vinculi federe copulare.“ *Schedius Zeitschrift von und für Ungern* II. B. II. H. S. 161. —182. Confer ea de re etiam Ladislai an. 1274. diploma Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 206.—208. et. 388.—393. Tom. VII. Vol. II. p. 59.—66. 80.—82. et ibid. p. 83. in an. 1280. diplomate: „quia dictus Magister Ioachimus pro fidelitate Coronae Regiae debita, per suos aemulos extitit interemptus.“ Ex Elisabetha Cumana praeter Ladislaum anno 1263. natum, Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 138. sustulit etiam Andream, quem Ladislaus undis mergi iussit, quemadmodum B. Cunegundis Biographus edit. Tyrn 1744. p. 85.—86. memoriae prodidit: „Secesserat ex Hungaria in Poloniam Andreas nepos B. Cunegundis, Ladislai IV. Regis Hungariae frater; ut evitaret insidias, quibus illi mortem frater machinabatur, ob suspicionem et metum amittendi Regni. Ex intercessione B. Materterae, et beneficio Regis Poloniae Praemislai habitabat in quadam arce prope Korczyn. Submiserat illuc Ladislaus Rex quosdam Hungaros aere conductos, qui incautum dolo circumvenirent et neci traderent: successit astus malitiae satellitibus; nam quadam nocte — iuvenem invaserunt Principem, ligarunt, et in vicino fluvio Nida submerserunt.“ — Fugae causam laudatus Ottocari Cancellarius in codice Epistolari lib. cit. hanc fuisse memorat: „Sed nec in hoc solum (loquitur de Stephani V. morte) dictus Ioachimus criminosus esse dinoscitur; verum etiam aliorum plurium reus facinorum perhibetur. Quia ne sua nequitia post ipsius Stephani mortem ab infidelitatis torperet operibus, sed malignaretur in filiis, qui fuit nequam in parente; Dominum Andream iuniorem Regem Ungarie abduxit, et zyzaniae lolium seminans inter fratres, sua procuracione partes in dissonas scissum fuit regnum Ungarie, et deventum est ad rigidi martis certamina, ita, ut inter germanitatis iunctos federe, naturalique fibula copulatos hostiliter pugnaretur.“ — Simon de Keza, qui sub hoc Ladislao scripsit, addit Andreae Salomonem, et Ladislaum, quos ille improprie fratres appellaverit. Filias item Mariam, Caroli I. Siciliae Regis: Annam, Andronici, Michaëlis Angeli Palaeologi, Graecorum Imperatoris filii consortes; ac Elisabetham in Insula Budensi Sanctimonialem.

7) Csepel, quam Danubius infra Budam format, et Geysa II. Rex in an. 1148. diplomate, Insulam Magnam Regis appellat. Cod. Dipl. Tom. II. p. 129—130.

⁸⁾ Beginarum nomine intelligit Moniales, ut Simon de Keza interpretatur: „in Insula vocata Beatissimae Virginis, in coenobio Monialium requiescit tumulatus.“ id quod etiam Biographus B. Margaritae edit. Praian. p. 359. his verbis affirmat: Eu maga Istuan kiraly halala utan yt temettete magat az nagy Oltar mellett az Evangelium feleul, az magas veres marvan keu koporso alat. Leanyaya kedeg Eursebet azzon temetteteek az Capitulum hazban az fezeulet eleut, mykeppen ot es meg irtak.“

De Coronatione Regis Ladizlai Quarti, filii Stephani Quinti.

*Ladislau IV. infans adhuc, Regnorum curam suscipit
Anno 1272.*

Cui successit Ladizlaus, filius eius, et coronatus est eodem anno, quo mortuus est Pater eius, videlicet anno Domini millesimo ducentesimo septvagesimo tercio. ¹⁾ Qui Rex Ladizlaus anno Domini millesimo ducentesimo septvagesimo sexto, Imperatore adiuvante, circa Moraviam occidit Regem Othocarum supra dictum in prelio. ²⁾

¹⁾ Quum immatura mors Stephanum V. sexta Augusti rapuerit; Ladislaus vero iam in Quindenis S. Stephani, se inunctum esse Dalmatinis his verbis insinuaverit: „Vestra noscat fidelitas, quod nos simus regni nostri diademate insigniti, et coronati gratiam per divinam.“ Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 37. coniectura haud inprobabili licet assequi, eum S. Stephani festo, quod illo anno in diem Sabbati incidit, adeoque decima quarta a morte patris die, solium conscendisse. Quo tempore eum Andreas de genere Kaplon incurvo fuste percussisse, in an. 1278. tabulis ita testatur: „qui in regno nostro (forte regio solio) ad Maiestatem nostrae Serenitatis, ferocialiter irruendo, post nostrae coronationis tempus, cum coronatus Rex fuisset, cum cambuca percutiens, quae inaudita, et inconvenientia fuere omnibus, puduerunt personam Regiam turpissimis et enormibus verberibus poeniteri.“ Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 426.

²⁾ Ladislaus initio statim regiminis bellum cum Ottocaro habuit, ut e Codice Epistolari citato, nec non Gregorii X. Pontificis litteris ad Ladislaum, et Ottocarum an. 1272. exaratis liquet Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 61—66. 122—123. 166—168. 233—235. 267—271. 397—401. quod anno 1276. sopitum p. 320—328. anno demum 1278. recrudit. p. 453—461. ac Ottocarus 26. Augusti occubuit; quemadmodum Rudolphi Habsburgici eius rei testes litterae cuidam Principi scriptae perhibent: „Scias

— quod nos feria quinta proxima post festum Bartholomaei Apostoli (25. Augusti) eo loco locavimus castra nostra, quo a tentoriis dicti Regis Boëniae vix ad spacium dimidii milliaris Teutonici distabamus. — Mane vero sextae feriae subsequentis, una cum dilecto filio nostro Rege Hungariae procedentes — hora diei quasi sexta inter nos gravis pugna committitur; in qua dictus Rex Boëniae, more strenui pugilis, viriliter se defendens, tandem victus, occubuit.“ Ibid. Conf. etiam p. 519.—521. 550.—551. et Kezae Chron.

Cumanos prelio vincit Anno 1270.

Postea, cum anno Domini millesimo ducentesimo septvagesimo secundo, Oldamur Dux Cumanie, congregato exercitu Cumanorum, circa lacum Hood vocatum, volens hostiliter Regnum invadere Hungarorum, ut suo dominio subiugaret; contra eum Rex Ladizlaus, ut fortis Iosue, pro gente sua et regno pugnaturus accessit. In cuius exercitu Lorandus filius Thome, miles strenuus, contra Cumanos lanceavit cum impetu virtutis sue, et laudabiliter percussit plurimos et prostravit. Postea, cum prelium committeretur inter partes fortissimum, subito et inopinante, ex divina clementia, pluvia grandis exoritur contra faciem Paganorum; et qui in arcubus sperabant et sagittis, propter, ymbrium densitatem, iuxta propheticum, facti sunt, ut stercus terre. Et sic Rex Ladizlaus victoriam obtinuit, divino fretus auxilio. ¹⁾

¹⁾ Manus cum Cunis anno 1282. conseruit; lege sis Martini IV. Papae gratulatorias de parta hac victoria II. Kal. Octobr. ad Ladislaum datas. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. III. p. 136.—138. et Elisabethae Reginae an. 1284. tabulas, quibus Lucacsio victoriam de Cunis relatam nuncianti terram Atad contulit: „cum Ladislaus, illustris rex Hungariae, consors noster carissimus, contra perfidiam Comanorum Maiestati regiae renitentem, manu processisset armata, eorumque proterviam et infaustae temeritatis audaciam in campestri praelio, coelesti numine, contrivisset; nobisque annunciationem victoriae, in signum specialis gaudii per Luchacsium iuvenem nostrum, in acie regia militantem, sublimitas regia nunciaret.“ Hi Cuni, domestici fuerunt, quos Ladislaus an. 1279. „inter Danubium et Titiam, aut iuxta fluvium Kriss, vel inter flumina Morus, et Kris, aut ex utraque parte fluminis eiusdem, vel inter flumina Tymus et Morus, aut circa eadem descendere.“ ius-

sit. Lacus autem Hód ad oppidum Hód Mező Vásárhely in Provincia Csongradiensi trans Tibiscum campestri loco stagnat, qui, quod formam lunae corniculatae referat, Hód-Tó Hungaris dicitur. Perperam hunc Patriae Scriptores cum homonymo Transsilvaniae lacu ultra Claudiopolim sito confundunt; nam Ladislaus in an. 1288. tabulis, quibus Cod. Dipl. Tom. V. Vol. III. p. 409—412. Magistro Thomae dicto Tholpos, cuius etiam noster meminit, donationes fecerat, se bis decretoria pugna Cumanos vicisse testatur; nempe ad lacum Hód in Hungaria; dein vero in Valachia, en testimonium: „Nos igitur considerantes multiplices et laudabiles famulatus Magistri Thomae, quos exhibuit nobis in diversis expeditionibus regni nostri, et specialiter tunc, cum in Houd perfida gens Cumanorum ausu temerario contra nos convenerat: — praeterea etiam cum pro reducendis Cumanis, qui clandestine de regno nostro aufugerant, de finibus et terminis Tartarorum, quos nemo praedecessorum nostrorum peragraverat, ultra alpes, collecta multitudine Baronum, et Nobilium Regni nostri, accessissemus.“

De Secundo Adventu Tartarorum in Hungariam.

Novam Tartarorum in Hungariam irruptionem profligat Anno 1285.

Tandem postea, pauci de ipsis Cumanis, qui evaserant, ad Tartaros fugientes, quorum instinctu Tartari Anno Domini millesimo ducentesimo octvagesimo quinto, secunda vice in Hungariam advenerunt, et usque Pesth universa miserabiliter combusserunt. ¹⁾

¹⁾ Elisabetha Regina in an. 1285. diplomate Cod. Dipl. Tom. VII. Vol. II. p. 110. „cum in Castro Budensi inclusae propter metum Tartarorum fuisset, simul cum fidelibus Baronibus, ac Iuvenibus domus nostrae, ac Civibus Budensibus, intuentibus nostrae Maiestatis oculis irruentes contra Tartaros, Regni nostri capitales inimicos.“ Vid. etiam Tom. V. Vol. III. p. 299—303.

*Partem tamen bellis gloriam vitii obfuscata, maximoque
Religionis, et Regni damno, Cumanarum amoribus irretitum
Curia Romana ad saniora reducere nititur
Anno 1279.*

Iste enim Rex Ladislaus filiam Regis Karoli de Apulia in coniungium habebat; ¹⁾ sed spreto thoro coniugali, filiabus adhesit Cumanorum, Eduam, Cupchech, et Man-

dulam vocatas, ²⁾ ac alias quam plures, in concubinas habebat, quarum amore cor eius est merito depravatum, et a suis Baronibus, et a regni Nobilibus odio habebatur. ³⁾ Hinc insuper contra eum, quia Cumanice, et non Catholice conversabatur, Philippus Firmanus Sedis Apostolice Legatus advenit; qui barbas radere, crines detruncare, contra mores Hungaricos ⁴⁾ et pileos Cumanicos, quorum usus in Hungaria iam in consuetudine habebatur, abicere demandabat. Regem etiam anathematis vinculo feriens, ut paganos odiret, ritumque Christianorum diligeret, et thoro viveret coniugali; sed nichil proficiens, repatriavit. ⁵⁾

1) Saepe nominatam Elisabetham.

2) Ne modum in vaga licentia tenere cogeretur, coniugem suam in coenobio detinebat; ut ex an. 1289. Elisabethae litteris liquido confit: „dum non nostris meritis, sed iniqua ex suggestionem aemulorum nostrorum apud Ecclesiam B. Mariae V. de Insula Budensi, per illustrem Principem Dominum Regem Ladislaum, consortem nostrum, karissimum, in ergastulo carceris conclusae fuissimus indigne, et per spatium non modici temporis detentae.“ — Cod. Dipl. Tom. V. Vol. III. p. 462. et p. 493—494.

3) Dum odiis necquidquam moveretur, de eo intercipiendo consilium iniere: „cum per Fintha Palatinum captivati fuissimus.“ inquit in an. 1278. diplomate. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 426. et Elisabetha mater, maior Regina in an. 1281. charta: „Et quia dominus Rex, filius noster karissimus, per seviciam quorundam infidelium regni nostri, et audaciam temerariam, quod dictu nephandissimum, captus detinebatur.“ — Eadem carceris incommoda experta fuit etiam Elisabetha eius consors: „dum Baronum nostrorum quorundam perfidia, captiva in Castro Turul, in eius custodia morabamur.“ Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 217. — Ibid. Vol. III. p. 129. — denique ipse Ladislaus in an. 1288. tabulis: „priora et autentica sigilla nostra, propter perturbationes et dissensiones regni nostri; quas ipsum regnum nostrum, et nos perpassi sumus, propria in persona confringendo.“ — Habitus corporis Ladislai, et vultus erat, in quo deperiebant mulierculae. Qua facie fuerit, Simon de Keza testis est, qui Chronicon ab se compilatum hoc ei tenore inscripsit: „Invictissimo et Potentissimo Domino Ladislao Tercio, Gloriosissimo Regi Hungariae, Magister Simon de Keza, Fidelis Clericus eius, ad Illum aspirare, cuius Pulchritudinem mirantur Sol et Luna.“

4) Conf. Ladislai an. 1279, tabulas. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 512—519

5) Nicolaus III. Pontifex, audito Hungariae perturbato statu, Philippum Firmanum Episcopum, Legati munus in Dalmatia obuntem, in Hungariam proficisci iussit, cuius prudentia, et lenitate Rex sensim meliora amplexus, vitata Cumanarum consuetudine, in gratiam cum coniuge rediit, fidemque suam iuramento obstrinxit, daturum se operam, ut Cumani, qui sacris Christianis nondum essent initiati, haec deinceps amplectantur. Legatus hac Regis benevolentia usus, synodum Episcoporum Budam coëgit. Constitutionum synodi huius breviarum exhibet Raynaldus ad an. 1279. Katona Hist. Crit. Tom. VI. p. 812. Acta vero Péterffy Concil. P. I. et L. L. Eccl. Tom. II. — Quod sacris fuisset interdictus, nusquam consignatum invenio. Ceterum, ut erat, pro aetatis indole, in quamvis partem flexilis, iterum ad Cumanas defecit, resipuit iterum, atque saepius; sed vitia nunquam a radice correxit, ut ipsemet in an. 1288. donatione, quam Ecclesiae Strigoniensi fecerat, ingenue fatetur: „nuper nobis apud Strigonium resipiscere, praeteritis nostris de transgressionibus, auctore Domino, studio meliore pertractis.“ — Falsa est ergo Ioannis Christiani Engel consecutio: „und wenn der physische königsmord von haidnischen Cumanern verübt worden ist, so fällt der moralische dem damahligen Clerus, und der Curia zur Last.“ Geschichte des Ungr. Reichs edit. prim. Tom. I. p. 440.

*In retractatos antea errores, inque pristina vitia lapsus,
per Cumanos interficitur Anno 1290.*

Post in brevi, ipse Rex Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, feria secunda proxima ante festum Margarete Virginis, 1) prope Castrum Kyriz-Zug 2) ab ipsis Cumanis, quibus adheserat, specialiter Arbuz, 3) Turtule, Kemenche, ac eorum cognatis et complicibus, quibus Communitas Cumanorum, habitis plurimis tractatibus et consiliis, commiserat, in suo tentorio, medio silentio noctis, oportunitate capta, diris vulneribus sauciatus, miserabiliter est interfectus. 4) In quo Rege, quia sine herede decessit, defecit semen masculinum Sanctorum Regum. 5) Pro cuius nece Myze Palatinus, olim Saracenus, tunc tamen gratiam baptismatis consecutus, audita morte Domini sui, predicti Regis Ladizlai, ad vindictam tanti sceleris se viriliter ponens, elapsis aliquibus diebus, post mortem ipsius Regis, una cum Lyze fratre suo, et Nicolao fratre uterino iam diete Edue concubine,

una dierum ad descensum ⁶⁾ predicti Arbuz veniendo, quasi in aurora, predictos Arbuz, et Turtule cepit, et ipsum Arbuz dividi fecit in duas partes, Turtule vero dimembrari; alios autem Cumanos de genere eorundem, ac omnes ad eos pertinentes, et quod plus est, etiam infantes in cunis, seu cunabulis iacentes, quos apprehendere potuit, iussit decolari. ⁷⁾

1) Seu decima Iulii 1290.

2) Nicol. Olahus in Hung. et Atila Lib. I. Cap. XVI. §. IV. „Inter tres Kewres Velocem, Nigrum, et Album, qui tractus Kewres-Kewz vocatur.“ Oppidum autem Körös-Szeg, a quo gens Comitum Csáky axioma habet, hodie perperam Kereszt-Szeg vocitatur, trans Velocem Chrysium, non procul Magno Varadino, in Bihariensi Provincia iacet, ubi hic fluvius sinum format, et ab hoc situ loco quoque nomen adhaesit.

3) Arbuz Ladislai, Cumana matre nati, cognatus fuit, ut in an. 1289. Diplomate docet: „cum Venerabilis P. Petrus, Dei Gratia Episcopus Transsilvanus, ex praecepto et mandato Ven. Patrum, Lodomerii videlicet Strigenien, et Ioannis Colocen. Dei gratia Ecclesiarum Archiepiscoporum dicentium auctoritatem Sedis Apostolicae, se habere, et non ex motu proprio et voluntate — — Arbucz, Cumanum, cognatum nostrum, et duos nepotes eiusdem (qui forte Turtule, et Kemenche fuerint) dilectos et fideles nostros captivasset.“ Cod. Dipl. Tom. V. Vol. III. p. 454,—455.

4) Causa necis adhuc in incerto posita est; doctiss. D. Stephanus Horvát in an. 1833. Tudom. Gyűjt Tom. IX. p. 81. ex an. 1307. diplomate se didicisse memorat, Omodaeum quoque Palatinum de Genere Aba satum, in eius mortem conspiravisse, praecipuumque caedis autorem fuisse; id quod etiam e Caroli Regis an. 1312. charta non obscure colligitur Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 443.—444. Hinc iam licet inferre, foedis Cumanarum amoribus, quum tam enorme facinus nefarii parricidae perpetrarent, haudquaquam litavisse. Periiit autem optimo aetatis vigore; nondum enim vigesimum et octavum annum exegerat.

5) Agriense Capitulum in an. 1304. litteris: „cum regnum, successionem regia per lineam masculinam, post mortem Ladislai, bonae memoriae, fuisset destitutum.“ Verum non in illo, sed in Andrea III. stirps Arpadiana, ex qua trecentis annis Reges Hungariae imperarunt, extincta fuit. Andreas in an. 1290. tabulis: „in regnum nostrum iure, et ordine gentiture nobis debitum intravimus.“ Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. I. p. 52.

6) Descensus, hospitatio, vulgo, Szállás.

7) Cunos Bela IV. recepit in Hungariam an. 1238. qui per Tartaros victi, ius civitatis sibi flagitarunt, iisque tractus fluminibus Tibisco, Chrysio, Marusio, et Temessio, adsitos donavit, atque pro eorum Iudice Regni Palatinum constituit, qui causas inter ipsos exortas, assidente Generationis Principe, seu Capite, discuteret. Septem autem fuere Generationes, ut Ladislai III. Regis cognomento Cuni privilegium an. 1279. iis concessum tenet. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 512.—519. Quae etiam in totidem Sedes divisae fuisse videntur; saeculi tamen XIV. XV. et XVI. Regum Tabulae, a me visae, duntaxat quatuor memorant, videlicet: Misze, quae Palatini, cuius noster, ut vindicis meminit, nomen refert; Ketske-Méth, Kalbász, et Hallas. Harum vero quaelibet rursus plures Descensus complectebatur, ut sunt: Belén Szállás, quem Descensum hodie Iász-Berény nominamus; Arok-Szállás, Szombat-Szállás, Iakab-Szállás, Tatár-Szent-Miklósi-Szállás, Majos-Szállás etc. Cunorum Libertates Augusta Maria Theresia iure postliminii 6ta Maii 1745. restituit. — Ceterum horrendi, atque detestandi sceleris vindicta iure ad Misze Palatinum spectabat. Quia vero Nicolaus quoque Eduae concubinae frater, in ulciscenda tam indigna Regis sui nece, partem habuisse noster testatur; certum est, Cumanas in eius mortem haud conspirasse: nam si eius soror rea fuisset, utique vindicem agere minime potuisset. De quo Poseniense Chronicon: „Arbuz, Turtel — Nicolaum fratrem Aydua dictum, letabiliter — vulnerarunt.“

Funesta Hungariae sub Ladislao, cognomento Cuno facies.

Tempore enim istius Regis Ladizlai incepit Hungaria a sua magnifica reflecti gloria in casus flebiles et eventus; ceperunt in ea intestina bella consurgere, ¹⁾ civitates confringi, ville per combustiones ad nichilum redigi, pax et concordia penitus conculcari, divites deficere, et nobiles rusticari pre inopia paupertatis. In illo tempore biga, scilicet duarum rotarum vehiculum, a regni incolis currus Ladizlai Regis dicebatur; quia propter continua spolia, animalia vehicula trahentia defecerant in Regno; sed homines, more pecorum, bigis iuncti, animalium vires impendebant. Idemque Rex Ladizlaus sepultus esse dicitur Chanadini. ²⁾

¹⁾ Eius rei ipse Rex testis est in an. 1276. litteris: „in praesenti guerra, et conflictu, quem habuimus contra nostros Infideles.“ Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 331.

2) Chronici quoque Posoniensis testimonio: „Corpus autem Ladislai tumulatur Chanadini in ecclesia cathedrali.“ — Sunt, qui cum Haselbachio apud H. Pez Tom. II. col 763. primum Chanadini, postea vero Varadini conditum asserant; verum rei Chronicon Varadinense, uti nec Capituli Statuta L. L. Eccl. Tom. III. p. 224 Rubrica XXXIX. in qua Principes Varadini tumulati recensentur, meminerunt. Haselbachius itaque Scriptor extraneus, Ladizlaum Cunum errore ex humonymia orto, cum S. Ladislao Rege hic sepulto confundit.

De Coronatione Regis Andree Tercii, qui fuit Nepos Regis Andree Secundi.

*Post Ladislaum inprolem, Andreas III. legitimo iure
Coronam Hungariae adipiscitur Anno 1290.*

Post cuius Regis mortem, eodem anno, decimo octavo die, ¹⁾ Andreas Dux de Venetiis, coronatur. Qui vivente adhuc Ladizlao Rege adductus in Hungariam fuerat. ²⁾ Cuius Andree Regis ortum et originem videamus, qua ratione meruerit Coronam Regni accipere: Cum enim Rex Andreas Secundus, Pater Quarti Bele Regis, et Colomanni Ducis, mortua prima uxore sua, vel potius interfecta, ut superius dictum est, Mare, ad mandatum Ecclesie, transfretasset in Terram Sanctam, ad expugnandum pro Sepulchro Domini; ubi victor existens, revertebatur feliciter cum honore. Tandem in Italiam applicuit, et quadam vice apud Marchionem Estensem est magnifice hospitatus. Ille vero Marchio cognoscens Regem esse viduum, filiam suam excellenter pulchram et bene ornatam, conspectui Regis fecit astare ad mensam. Rex vero videns eam pulchram et suis oculis graciosam, cum absque hoc ducere vellet uxorem, cum eadem domicella, eodem die contraxit matrimonium, et in Hungariam secum duxit. Mortuo vero Rege Andrea, Domina ista volens redire ad parentes suos, convocatis Principibus Regni Hungarie, Archi Episcopis et Episcopis, se gravidam prole, manifestis indiciis demonstravit; et sic reversa est in terram suam Esth vocatam, et ibi apud patrem suum puerum masculum peperit, quem in Baptismo Stephanum vocaverunt. Qui nutritus et edu-

catus sub hoc titulo, quod esset filius Regis Hungarie, tandem ad ultimam etatem deveniens, usurpare dolose Marchionatum voluit Avi sui; sed idem Avus suus prevalens ipsum, remotius aufugavit. ³⁾ Et sic ipse Stephanus abiit in Hispaniam ad Iacobum Regem Aragonie, qui habebat in uxorem sororem istius Stephani, filiam Regis Andree, Regis Hungarie; ⁴⁾ et ibi aliquandiu commoratus, iterum in Italiam veniens, electus est a civibus potestas ⁵⁾ in Ravenna. Inde fugatus, venit Venetias; ibi autem vir quidam, civis Venetensis, civitatis potior et ditior, ⁶⁾ cognoscens et sciens veraciter hunc esse filium Regis Hungarie, tradidit sibi filiam suam in uxorem, ⁷⁾ et omnium bonorum suorum participem cum constituit. Ex illa autem habuit Stephanus filium, quem Andream vocavit nomine patris sui. ⁸⁾ Qui Andreas auxilio et consilio avunculorum suorum, qui erant infinitarum divitiarum, vivente adhuc Rege Ladizlao, in Hungariam subintravit eo, quod esset Dux, qui deberet habere portionem in Regno Regis Andree, titulo avi sui. ⁹⁾ Cum autem fuisset occisus Ladizlaus, a Baronibus Regni feliciter coronatur. ¹⁰⁾ Qui anno secundo regni sui, cum exercitu maximo Austriam debellavit. ¹¹⁾

¹⁾ Chronicon Varadinense: „Tertio autem decimo die obitus eiusdem Ladislai Regis, Andreas Dux, nepos scilicet secundi Regis Andree — coronatur:“ seu 23. Iulii, qui fuit dies Domini; haec mihi prae nostri chronologia, praeplacet, quod an. 1290. decimus octavus a caede Ladislai dies, in 28. Iulii, seu diem Veneris inciderit.

²⁾ Nimirum anno 1278. post Andree, Ladislai fratris interitum. Cod. Dipl. Tom. V. Vol. II. p. 471—472. et Tom. VI. Vol. I. p. 303—304, quem eo anno e vivis ereptum fuisse, colligitur ex Rudolphi Imp. litteris apud Katona Hist. Crit. Tom. VI. p. 740—742, qui Andree submersionem, cuius etiam compilator Rer. Boicar. apud Oefel Tom. II. p. 339, et Australis Hist. plenior. apud Freher Tom. I. p. 480. meminerunt, in dubium vocat, censetque non hunc Andream, verum impostorem illum, qui Andree Regi paulo post coronationem negotia facesserat, aquis haustam fuisse; assertumque suum, Andree Regis diplomate per Carolum Wagner in Diplom. Sáros p. 304—306. vulgato probare contendit; ex quo tamen asserti veritas neutiquam elicitur. Nec Dlugossus saeculi XV. scriptor narrationis auctor est; testibus enim Hagiographis Vitam Beatae Cunegundis ex alia antiquiori Cathedra-

lis Ecclesiae Cracoviensis, adnixtis quibusdam male consarcinatis, adornavit. Cum, porro, Andreas multo prius in Hungaria fuerit, quam Ladislaus interficeretur; eius in Hungariam adventum Chronicon Austriacum apud Freher Tom. I. p. 468. Australis item Hist. pars plenior, Ibidem p. 480. nec non Leobicense Chronicon apud H. Pez Tom. I. col. 868. male ad illud tempus, quo iam Ladislaus non vixit, collocant, Ladislaique fratrem Andream, cum Andrea Veneto confundunt; quorum errores dedocet Ioannes Christianus Engel Zeitschrift von und für Ungern II. B. 2. H. S. 182.

³⁾ Andreas secundis nuptiis, post caedem Gertrudis, Iolantam sibi copulavit. Beatricem vero, Aldrovandini, Marchionis Estensis filiam, anno primum 1234. adeoque uno duntaxat ante mortem suam anno, duxit, Tabulas pactionis exhibent. I. Lünig Cod. Dipl. Ital. Tom. I. p. 1581. Pray Annal P. I. p. 24. Katona, alii-que passim. Certum praetera est, Andream II. non per Italiam in Hungariae regnum revertisse; nec Beatricem ad patrem, qui vicenis ante reditum annis, extinctus est (Schier Regin. Hung. p. 204.) rediisse: sed ad patruum Azonem. — Paternum tamen Andreae stemma diplomatibus conforme expromit.

⁴⁾ Quippe Iolantam ex cognomine secunda coniuge filiam, quam dote duodecim millium marcarum argenti constituta, Iacobo Arragoniae Regi an. 1235. paulo ante mortem collocavit.

⁵⁾ Potestas, in Italia praesertim, appellatus supremus Civitatum liberarum Magistratus, qui aliunde, quam ex ipsismet civitatibus eligebatur, et summo iure civibus in rebus bellicis perinde, ac civicis imperabat, eiusque functio annua erat, Gloss.

⁶⁾ Erat is ex Maurocenorum familia.

⁷⁾ Thomasinam, quae anno 1291. ad filium in Hungariam venit. Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. I. p. 185 ac iure Reginarum Hungariae gavisae, etiam donationes faciebat. Ibid. p. 306—317.

⁸⁾ Andreas iam ante adventum suum in Hungariam titulo Ducis Hungariae utebatur: „tempore Ducatus nostri, cum nos extra regnum fuissetus.“ in anno 1293. diplomate ibid. pag. 247—250.

⁹⁾ Id quod Andrea, Ladislai fratre mortuo, ipso autem Rege Ladislao improle, ab Regni Ordinibus, de throni successore admodum sollicitis, haud gravate impetravit.

¹⁰⁾ Multa tamen obstacula prius superanda erant, quam regni possessionem adiret, sibi-que firmaret; invitatum enim ad peragendam coronationem, cum ex Slavonia movet, Ioannes Comes Castri Ferrei, Henrici Bani filius, ex insidiis intercept. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. I. p. 236—240. et 299—301. et Tom. VII. Vol. IV. p. 238. Videtur autem ex coeca Curiae Romanae adhaesione id fecisse; nam Nicolaus IV. P. P. ex S. Stephani in matrem Ecclesiam devotione, Hungariam ad Sedem Romanam pertinere ratus, Ibid.

p. 76—90. Regnum, caeso Ladislao, ad sedem Apostolicam esse devolutam praetendebat, hocque iure Carolum Martellum, Hungariae Regem dare constituit. Cuius Legatus, Episcopus Alsinus, Ioannem quoque ad suas partes pertraxit; qui, utut postea V. Cle-ri Hungariae opera resipuerit, legitimoque Regi Andreae reconciliatus sit: anno tamen 1299. rursum a fidelitate descivit, Bonifacioque VIII. per litteras significavit: „quod nulli regi Hungariae pareret, aut intenderet, seu obediret, nisi destinato, seu approbato a sede praedicta.“ Ibid. Vol. II. p. 225—226. — Alter, qui dubium ei reddidit reginem, Rudolphus Caesar erat; hic enim perinde Hungariam filio suo Alberto, fiduciario iure contulit. Ibid. Vol. I. p. 47—48. Tertius vix coronato aemulus fuit impostor quidam subornatus, qui se Andream, Ladislai fratrem mentiebatur, regnumque turbis miscebat; quem tamen cum complicibus mox in ordinem redegit. Hos mariti aerumnas Fienena consors, Zemomisli Cuiaviae, seu Vladislaviae filia, quam adhuc ut Dux sibi sociavit, in an. 1291. tabulis Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. I. p. 90.: „longarum et immensarum tribulationum inquietissimas tempestates.“ vocat.

¹¹⁾ Anno 1291. „cum contra Albertum Ducem Austriae, filium Regis Romanorum, pro iniuria nobis illata, nostrum exercitum ammovissemus.“ Ibid. p. 116—118. in alio autem aequae an. 1291. diplomate ibid. p. 125—128. „in conflictu, quem contra Dominum Albertum, Ducem Austriae, et Stiriae, nostrum, et regni, eo tempore, capitalem inimicum habebamus.“

Quomodo in preiudicium Regis Andree, Karolus puer, per Papam in Hungariam pro Rege mittitur.

Ei tamen Bonifacius VIII. Pontifex Carolum Robertum opponit Anno 1299.

In cuius imperio quidam Nobiles Regni, Iohannes scilicet, et Henricus Banus, filii Henrici, ac alii quam plures, in preiudicium Regis Andree, a Papa Bonifacio Octavo Regem, ut dicitur, petierunt. ¹⁾ Quorum instantiam Papa admittens, quemdam puerum undecim annorum, nomine Karolum, Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, vivente adhuc Andrea Rege, in Hungariam destinavit. ²⁾ Cuius quidem Karoli generatio et origo, tali modo habetur: Rex Stephanus Quintus, filius Bele Quarti Regis Hungarie, inter alias filias,

habuit unam nomine Maria vocatam, qui Karolo Claudio, filio Karoli Magni, qui ex donatione Ecclesie fuit Rex Sicilie, tradiderat in uxorem, qui Rex Karolus Claudus, ex illa filia Stephani Regis genuit Karolum Marcellum vocabulo. Karolus vero Marcellus ex filia Imperatoris Rudolphi, Clementia nomine, genuit filium, quem primo in terra sua vocaverunt Karobertum, quasi Karolum Robertum; in Hungaria autem, ablato Roberto, ipsum Hungari Karolum vocaverunt. Ut autem iste Karolus regnare valeret, et contra Andream Regem potestatem acciperet, Papa prefatus, Legatos unum, et alium de latere suo, contra Andream Regem, pro Karolo destinavit: ³⁾ qui nichil agere valentes, ad propria redierunt.

¹⁾ Ioannes, et Henricus, teste Carolo Wagner Collect. Geneal. Hist. Familiar. Dec. I. §. VI. p. 91. et sequ. de Genere Oslati, adeoque Cumani erant; qui ob egregiam Carolo Regi navatam operam, Castro Kanisa an. 1324. donati, abhinc de Kanisa scribi, vocarique coeperunt. Turótz P. II. Cap. LXXXII. inter Patriae proditores etiam Ugrinum, quem Schwandtneriana editio perperam Ugemus expressit, filium Pouch de Ujlak, memorat, qui teste Poseniensi Chronico, de genere Csák fuit „Ugrinus filius Magistri Pous de genere kak.“ Ioannis litterae, quibus Bonifacio VIII. significavit „quod nulli, tanquam Regi Ungariae pareret, aut infenderet, seu obediret, nisi destinato, seu approbato a Sede Apostolica.“ legi possunt etiam apud Odor. Raynaldum ad an. 1299. nro. XV. Lib. V. Epist. 92. Katona Tom. VI. p. 1227—1228. qui tamen contrarium ex iis sensum elicit, intulitque, Andreae principatum etiam per sedem Apostolicam approbatum fuisse, nec Bonifacium ad eum exactorandum, sed ad procurandam potius ei obedientiam elaborasse. Quae consecutio erroneo nixa supposito, falsa omnino est. Nam Fenenae Reginae donatio Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. I. p. 90—94. vulgata, litterae item Bonifacii VIII. ibid. Vol. II. p. 225—226. editae, exerte docent, V. Hungariae Clerum Regni Iurium trenacissimum, anathemate infideles, et Curiae Romanae ultra ius, ac aequum adhaerentes ferisse; quos inter Ioannes quoque fuit, ob idque in citata epistola Bonifacio supplex fuit „ut sibi et — complicitibus, et fautoribus, de absolutionis beneficio provideri misericorditer faceret.“ Quem errorem haud admissurus erat, si Lodomerius aeterna memoria dignus Strigoniensis Archiepiscopus, de Genere Monoszló, Reipublicae bono, natus, an. 1298. ingenti Andreae, Regnique damno vitam non clausisset. Eo etenim mortuo, Ioannes cum complicitibus, quos iam antea bello Rex coër-

cere debuit, ad Bonifacium recurrerunt; qui occasione utendum ratus, Gregorium de Genere Katupany (Pray Hierach. P. II. p. 164.) Albensem Praepositum, et postmodum in Strigoniensem Archi-Episcopum electum, Procuratorem Strigoniensis Ecclesiae usque ad beneplacitum suum constituit. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 221—225. „Hic Regis infideles sententiam excommunicationis incurruentes, irrequisito Excommunicatore, absolvit, litterisque Praelatos, nullo iuris ordine observato, nullaue iusta causa assignata, contra Andream, alio praetextu Veszprimium, in medium infidelium, et turbatorum pacis Regni, ac locum periculosum, et omnino suspectum accersiri iussit.“ Ibid. p. 201—207. Andreas igitur, cum vivo sibi aemulum opponi videret, moerore animi sensim tabescens, vivere desiit.

²⁾ Et eum, contra Gentium Iura. Zagrabiae, a Gregorio Strigoniensi electo, in Regem Hungariae inungi iussit. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 313—316. ubi „cum magnificus vir Carolus — per dilectum filium Strigoniensem electum — in eiusdem Regni Hungariae Regem fuisset antea (ante an. 1301.) coronatus.“ — Hic Gregorius in tumultu, quo Bonifacius instinctu Philippi Regis Franciae captus fuit Anagninae, a filiis Columnae 7. Septembr. 1303. caesus est, vitaequae, non item turbarum, quas cierat, finem posuit.

³⁾ Anno 1301. Nicolaum Ostiensem Episcopum destinavit. Ibid. p. 309—320. — p. 313: „Romanus Pontifex super Reges et Regna constitutus a Deo, in Ecclesia militanti summus existit, et super omnes mortales obtinens principatum; sedensque in solio iudicii, cum tranquillitate iudicat, et suo intuitu dissipat omne malum.“ — Conf. etiam Tom. VII. Vol. I. p. 54—65. nec non p. 120—138.

Contracta hinc animi aegritudine, aut, ut aliis placet, veneno sibi clam porrecto consumptus, vivere desiit Budae Anno 1301.

Interim Anno Domini millesimo tricentessimo primo, in festo Sancti Felicis in Pincis, ¹⁾ idem Rex Andreas in Castro Budensi, ²⁾ requievit in Domino, et sepultus est in Ecclesia Sancti Iohannis Evangeliste apud Fratres Minores. ³⁾

¹⁾ Agnes Regina vidua in litteris anno 1324. editis, quibus pro Andrea coniunge, ac semet ipsa anniversarium apud Fratres Minores Viennae fundat: „süllent begen unsers lieben herren seligen Iartag Chuniges Andren von Ungern Felicis in Pincis, und ouch unseren Iartag.“ Hergott monum. Aug. Domus. Austr. Tom. III. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 568—570. — Vide etiam an. 1305. eius tabulas ibid. Vol. I. p. 191—193. De emortuali

Andreae die convenit inter Scriptores, Katona Hist. Crit. Tom. VI. p. 1248—1249. eum XIV. Ianuarii mortuum scribit, postquam undecimum regni annum quinque mensibus, et septemdecim diebus inchoasset. Illius sententiae est etiam meritissimus Codicis Dipl. Hung. Auctor. Tom. VI. Vol. II. p. 326. et. Tom. VIII. Vol. I. p. 54. Ceterum Antonius Pilgram in Calend. Chron. medii aevi p. 209. docet; Felicem IV. Ianuarii cultum fuisse. Cum autem idem Felix Nolanus, dictus sit Martyr, et in Pincis, similitudo nominum fecit confusionem, et Romae eius memoria etiam XIV. Ianuarii agebatur; cum tamen Felix in Pincis, sit idem, qui Felix Nolanus. In Brixiensi denique Calendario ad diem XIII. Ianuarii recurrere inquit. In Hungaria quoque XIV. Ianuarii agebatur eius memoria, ut seculi XIII. Calendarium in Missali MSC. Bibliothecae Regnicol. et in Zagrabien. Missali Venetiis an. 1511. procuso occurrens testantur, quae cum Agnetis Andreae viduae tabulis, anno 1301. Budae tertio die Octavarum Epiphaniae Domini post obitum Andreae Regis, seu XIV. Ianuarii confectis bene cohaerent. XIV. Ianuarii, seu festum S. Felicis in Pincis, eo anno in diem Domini incidit. — Ex Fenena unicam filiam Elisabetham suscepit, quam Venceslao Bohemiae, ac Poloniae Regis cognominis filio despondit. Verum a sponso regnum an. 1305. cappessente, ad thalamum haud admissa, vicissim Henrico Austriae Duci per novercam destinata, in Thossano Turgoviae coenobio Dominicanarum Virginum velum assumpsit. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 311. Secundam uxorem Agnetem, Alberti Ducis Austriae filiam, spe masculae prolis procreandae an. 1296. duxit, dote Comitatu Poseniensi, atque Insula Citnorum constituta. Diplomatar. Styriae, inter Senoviensia N. 129. Pray Annal. P. I. p. 364. ex qua tamen improlis mansit, et virilem Arpadi stirpem in se extinctam tumulo intulit.

2) Alias Castro Novo, Montis Pestiensis.

3) In Castro Novo, Montis Pestiensis, quam Sacer ordo an. 1686. quo Buda die 2. Septembr. recepta fuit, a fundamentis, praeter turrin, instauravit; quo subin Iosephi II. Augusti iussu abolito, usque an. 1817. clausa mansit, eo demum anno pro Militia Praesidiaria, opera Serenissimi Ferdinandi de Este Archiducis Austriae reserata, ac pristino cultui restituta est. — Andreas in prosequendo sacro hoc Ordine, quod apud illos sepeliri voluerit, Agnetis exemplum secutus est, quae a Sacris quoque Confessionibus S. Francisci filium habuit, quemadmodum in an. 1296. tabulis Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 20—22. ipsamet testatur „Informantibus nos, et conscientiam nostram D. Ioanne Archiepiscopo Colocensi, Antonio Episcopo Chanadiensi — ac specialiter fratre Henrico de Ordine Fratrum Minorum, Confessore nostro, qui de Almania per D. Albertum Regem Romanorum, patrem nostrum charissimum, et D. Reginam matrem nostram specialiter fuerat

destinatus.“ — Et Chronicon Koenigsfeldense Sec. XIV. „Nu hatt der künig vil zites einen bichter vss predyer orden (Dominicanum) gehept. Aber fraw Agnes künigin zoch den künig ze bichten de den brudern, und schuolt öch, dass der king erwelt sin begrepte ze Ofen bi den brudern, do wart er öch mit grossen eren begraben.“ — „Budensis Conventus S. Ioannis Evangelistae sacer, a Serenissimo Bela huius nominis IV. Rege anno Domini 1270. regio aedidificio constructus fuit.“ Wadingus.

Mortuo Rege Andrea, Ladizlaus, vel potius Vencezlaus filius Regis Bohemie, contra Karolum in Hungariam inducitur, et in Albensi Civitate honorifice coronatur.

Hungari, ad tuendam Electionis libertatem, postposito Carolo, Wenceslaum Bohemum, in Regem eligunt Anno 1301.

Postea, mortuo Rege Andrea, Barones Regni in duas partes eodem anno celerius dividuntur; ita, quod Mattheus, ¹⁾ Omodeus, ²⁾ et Ugrinus, ³⁾ potentissimi in Regno, ac alii Nobiles quamplures Karolo puero adheserunt, eum Regem nominabant verbo, sed non facto. Dominicus vero filius Stephani dicti Porch, Magister Tavarnicorum ⁴⁾ quondam Regis Andree, Demetrius filius Nicolai, Henricus filius Henrici, ⁵⁾ viri valde magnifici, cum Iohanne Archiepiscopo Colocensi, ⁶⁾ et Andrea Episcopo Agriensi, Emerico Episcopo Varadiensi, Haab Episcopo Vaciensi, Antonio Episcopo Chanadiensi, Nicolao Episcopo Boznensi, ⁷⁾ et Iacobo Episcopo Scepusiensi, cui usque vitam concessus fuerat Episcopatus; ⁸⁾ in mense Iulio ⁹⁾ versus Bohemiam processerunt ad Regem Vencezlaum, ut Regni susciperet gubernacula Hungarorum, ne Regni libertatem amitterent in susceptione per Ecclesiam dati Regis. ¹⁰⁾ Ad ipsum autem Regem Bohemie ob hanc causam posuerunt gressus suos: quia Rex Othocarus, qui per Ladizlaum Regem fuerat interfectus, sicut est superius enarratum; habuit in uxorem filiam Domine Anne, filie Bele Regis Quarti, qui ex ea genuit filium nomine

Vencezlaum, qui regnavit in Bohemia, patre mortuo, multis annis.¹¹⁾

1) Matthaeus filius Petri quondam Palatini de Genere Chák anno 1299. aequae Palatinus. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 195—200. illo adhuc anno eius loco Opor est Palatinus nominatus. Erant autem Csákii, Szabolts Ducis Hungariae descendentes, qui hodieum in Kisfaludiis florent; Comites enim Csákii de Genere Akus, a Csakova, Temessiensis Comitatus possessione habent denominationem, quam Sigismundus Rex eis contulit; quemadmodum a Doctiss. D. Stephano Horvát accepi.

2) Omodaeus, hodie Amade de Genere Aba.

3) Ugrinns, filius Pous de Genere Chák.

4) Tár Hungaris cetera inter etiam Gazam denotat; Tavernicorum Regalium Magister itaque olim Gazae Regiae Praefectus fuit, quemadmodum hodiae E. Camerae R. H. A. Praeses, Thesaurarius Regius est.

5) Dominicus Tavernicorum Regalium Magister, erat una Comes Neogradiensis, et Simigiensis Provinciarum. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 228—230. et p. 326. Magister autem Demetrius Comes Poseniensis, ac Zoliensis. Ibid. — Timon Epitom. Chronol. post synchronum Ottocarum Horneck rhythmicum chronistam, Andream Regem per Dominicum, atque Demetrium, opera Itali famuli veneno sublatum scribit; cum tamen hi viri Andreae constanter fideles, post mortem quoque eius viduae adhaeserint, et nec deinceps Carolo, sed Venceslao faverint; in silentio aliorum coaevorum scriptorum vehementer dubito, ut suam extraneus Horneck narrationem ex illimis fontibus hausisset, aut Agnes vidua, quae vitam ad an. 1364. produxit, rem silentio pressisset. De Henrico autem conf. diploma Cod. Dipl. Tom. VIII. V. I. p. 183—190.

6) Intemeratae fidei virum, ac inconcussum Patriae libertatis praesidium incluta familia de Ilmur, hodie de Ürmény procreavit; an. 1278. ex vetero Budensi Praeposito Archi-Episcopus Colocensis electus, et Aulae Regiae Cancellarius vitam non ingloriam anno 1301. mense Octobri finiisse videtur; nam mense Septembri adhuc vixisse legitur Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 67—69. et Bonifacius VIII. octava Novembris Colocensem Ecclesiam suo Antisti orbatam, sedis apostolicae provisioni reservavit. Katona Hist. Archi-Episcopat. Colocen. P. I. p. 332.

7) Veneranda Hungaris nomina recensentur etiam in an. 1299. tabulis Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 201—207. et 228—230. ubi cetera inter „nobiles viri Symon, et Michaël Comites (orti ex Aragonia) nobis praesentibus, in generali parlamento, seu congregatione domini regis in Pest celebrata, ad dominum Andream illustrem regem Hungariae accedentes.“ — Ioannes autem Archi-

Episcopus Colocensis Aulae Domini Regis Cancellarius: Antonius denique Chanadiensis Aulae Domini Regis Vice Cancellarius; Nicolaus demum tum Syrmienensis Episcopus fuisse leguntur. Aliorum vitas in Historiis Episcopatum passim inveneris.

⁸⁾ Scepusiensem etiam Episcopatum Augusta Maria Theresia an. 1776. erexit; de origine vero Capituli huius Stephanus Kaprinai in Hist. Dipl. P. II. p. 187. disputat. Iacobi denique biographiam Carolus Wagner Analect. Scepus. P. III. p. 13—21. texuit.

⁹⁾ Ioannes Christianus Engel Hist. Hung. edit. prim. P. I. p. 472: „Die vaterländisch gesinnten Ungern — reisten am 5. Iuly 1301. nach Böhmen.“

¹⁰⁾ Si hos de Rege, ac Patria immortaliter meritos viros diutius vivere contigisset, nunquam Curiae Romanae factio in Hungaria praevaluisset.

¹¹⁾ Venceslaus IV. senior patrem Ottocarum, Cunegundem vero Belae IV. Regis filiae Annae filiam, matrem habuit.

Qui recusato Regno, Hungaris cognominem filium in Regem dat Anno 1301.

Qui Vencezlaus venire noluit; sed filium suum, ex filia Imperatoris Rodolphi procreatum et genitum, nomine similiter Vencezlaus, ¹⁾ in quadam villa Godyn vocata, circa Moraviam, ²⁾ ex parte Bohemie, ubi prefati Nobiles, et Episcopi convenerunt, in Regem Hungaris tradidit naturalem: et ipsi confectis Istrumentis literarum, et roborato fidei firmamento, unanimiter susceperunt. Ab hinc, Te Deum laudamus altissime proclamantes, ad Albam Civitatem Regiam devenerunt, ubi Iohannes Archiepiscopus Colocensis, cum Episcopis aliis superius nominatis, honorifice coronarunt. ³⁾ Sedes namque tunc Archiepiscopatus Strigoniensis vacabat. ⁴⁾ Inde Budam venientes, ibique Iohannes Archiepiscopus obdormivit in Domino, et Iacobus Episcopus Scepusiensis quievit in pace. Tumulantur autem in Ecclesia Sancti Iohannis aqud Fratres Minores.

¹⁾ Matre Gutha natum; cui Andreas III. filiam Elisabetham desponsaverat; sed post obitum Andree hac reiecta, teste Dobnero Monum. Tom. III. p. 259. matrimonium contraxit cum Fiola Tessinensis Ducis filia, ex qua nullam prolem suscepit.

²⁾ Godyn, hodie Göding trans Moravam fluvium, in Circulo Brunensi.

3) Quum pater 12. Augusti 1301. in diplomate Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 65.—66. filium necdum in Regem Ungariae coronatum fuisse asserat, videtur, 13. Augusti, qui dies Dominicus erat, aut certe festo Assumptionis B. M. V. esse inauguratus, Venceslaus enim Senior isthoc diploma in Kotsi Provinciae Comaromiensis loco edidit. Reprehensorias Bonifacii litteras, ob corona incinctum Venceslaum, ad Colocensem datas Vide Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 59.—62.

4) Gregorii nempe, qui Caroli partibus adhaeserat, tamquam factiosi, nec unquam per Andream, et Venceslaum recepti, ratio habita non fuit. De quo Posoniense Chronicon: „Sedes namque archiepiscopatus Strigoniensis vacabat, sed electus ipsius Ecclesie erat Gregorius filius Votend (Botend) Custos tunc Albensis Ecclesie.“

A Coronatione nomen Ladislai, omissio paterno, deinceps usurpavit.

Postea Rege iam dicto, quem Hungari Ladizlaum vocaverunt, ¹⁾ in Buda degente, nullum Castrum, nullum ius regale, nulla potentia, seu potestas, sicut Karolo puero, ex parte Baronum restituuntur; sed una pars Regni Karolum, altera Ladizlaum Regem appellabant nomine tantum, sed non effectum Regie potestatis.

¹⁾ Ut gentis favorem captaret, a coronatione nomen Ladislai, omissio paterno, deinceps usurpavit. Lege eius diplomata Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 67—68. 89—94. 115. 120. Exteri sane, inquit Cornides in Geneal. Reg. Hung. p. 50. Ladislai et Venceslai nomina pro iisdem habentes, saepe alterum cum altero commutarunt; quod iam et Cl. Muratorius in Ladislao Neapolitano Rege factum observavit Scriptor. Rex Ital. Tom. XXIV. Quid, quod ipsi etiam Hungari, Venceslaum Regem suum, e Bohemia evocatum, Ladislaum nominarunt, testibus patriis nostris Annalibus. “ An etiam Venceslaus, Basilius, seu Vladislaum significet, non disputavero.

Pater filium, cui praeter nomen Regis, fere nihil potestatis relictum erat, malam Hungaris pro beneficio gratiam rependens, in Bohemiam reducit Anno 1303.

Tunc Rex Venceslaus, pater Ladislai noviter coronati, videns et considerans palliatas versutias Hungarorum, Anno Domini millesimo tricentesimo tercio, cum

multitudine exercitus Pannoniam est ingressus, et iuxta Danubium circa Pesth aliquantulum residens, Ladizlaum filium suum, cum Corona Regni accipiens: et Ladizlaum filium Vernheri, Rectorem, seu Iudicem Budensem, et quosdam alios capiens, in suum Regnum, in pace revertitur ¹⁾.

¹⁾ Et Chronicon Poseniense: „Rex Wenceslaus pater eius considerans palleatas versucias, et non sanam partem Hungarorum, anno Domini M.CCC.III. — Pannoniam est ingressus, et Ladislaum filium suum, cum corona regni accipiens, et Ladislaum filium Werneris, et alios cives burgenses non nobiles capiens, in suum regnum revertitur in pace.“ Exteri Scriptores Venceslai adventum ad an. 1304. figunt, qui cum domesticis Annalibus conciliari possunt, si dicamus, Venceslaum adulto anno 1303. movisse, et initio insequentis Hungaria excessisse; quo tempore in Ecclesiam Strigoniensem, ob Michaëlem Archi-Episcopum e Zagrabienensi sede translatum, qui Carolinarum partium fuit, barbaramente descevit, ut Agriensis Capituli an. 1304. testimoniales apud Pray Hierar. P. II. p. 170. Katona Tom. VIII. p. 74—76. Cod. Dipl. Tom. VIII. V. I. p. 169—171. tenent: „Venceslaus Rex Bohemorum — pater ipsius Venceslai (per) potentiam dumtaxat introducti, tactus dolore intrinsecus, et volens obtinere potentialiter, quod iure non potuit, totam potentiam regni sui movit, intravitque regnum Hung. et in portu Kokoth (Párkány) nefandissima sua castra fixit, ut praedictum filium suum violenter in regem Hungariae faceret coronari.“ dein narrantur damna illata. Ante hac tamen idem Agriense Capitulum, Venceslaum pro legitimo Rege agnovit, ut eius litterae testantur.

Bonifacii VIII. Papae machinae ad admovendum solio Hungarico Carolum.

Eodem tempore Frater Nicolaus de Ordine Fratrum Predicatorum Episcopus Hostiensis Cardinalis, Apostolice Sedis autoritate suffultus, in Hungariam pro Karolo advenit; ¹⁾ qui Bude residendo diebus plurimis, videns se nichil posse proficere, reversus est in Curiam, et ibi, mortuo Bonifacio Octavo, in Summum Pontificem eligitur et creatur, et Benedictus appellatur. ²⁾ In suo autem recessu, Cives Civitatis Budensis, pro quodam casu, in interdicto reliquerat. ³⁾ Interdictum quippe Religiosis, et Plebanis stricte servantibus, surrexerunt quidam pseudo

Sacerdotes et perfidi, qui manifeste Divina populo celebrabant, et Sacramenta Ecclesiastica ministrabant publice in interdictis. Insuper, malum malo perniciosius cumulant, convocato populo, accensis lucernis, Summum Pontificem, Christi Vicarium, Archi-Episcopos, et Episcopos universos Regni Hungariae, ac viros religiosos, communiter excommunicatos altis vocibus promulgabant. 4) Hoc factum est in Castro Budensi, quodam dicto Petermanno regente Budensem Civitatem, quem pro Ladizlao captivo Rex prefecerat Vencezlaus. 5).

1) Bonifacii VIII. litteras an. 1301. lege sis apud Raynaldum, Pray Annal. Tom. I. p. 374. Katona Tom. VIII. p. 12. et sequ. Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 308—318. Tom. VIII. Vol. I. p. 54—65. ubi p. 61. ad Nicolaum Ostiensem et Vellethrensem Episcopum: „nolumus te latere, aut in dubium revocari, quod memoratum Ungariae regnum Sacro Sanctae Romanae Ecclesiae a Beato Stephano primo Rege Ungariae Christiano, cum omni eius iure ac potestate, devote oblatum fuit et traditum reverenter; qui etiam ad ipsius Regni solium noluit auctoritate propria sublimari; — et ideo non a quolibet, sed a Vicario Iesu Christi, et Successore Petri assumpsit regium diadema.“ — Ista eo sensu, quod S. Stephanus Summum Pontificem, pro Augusto Ecclesiae Capite agnoverrit, se sequere Ei in Rebus Fidei subiecerit, ac aevi sui more Coronam a Sylvestro II. petierit, vera sunt; Regnum tamen Hungariae semper liberum, quod non patrimoniale, verum electitium erat, non obtulit, sed invita natione nec offerre potuit. Imo, dum Gentilis Cardinalis in an. 1308. Comitibus (Cod Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 264—269.) memorasset, quod S. Stephanus Coronam Regni a Romano Pontifice consecratam acceperit „sub specie tuendae libertatis eiusdem Regni, inter ipsos Barones et Nobiles murmur, quod ipsius Domini Legati attingit aures, per que relam patulam in publicum productum exoriebatur; videlicet, quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod Ecclesia Romana, vel ipse Dominus Legatus eius nomine, saepe dicto Regno, de Rege ullatenus provideret; sed placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo et approbato eiusdem Regni more, vocaverant et in Regem assumerant, praefatus Dominus Legatus, eiusdem Ecclesiae nomine, in verum Ungariae Re em confirmaret; et quod etiam perpetuis futuris temporibus, veri Summi Pontifices, et ipsa Romana Ecclesia haberet ius confirmandi et coronandi Reges Ungariae, de vera regali progenie propagandos, quos ipsi unanimiter et concorditer de dicta progenie ducerent eligendos.“ Quem

admodum igitur Gens Hungara Sacrae Sedi Apostolicae, (a qua iuvamen et auxilium saepe saepius grata experta est) fuit, estque devotissima: ita in temporalibus se nunquam illi subiecit, nec eius dominium agnovit. Haec autem praetensio eo magis in quibusdam Pontificibus (nec enim omnes ius hoc fovebant) damnari debet, quo certius est, quod S. Stephanus Gentem nostram suis laboribus, citra Curiae Romanae influxum, ad Sacra Christianorum perduxerit; prout eius Legenda, patrique Annales testantur: et propterea, non vero ad consequendum in Hungaria temporale ius, Coronam ei, et Regium nomen, Apostolique titulum, Sylvester II. impertitus est.

²⁾ Electus 21. Octobr. 1303. assumptoque Benedicti XI. nomine, 27. illius mensis coronatus fuit, 7. Iulii 1304. mortuus; eo nomine laudandus, quod Hungaris, ut Pontifex, molestus non fuerit.

³⁾ Ob vectigal a navibus in Danubio per Capitulum Vetero Budense exigi suctum, ex asse denegatum. Vide Nicolai an. 1301. litteras Cod. Dipl. Tom. VI. Vol. II. p. 319—320.

⁴⁾ Extat eius rei memoria in Actis Synodi Udvardiensis an. 1309. celebratae. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 326—333. ubi p. 331. cetera inter „cum cives Budenses — interdicti sententiis fuerint irretiti, et ipsas sententias a novem annorum cursu, animo sustinuerint indurato, cogentes populum Castri Budensis audire missas Ludovici Sacerdotis, et sociorum eius excommunicatorum.“

⁵⁾ Anno videlicet 1304. dum Hungaria, malam pro beneficio gratiam rependens, excessisset, „Coronamque Sacram B. Regis Stephani, ipsius utique Regni lugubris gloriam et honorem, cum ceteris pertinentibus ad eandem Regalibus Insigniis, in Bohemiam adportasset.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 183—191.

Quomodo Otto Dux Bavarie in Regnum contra Karolum inducitur, coronatur, captivatur, et expellitur.

Nec Hungari in tuendis Iuribus segiores, missis Legatis, Ottonem Bavarum eligunt, qui recuperatis a Wenceslao Regni Insigniis, Albae Regiae solemni ritu coronatur Anno 1305. Cui tamen non diu quieto esse licuit, utpote Carolina factione Regno exutus Anno 1307.

Interdum vero, filii Henrici, et quidam alii Nobiles, Ottonem Ducem Bavarie subintroducunt in Regnum Hungariae. ¹⁾ Qui veniens, et Coronam Regni a Vencezlao

ablatam petivit sibi dari, ²⁾ ac secum ferens, Anno Domini millesimo tricentesimo quinto Albam Regalem Civitatem petiit, ut ibi coronaretur legitime in Regem; quem Benedictus Episcopus Vesprimiensis, et Frater Anthonius Episcopus Chanadiensis in Regem unxerunt, et dicta Corona Regia coronarunt. ³⁾ Inde Budam veniens, et in die solenni, in decore regio, Coronam Sanctam habens in capite, per omnes plateas et vicos incedebat eques cum populo copioso, ut cunctis, se esse Regem legitimum, publicaret. ⁴⁾ Qui in brevi terram Erdeel, cum Beke filio Thome censuit visitare; ⁵⁾ ubi Ladizlaus Voyvoda ipsum captivavit, et in castro suo tenuit vinculatum multis diebus; ⁶⁾ qui tam miserabili fortuna sibi occurrente, de Regno expellitur Hungarorum. ⁷⁾

¹⁾ Carolum nempe clientem Pontificium aversati, prae hoc, Ottonem Bavarum, Belae IV. ex Elisabetha, Henrico Bavariae, Duci nupta filia nepotem Venceslao subrogarunt; cuius an. 1306. Sigilli aversa pars hanc epigraphen refert: „S. Primi Ottonis. Regis Ungarie. Nepotis. Quarti. Bele. Regis.“ — Pray Syntagma Historicum de Sigillis Regum, et Regniar. Hung. Tab. XI. Fig. I.

²⁾ Postquam teste Pulkava apud Dobner Monum. Tom. III. p. 259. „Eodem anno (1305.) Wenceslaus rex Boëmie, Polonie, et Ungarie, cum Fiola, filia Mesce Ducis de Theschin, III. nonas Octobris vinculum matrimoniale contraxit.“ Tunc etiam, ut Chronicon Claustro Neuburg. apud H. Pez Tom. I. col. 477, testatur „insignia regni Ungariae Ottoni, Duci Wabariae resignavit, simulque regno Ungariae abrenunciavit.“

³⁾ „In proximo festo S. Nicolai a quibusdam episcopis in Weisenburg coronatur.“ Compilatio Chronologica Rer. Boicar. apud Oefel Tom. I. p. 340. Qua de re Clemens V. Papa in an. 1307. litteris, quibus Ottonem ob susceptum Hungariae Regnum ad iudicium suum, sub excommunicationis et interdicti censuris evocavit „nonnulli ex — Praelatis, Clericis, Religiosis, Comitibus, sive Banis, Baronibus, Militibus, Incolis, atque Civibus — contra Carolum — nobilem virum, Othonem Bavariae Ducem nequiter convocarunt, seu potius adduxerunt — idemque Dux — per ipsum Benedictum Vesprimiensem, et Antonium quondam Chanadiensem Episcopos se coronari, ut dicitur, in Regem Ungariae procuravit.“ — Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 215. Antonius Chanadiensis erat Ottonis Cancellarius Ibid. p. 197. — 201.

⁴⁾ Quum nostro dies solennis memoretur, existimo Ottonem Budae in Natalitiis Domini coronatum equitasse; illa etenim aetate

Reges festis solennioribus, ut iam monui, coronati incidere solebant. Diplomata autem illius testantur, maximam anni 1306. partem Budae transexisse; mense adhuc Septembri in Antiqua, seu hodierna Pest diploma edidit. p. 197.—201. Ibid.

⁵⁾ Vajvodae Transsylvaniensis filiam, Hungarorum consilio in coniugium petiturus. Itineris autem comes Beke, seu Benedictus filius Thomae erat de Genere Borsa, ut Ottonis donatio, quarto Nonas seu 12. Maii an. 1307. facta, apud Spiess Archiv. Nebenarbeiten P. I. p. 142—143. et Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 219. 220. in hunc modum testatur: „Magister Dousa filius Comitissae Andree, cognatus nobilium virorum, scilicet Kupaz Palatini, Magistri Bele (Beke) et Magistri Ladizlai, filiorum Thome, fidelium nostrorum.“ — Kopaz Palatinum vero de Genere Borsa fuisse sequens ibidem p. 221. diploma perhibet. Ceterum vehementer suspicor Beke, fratrem Kopaz Palatini, Carolinarum partium fuisse, Ottonemque in casses induxisse; Carolus enim III. Nonas Septembris an. 1307. eum a fidelitate, et Castri Budensis iam de novo occupatione celebrat; Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 226—227. — pleneque confirmarer in opinione, ni Ladislaus Vajvodam deinceps quoque Carolo adversarium; et anno primum 1310. reconciliatum fuisse mihi constaret. Lege diploma ibidem p. 389—391. nive e Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. V. p. 48—49. didicissem, Ottonem consilio et auxilio Episcopi, et Capituli Transsylvaniensis captum fuisse.

⁶⁾ Erat is Ladislaus Opor de Dobrogost, qui Ottonem mense Maio 1307. insidiis Alberti Imperatoris cepit, et diutius captivum tenuit, nec ante dimissus, quam Regni Insignia ei tradidisset. Subin Emerici de Serény opera, ut Palma Herald. p. 116. docet, liberatus, per Russiam domum reversus, Henrici Ducis Glogoviensis filiam uxorem duxit, nomenque Regis Hungariae ad an. 1312. quo finem vitae fecit, constanter retinuit.

⁷⁾ Chronicon Poseniense: „Ladizlaus Boyvoda ipsum captivavit, et in castro suo tenuit multis diebus; et postea idem Ladizlaus Boyvoda Ottonem Ducem Magistro Ugrino pre manibus, faventi Karolo regi, in Zegedino tradidit ad suum libitum, qui postmodum dictum Ottonem Ducem de regno expulerunt.“

Sacrae Regni Coronae per Ottonem domum reiectae, in itinere fata.

Nec hoc pretereundum est, quod cum Sancta Corona per dictum Ottonem ad Hungariam portaretur, propter timorem hostium, fecit illam includi per artem tornatoriam in flasconem. ¹⁾ Cum autem equitaret cum suis, sub no-

ctis silentio, in strata publica, in qua plurimi viatores transiebant, casu de selle corrigiis, ubi erat flasco ille ligatus, quasi vas vinarium, nullo vidente, cecidit resolutus. ²⁾ Postmodum vero, luce clarescente, dum vidissent non esse thesaurum illum preciosum, ³⁾ quo citius potuerunt, timore perculsi, retro celeriter cucurrerunt; quam Coronam inter multos transeuntes in terra iacentem, in medio publice strate, inventam a nemine, reperierunt. Forsitan ceciderat in prima vigilia noctis, ⁴⁾ reinventa est autem sequenti die circa tempus non dubium vespertinum. Mirum certe et miraculum non tacendum! Quid enim per hoc, quod illa Corona cecidit, intelligo? nisi, quia Dux ille usque vitam suam portare non potuit hanc Coronam; sed amisit de capite Coronam ipsam, pariter et honorem. Quid est, quod a nullo inventa, sed ab ipsis, qui portabant? nisi, quod ne Pannonia, sibi data Corona ab Angelo, privaretur. ⁵⁾

¹⁾ Flasco, Flasca, Flascula, Flasculus. Ex Isidoro Lib XX. Cap. VI. Papias „Flascae a Graeco vocabulo dictae. Hae pro vehendis ac recondendis phialis plurimum factae sunt; inde et nuncupatae sunt. Postea in usum vini transierunt, manente Graeco vocabulo, unde et sumpserunt initium.“ Gloss.

²⁾ Periculi etiam exteri meminerunt, Chronicon Salisburgense apud H. Pez. Tom. I. col. 402. „Anno Domini 1305. circa festum Michaëlis, Otto Dux Bavariae, intravit Bohemiam, datis sibi a Wenceslao rege Bohemiae, insigniis regni Ungariae, scilicet corona, tunica S. Stephani regis, diademate et sceptro contra voluntatem Regis Romani Alberti, et Ducis Austriae Rudolphi; qui sibi ponendo custodias, ne Ungariam intraret, omnes vias, per quas intrare poterat, obstruxerant. Sed idem Dux, hoc non obstante, Austriam cum suis, quos de Babaria secum duxerat, sub forma mercatoris latenter transivit. Et quum venisset ad quemdam locum, qui dicitur Vischamund (hodie Vischament supra Viennam in dextra Danubii ripa) ubi Danubium transfretare voluit, et quum iam navim ascenderet; quaesivit a quodam nobili — cui coronam commiserat portandam, si ipsam haberet, qui eam in mantica quaerens, non invenit. Et ob hoc tam praefatus Dux, quam qui secum aderant, stupefacti. Praedictus nobilis ad unum milliare, non per viam, unde venerat, continuo est reversus. Et ibi Corona, sicut Domino placuit, est inventa in quadam palude.“ Infelix hoc iter mense Novembri susceptum fuisse, Chronicon Clau-

atro-Neoburgense perhibet „Post omnium Sanctorum cum paucis clam noctu intrans Austriam, a Bruna in Ordenburgam (Sopronium) pertransiit,“ Ibid. Tom. I. col. 478,

3) Non tam interno valore, quam affectionis pretio, quod Dei providentia a sacra Sede Apostolica missa, et Sancto Rege, qualis certe Stephanus erat, primum obtenta, et gestata fuerit; et hoc nomine Hungaris sacra dicitur, non autem ideo, quasi intrinsecus sanctimoniae aliquid ei inesse existimarent; tantique eam fecerunt semper, ut non alios, nisi hac Corona redimitos Reges agnoscere, venerarique voluerint; quive illa incingi non meruerunt, huiusmodi Regum privilegia nec servantur, Fridericus III, Imp. in diplomate Hamburgi Austriae signato 3. Augusti 1440, testatur Coronam Hungariae, quam ab Elisabetha, Alberti Regis vidua pignoris loco pro 2,500. Hungaricis florenis, acceperat, Saphiros 53. Balasios, aut Balassios (est certa Rubini species) 50, unum Smaragdum, et 338. Uniones continere, ipsamque Coronam cum omnibus preciosis lapidibus, quos recensuit, ipsa adeo vita sericea, qua Coronae interior pars vestita est, appendere novem marcas, et tres uncias. Vid. Adami Kollár Analect. Bibl. August. Vindob. Tom. II, col. 843—845.

4) Veteres noctem in quatuor partes divisere, id quod testatur Vigilia prima, secunda, tertia, et quarta, Prima autem Noctis vigilia incipiebat ab hora sexta vespertina, ultima vero sexta matutina terminabatur; adeoque quaelibet vigilia ternarum horarum erat.

5) Alludit ad angelicam visionem, qua Sylvester II, de danda Sancto Stephano Corona admonitus fuisse, constans nostrorum traditio ab olim docet; quam tamen hodie inter commenta quidam reponunt, quod teste Ditmaro Lib. IV, Ottonis III, Imperatoris gratia, et hortatu Stephanus Episcopatus erexerit, Coronamque, et benedictionem acceperit. Qui tamen totius gentis conversionem Deo tribuere solent, huiusmodi traditionem penitus non respuunt.

*Ladislavus Iudex Budensis e bohémica captivitate elapsus,
Carolinae factioni minus faventes inclementius habet
Anno 1307,*

Quo facto, in eisdem eventibus, Ladizlaus, filius Vernheri de captivitate Regis Vencezlai, anno fere tercio liberatur, et cum Iohanne filio Chaak, Castrum Budense per portam, que iuxta Sinagogam Iudeorum est, ¹⁾ feria quinta post festum Beate Petronelle Virginis, ²⁾ noctis in silentio, subintravit, et quosdam Cives Budenses, suos ad-

versarios et proditores invasit subito, et destruxit. ³⁾ Petermannus autem Iudex Civitatis, nudus fugiens, vix evasit. Duos enim ex ipsis civibus, scilicet Marcum Herman, et Magistrum Martinum Iuratos Cives de Duodecim, ⁴⁾ in caudis equorum, per vicos et plateas Civitatis, crudeliter trahi fecit, et ossa eorum ignibus concremavit, bona eorum obtinuit et possedit. Sacerdotes insuper illos perfidos superius memoratos, manibus cathenatis et pedibus, Thome Strigoniensi Archiepiscopo destinavit; quos idem Archiepiscopus carceri mancipavit, et in eodem tristem spiritum emiservunt. ⁵⁾

¹⁾ Illa urbis Porta hodie Viennensis audit, olim etiam Sabatina dicebatur.

²⁾ Prima videlicet Iunii 1307. quae eo anno in feriam quintam, seu diem Iovis incidit; festum enim B. Petronellae Virginis ultima Maii colitur, unde captivitatem Ottonis reapse mense Maio contigisse, colligere licet.

³⁾ Ex his apparet, Ladislaum aequae Caroli partibus fuisse, nec alia de causa tribus fere abhinc annis in Bohemiam a Venceslao, suffecto Petermanno, traductum esse, eamque ob rem in Bohemicam factionem saeviusse.

⁴⁾ Quippe Senatoribus, qui illa adhuc aetate Germani fuere. Confer Civitatis Budensis Statuta, quae edidi Buda és Pest Szabad királyi Városoknak volt régi álapotjáról. Budae 1833. in 8.

⁵⁾ „Thomas miseratione divina electus Strigoniensis, eiusdemque loci Comes perpetuus, et Praepositus Albensis,“ ita in tabulis Albae Regiae pridie Kalendas Augusti 1305. editis. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol I. p. 183—190. „Venerabilis Pater Dominus Thomas, Dei Gratia Sanctae Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopus, ac ipsius loci perpetuus Comes, tunc Electus ad Sedem Apostolicam pro impetrando pallio Archiepiscopali laborans,“ Ibidem p. 178—180. in litteris feria quarta proxima ante festum Cathedrae S. Petri an. 1305. signatis. Duplicis Cathedrae Petri festum in Ecclesia celebratur; Romae 22. Februarii, et Antiochenae 18. Ianuarii. In Datis Hungariae diplomatum raro occurrit festum Cathedrae Antiochenae, et nisi haec addatur, semper Romana est intelligenda; hoc igitur diploma 17. Februarii, quae dies Mercurii fuit, anno 1305. edita est. Ex his iam Thomae in Carolum studia explanari possunt; Roma etenim redux, filios Henrici Bani, quia aliarum partium erant, anathemate feriit; nihilo elementius in alios quoque advertit; ut etiam noster perhibet.

**Expulso Ottone, Karolus in Regem suscipitur
et coronatur.**

Curiae Romanae Reges nominandi iure simpliciter negato, hocque praeiudicio, confectis tabulis abolito, Carolus libero Ordinum suffragio Rex proclamatur

Anno 1308.

Cum igitur puer Karolus absque regni solatio in Hungaria moraretur, ¹⁾ Frater Gentilis tituli Sancti Martini in Montibus Presbiter Cardinalis, de Ordine Fratrum Minorum, ex autoritate Summi Pontificis primaria, Anno Domini millesimo tricentesimo octavo Pannoniam introivit. ²⁾ Uno siquidem anno in pace transacto, Anno Domini millesimo tricentesimo nono Constitutione terribili promulgata, nobiles Regni anathematis vinculo innodavit. Pauperibus vero, et divitibus universis Divina strictius interdixit. Et hec fecit illis Nobilibus, qui iura Regalia, et Reginalia nolebant restituere Regi Karolo supra dicto; et qui eum Regem minime appellarent. ³⁾ Ladizlaum vero Voyvodam Transilvanum speciali excommunicatione feriens eo, quod Coronam Regni, quam ab Ottone Duce, dum eum captivaverat, receperat, indebite detinebat; et quia filiam suam idem Ladizlaus tradiderat filio Stephani Regis Servie scismatico in uxorem. ⁴⁾ Qua propter, cum praefati Nobiles extra cimiteria ⁵⁾ corpora iacentia conspicerent Defunctorum, amaro spiritu perturbati, anno Domini millesimo tricentesimo, congregati in Campum Rakus, circa Pesth, Karolum sepe dictum in Regem concorderiter susceperunt, et Albam properantes, feria quinta, in Octavis Sancti Regis Stephani, solenniter cum leticia coronarunt cum Sancta Corona a Ladizlao Voyvoda restituta. ⁶⁾

¹⁾ Haugen Lib. IV. Cap. 79. „Carl, den sie (Hungari) auch Ladislaum nanten.“ Posoniense Chronicon: „Cum ergo Carolus Rex Bude moraretur, nec haberet aliud de iure regali, preter Pazaga-war (Posega Vár) cum suis pertinenciis, quod castrum restituerat sibi Ugrinus conservator suus.“

²⁾ Post nempe, quam anno 1307. Clemens V. Papa. 12. Augusti Ottonem ad iudicium suum evocasset, hancque constitutio-

nem per Thomam Strigoniensem, et Vincentium Colocensem Archiepiscopos in Hungaria divulgasset; non pauci Proceres 8. Octobris 1307. quae dies Domini fuit, in Campo Rákos congregati Carolum Regem susceperunt. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. 221—223. Quo successu inaudito, sequenti anno Gentilem quoque Cardinalem ablegavit, qui Budae, refragantibus plerisque Optimatibus, Carolum „ex Domina Serenissima D. Maria Siciliae ac Ungariae Regina illustri; nata clarae memoriae Stephani Regis Ungariae vera progeniae prognatum.“ eligendum persvasit p. 263—269. ibid. Convocatisque Antistitibus de Regis, Regni, Ecclesiaeque Hungaricae statu sanctiones edidit. p. 270—310. ibid. et L. L. Eccl. Tom. III. p. 11—17.

3) Synodi huius Constitutiones vide in L. L. Eccl. Tom. III. p. 21—123. et pag. 131—146.

4) Gentilis Cardinalis litterarum Posonii 25. Decembris 1309. editarum, quibus Ladislaum Vajvodam excommunicationi, Transilvaniam autem Ecclesiastico supposuit interdicto, breviarum est sequens: „Ad notitiam siquidem nostram olim, dum adhuc Zagrabiae moraremur, ante nostrum adventum Budam, veridica relatione perlato, quod inter nobilem virum Ladislaum Vajvodam Transylvaniae, et dictum Stephanum Regem Serviae tractatus habitus fuerit de filia ipsius Ladislai catholica — (cum) filio Regis eiusdem — matrimonialiter copulanda. Nos — praefatum Ladislaum — amice fraterne rogandum, ac hortandum caritative duximus semel et pluries, dantes ei — per litteras nostras in mandatis, ut praefato matrimonii tractatui supersedens, dictam filiam suam, eiusdem Regis filio matrimonialiter nequaquam copulare praesumeret — verum — a nobis contemptu suberbo inobedientiae tergum vertens, aversa penitus a Ierusalem facie, et in Iericho conversa — nec a complemento dicti matrimonii desistere, ac supersedere curavit. — Caeterum, quia praefatum Ladislaum saepe monuimus, ut Coronam Sacram Regni Ungariae, quam detinet occupatam, nobis, aut Ecclesiae Albensi, vel Regi restitueret supradicto, quod hucusque facere contumaciter non curavit, praesentium sibi tandem auctoritate mandamus, quatenus Coronam eandem infra festum Purificationis B. Virginis proxime futurum resignare procuret, alioquin poenas et sententias in Constitutione contentas, contra quemlibet ipsius, vel Coronae alterius, quam consecrari fecimus, detentorem, vel occupatorem per nos hactenus promulgata, ipsum incurrere volumus ipso facto.“ L. L. Eccl. Tom. III. p. 137—140.

5) Cimiterium, pro Caemeterium. „Cymitron Graece, Latine dormitorium,“ inquit Iso Magister in Glossis ad Prudentium „Hinc Cymiterium, et Cymiteria dicuntur, idest, dormitoria, in quibus mortui quasi dormire videntur usque ad diem iudicii.“ Est autem Caemeterium locus circa Ecclesiam pro sepultura constitutus, qui

muro cingi solebat, cuiusmodi cincturas hodieque passim in Hungaria videre licet.

6) Alter iam per Caroli factionem regno exactus fuit aemulus, quin tamen optatam regni tot machinis, curisque quaesiti possessionem adire potuerit, non alia profecto de causa, quam quod Hungari pristinum eligendi ius ad libera gentis universae suffragia pertinere pro certo tenuerint; atque ideo nulla arte induci potuerunt, ut sibi a quoquam Rex imponeretur. Etsi non defuere ex Optimatibus, qui Summorum Pontificum autoritate concussi, partim Mariae Neapolitanae largitionibus corrupti, partim denique summarum dignitatum et amplissimorum latifundiorum sibi a Carolo promissorum spe illecti, hanc gentis libertatem privatis utilitatibus suis posthabendam putarent; universae tamen gentis animus octennis et amplius tot technis, minis, terroribus, atque pollicitationibus luerari non potuit. Cum itaque Gentilis Cardinalis intelligeret, oleum se, et operam perditurum, si in tanta animum ad tuendam electionis libertatem obstinatione, summum sedis Apostolicae in Hungaria ius persuadere vellet; egit de Carolo cum gentis consensu inaugurando. Sed cum usitatam Regni Coronam Ladislaus Vajvoda Transsilvanus ab hinc, quam Ottoni extorserat, in potestate haberet, unanimi omnium Ordinum voluntate decrevit, ut alia interim pararetur, cuius eadem, quae illius, vis ac potestas esset. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I, p. 337—339, Haec confecta, praestitoque prius a Rege Ordinibus, et accepto vicissim ab his fidelitatis iuramento; p. 333—337. ibid, 15, Iunii Budae in Ecclesia Beatae Virginis, quae hodie etiam omnium urbis Ecclesiarum princeps est, redimitus fuit. Quin haec quoque coronatio omnem Hungaris scrupulum eximeret; quare Carolus anno 1310, Sacra Corona per Ladislaum Vajvodam reddita p. 389—391. ibid. Albae Regiae 27, Augusti, quae dies Iovis erat, iam tertium incinctus est,

I n c i d e n t i a.

*Clemens V. Papa, ut in subsidium Terrae Sanctae Ordo
Crucigerorum stipem per decennium colligere valeat,
admittit Anno 1310.*

Anno eodem, Papa Clemens Quartus, ¹⁾ per Cruciferos Sancti Iohannis inter Christicolae mundi huius, inestimabilem thesaurum fecit sagaciter procurari ad passagium generale, pro Terra Sancta expugnanda, tradens dictis Cruciferis gratiam generalem; pecunias largientes ab omnibus criminibus absolvendi usque ad continuos quindecim

cim annos; ²⁾ sed postea de illo tanto thezauro nichil factum vidimus effective.

¹⁾ Scribendum erat; Quintus; Clemens V, electus est 21. Iulii 1305, coronatus 14. Septembris, a quo Pontificatus sui annos numerabat. Eius successores bullis ante inaugurationem signatis inserere solebant: „a die suscepti a nobis apostolatus officii,“ — Zinkernagel Handbuch für Archivare p. 336.

²⁾ Meminit huius Collectae etiam Odoricus Raynaldus ad an. 1310,

Carolus contra aemulum Matthaeum de Csák, Dynastam Trenchiniensem bellum movet, eumque ad Rozgony in Comitatu Aba-Váriensi praelio vincit Anno 1312.

Anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, cum Rex Karolus regale Castrum Sarus vocatum, ¹⁾ a Demetrio, filio Nicolai, ex mandato Matthei potentissimi Principis possessum, suis viribus obsideret, idem Mattheus filius Petri de Trinchinio, mille et septingentos milites lanceatos conductitios, et omne penitus posse suum contra Regem, in adiutorium Demetrii destinavit, ut ipsum Regem de sub Castro procul pelleret prepotenter. ²⁾ Principes autem exercitus Demetrium supra dictum, et Abam dictum Pulchrum, sive Magnum constituit. ³⁾ Quorum adventum Rex audivit, putans se non posse resistere, in Scepus se recepit; cui Scepusienses equites pariter et pedestres fideliter concesserunt; ⁴⁾ cum quibus Rex hostes audacius est aggressus. Qui quidem interdum Civitatem Cassa vocatam, ⁵⁾ expugnare ceperat pro morte Omodei Palatini, quem in Cassa, Cassenses Teutonici, vel potius Saxones peremerunt innocentem. ⁶⁾ Quibus, cum exploratores conclamarent Regis adventum, dimissa Civitate, intrepidi obviam regio exercitui processerunt, et ad locum pugnandi magis aptiorem Rex, et ipsi plurimum festinabant, quem locum ipsi primitus occuparunt. Rex interim in quadam valle circa Harnald ⁷⁾ cum exercitu, Confessione Sacramentali premissa, et absolutione accepta, susceptoque Dominici Corporis Sacramento a Cruciferis supradictis, mori se per omnia paraverunt. At ipsi duris-

simi pacis hostes, bellica arma induti, de cuiusdam montis cacumine, in vallem prefatam protinus certaturi, Regi obviam descendebant, et in latere dicti montis feria Sexta in festo Sanctorum Viti, et Modesti prelium durissimum est commissum, ⁸⁾ quale a tempore Tartarorum in Hungaria non contigit celebrari. In quo prelio de familia Regis ⁹⁾ Kokos, filius Stephani dicti Porch, et Stephanus filius Bagen, Ladizlaus filius Thome, Iacobus filius Aladarii, Michaëlque filius Gyurke, et Petrus Castellanus de Beregh, preclari Nobiles corruerunt. ¹⁰⁾ Gyurke, sub vexillo Regis vexillarius existens, occisus est; quo vexillo cadente, Rex sub vexillo Cruciferorum pugnavit. Ex parte vero altera Demetrius filius Nicolai, et Aba Principes exercitus, ac duo filii Omodei, ¹¹⁾ mortis iaculo vulnerati, prepropere ceciderunt; et alii quam plures letaliter sauciati ibidem, et alibi mortis debita persolverunt. Et licet ex parte Regis plures ceciderunt: tamen Rex victoriam obtinuit gloriose, quod factum a Deo esse credimus et fatemur.

¹⁾ A quo cognominis Provincia nomen habet.

²⁾ „Demetrius filius Nicolai, infidelitatis rabie inflatus cum suis omnibus, et adducta sibi totali potentia Mathei de Trinchun, nec non Iohannes, et alii filii Omodei simul cum eisdem contra nostram Maiestatem hostilibus gressibus procedentes, prelium, seu conflictum circa Cassam commiserunt, et intulerunt, ubi Divina suffragante gracia, et Beatorum Regum (S. Stephani, Emerici, et Ladislai) auxilio seu interventu mediante, victoriam obtinuimus triumphalem.“ — Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 440—442. in an. 1312. diplomate. Venceslaus autem in an. 1302. tabulis Kalendaris Martii confectis ibid. p. 89—91. „Matthaeus Palatinus, filius Petri condam Palatini, de genere Chak — dum adhuc essemus in Bohemia primus et praecipuus inter omnes Regni Nobiles suo consilio et auxilio nos promovit et sollicitè procuravit, ut eligeremur; in regnum Hungariae manu suae, et amicorum suorum potentiae introduxit — — Castrum et Comitatum de Trynchzinio — dedimus et donavimus.“ — Conf. etiam Vol. V. p. 52—64.

³⁾ „Quondam Aba Magnus contra Serenissimum Principem — Carolum Regem — continue — in infidelitatibus et malitiosis operibus, specialiter in praelio — contra Matthaeum filium Petri de Trinchinio — ante Civitatem Cassa commisso — contra patrem

nostrum processit.“ — Ludov. in an. 1343. tabulis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 90—92. — Et Poseniense Chronicon: „Demetrius — et Aba de Sempte.“

4) Auctas propterea Scepusiensium Saxonum libertates legis in Annalectis Scepusii Caroli Wagner P. I. p. 196—200.

5) In Comitatu de Aba Vára.

6) In an. 1311. amica compositione Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 405—412. vulgata: „Cives de Cassa, super morte Omodaei Palatini, bonae memoriae, qui casu ibidem in tumultu dicitur esse interemtus.“

7) Hernad apud Scepusios editus, et variis commixtus amnibus, Cassoviae suffunditur, ante quam Tybiscum subeat.

8) Mons hic ubi memorabile praelium contigit, hodie Furtsa appellatus supra Cassoviam porrigitur, ac in vallem Rozgony desinit; cruentam autem victoriam Carolus 15. Iunii 1312. feria quinta, et non sexta reportavit. Conf. Kapraini Hist. Dipl. P. I. p. 111. Wagner analect. Scepus. P. I. p. 21. P. II. p. 111.

9) Familiae triplicis generis distinguuntur in Hist. Novientensis Monasterii apud Du Fresne in Glossario „Prima ministerialis, quae etiam militaris recta dicitur, adeo nobilis et bellicosa, ut nimirum liberae conditioni comparetur. Secunda vero censualis et obediens permagnifica; et sui iuris contenta. Tertia nihilominus est, quae servilis et censualis dicitur.“

10) Confer Caroli an. 1309. et 1312. diplomata Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 333—337. 442—452. et p. 479.

11) „Filii Omodaei condam Palatini, Ioannes scilicet, Nicolaus, David et Ladislaus.“ ibid. p. 446. „In conflictu, quem cum Demetrio, filio Nicolai; Iohanne, Nicolao, David, et Ladislao filiis Omodaei condam Palatini, infidelibus nostris, in Rozgon habuimus.“ Ibid. p. 451. in an. 1312. diplomate et in an. 1317. litteris: „in campo Rozgun iuxta fluvium Tarcha prope civitatem nostram Cassa vocatam.“ Vol. II. p. 48.

*Prima Caroli consors Maria, rebus humanis eximitur
Anno 1317.*

Anno Domini millesimo tricentesimo decimo septimo, Domina Maria prima consors Domini Regis, natione Polona, 1) filia Ducis Kazmeri, tercio die post festum S. Lucie, 2) in Temesvar, 3) vite cursum feliciter terminavit, et in Alba Regali. in Ecclesia Beate Marie Virginis, terre gremio commendatur.

1) Ladislaus Turótzí Hungaria suis cum Regibus compendio data edit. secund. p. 367. „Uxor prima Catharina, irquit, quam

duxit 1308. obit anno 1313. ut docent quaedam litterae Carolinae. "Eum Katona quoque Hist. Crit. Tom. VIII. p. 151—153. et p. 278—280. sequitur. Pray vero Hist. Reg. Hung. P. II. p. 59—60. auctoritate Chronici Poseniensis inductus, tres duntaxat ei coniuges tribuit, nostro etiam memoratas; et Catharinam, quam Chronici auctor ignorare non poterat, omisit. Carolum sane iam an. 1308. connubio innexum fuisse, testatur charta eodem anno 27. Novembris signata. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 264—269. quae Carolum, persvadente Gentili Cardinale, electum Hungariae Regem docet. Idem testatur Gentilis Cardinalis in an 1309. litteris Posenii 6. Iulii confectis, quibus Matthaum Trenchiniensem Dynastam fulmine vaticano ferit. L. L. Eccl. Tom. III. p. 131—137. Conf. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 75—76. Catharina autem ei uxor errore, inde orto attributa esse videtur, quod in eius tabulis e verbo contracto kma, i. e. karissima, lectores Katharinam elicuerint. Omne tamen dubium tolleretur, si annus nuptiarum cum Maria Casimiri, ut Dlugossus Lib. IX. habet, Ducis Bithoniensis, et Teschiniensis, quem noster latiore sensu Poloniae Ducem appellat, filia initarum pro certo constaret. Ceterum diploma 12. Iulii an. 1318. editum, quod Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 147—150. vulgatur, Mariam eo anno adhuc inter vivos egisse perhibet.

²⁾ Id est: 16. Decembris. Haugen Lib. IV. Cap. 79. „sein erste hausfraw.“

³⁾ Hodie L. ac R. Civitas in Temessiensi Comitatu; quam noster, ut visuri sumus, per Carolum Regem conditam fuisse inuit; id quod ante auspicatum pleno iure regimen praestiterit, utpote tutoris permansionis ergo in illis partibus moratus; ubi iam anno 1307. litteras signasse legitur Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. p. 227—228.

Ducitque Beatricem, Henrici VII. Imp. filiam, eo, quo nupserrat Anno 1318. mortuam.

Anno Domini millesimo tricentesimo decimo octavo, accepit Rex Dominam Beatricem, filiam Regis Romanorum, sororem Regis Bohemorum, de terra Lucelburgensi, ¹⁾ que in revoluzione eiusdem anni obdormivit in Domino, et Varadini in Ecclesia Cathedrali tumulatur. ²⁾

¹⁾ Carolus in an. 1319. diplomate sexto kal. Augusti edito, quo Magistri Thomae filii Farkasii merita remuneratur Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 202—203. „idem Magister Thomas — in

ordinatione matrimonii, quae inter nos, et magnifici principis D. Ioannis illustris Regis Bohemiae, clare propaginis sororem, videlicet inclytam Principissam D. Beatricem, consortem nostram charissimam, dextera Domini faciente virtutem, est contracta, in regno Bohemiae diutius commorando.“ Conf. Belii Notit. Hung. Nov. Tom. III. p. 473, Pray Annal. P. II. p. 12. et Katona Hist. Crit. Tom. VIII. p. 382—383. Erat autem Henrici VII. Imp. filia.

2) Statuta Capituli Varadinensis L. L. Eccl. Tom. III. p. 245. „Novissimis-temporibus Altare S. Vicentii, quod est iuxta Altare S. Crucis a meridie, erexit et dotavit Kopatz Palatinus; demum vero manente memoria S. Vicentii, fuit dedicatum per Regem Carolum ad honorem S. Ludovici, pro remedio animae Dominae Beatricis consortis suae, quae ibidem sepulta existit.“ — Muglen ad an. 1318. „In demselben Jar het der kunig einen sun pey seinen ammen, und nannte den Coloman, vnd macht in pischoff tzu rab.“ — Et Chronicon Posoniense „Anno 1318. rex habuit filium ex concubina sua, quam acceperat de magna insula Danubii (Csepel) quem appellavit Colomannum.“ et Chron Dubnitzense: „eodem anno Rex habuit de concubina sua, quam acceperat de magna insula Danubii, filium, quem appellavit Colomannum.“ Et Benedictus XII. Papa in an. 1335. litteris: „Colomannus, natus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hungariae illustris Regis — geniturae maculam, quam ipse de Rege coniugato, et soluta genitus, contraxisse dignoscitur.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 99—101. Conf. Pay Hierarch. P. II. p. 472. et Katona Hist. Crit. Tom. VIII. p. 379—380.

*Eodem Anno Basilicae Alba Regalensis tecta combusta
instaurat.*

Eodem anno Ecclesiam Beate Virginis Albensem, que frequenter incendio vexabatur, seu devastabatur, incepit Rex tegere plumbeis tegumentis, et cum gloriosa testudine decorare, insuper etiam columnis firmissimis stabilire.

*Cum Elisabetha Ladislai Loctici Poloniae Regis filia ad
tertia vota transit Anno 1320. ex eaque Carolum filium
suscipit Anno 1321.*

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo, accepit Rex filiam Ladislai Regis Polonorum, Elizabeth nomine; de qua anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo

primo, habuit Rex filium nomine Karolum; qui puer mortuus est eodem anno, quo natus est, et in Alba sepultus.

Ladislaus autem filius ei nascitur Anno 1324.

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo quarto, in Vyssegrad, in festo Sancti Remigii, ¹⁾ de eadem Regina Rex genuit filium nomine Ladizlaum.

¹⁾ Id est: prima Octobris.

*Lippae Ordini FF. Minorum Coenobium fundat
Anno 1325.*

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo quinto, inchoavit Dominus Rex Fratribus Minoribus edificare Ecclesiam in Lipa, ¹⁾ ad honorem Beati Lays novi Sancti Episcopi Tolosani et Confessoris, ²⁾ qui fuit frater carnalis patris sui, scilicet primogenitus Regis Sicilie, filius ³⁾ Marie Regine, filie Stephani Regis Hungarie, filii Bele Quarti; professor voto et habitu Ordinis Fratrum Minorum; et positum est fundamentum pro Sanctuario in festo Translationis Beati Francisci. ⁴⁾

¹⁾ In Temessiensi Provincia ad ripam Marusii.

²⁾ Per Ioannem XXII. Pontificem, qui ipsius mentor erat, et morientem etiam adstitit, anno 1317. in numerum Sanctotum relatus. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 89—90.

³⁾ Carolus II. claudus Siciliae Rex in an. 1308. Testamento, Carolum Robertum ducem Calabriae primogenitum vocat; ubi §. 19. „pro cassia et tumulo faciendis pro corpore bonae memoriae Ludovici Episcopi Tholosani, filii nostri (erat autem secundo genitus) duo millia librarum parvorum Turoniensium relinquimus.“ Ibid. Vol. I. p. 247—249.

⁴⁾ Seu 25. Maii, quae anno 1230. contigit. Pilgram Calend. aevi medii p. 221.

*Ludovicus, gloriose olim regnaturus, primam lucem 5.
Martii adspicit Anno 1326.*

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo sexto, tercio Nonas Marcii, ¹⁾ natus est eidem Regine filius, quem nomine huius Sancti Confessoris, consanguinei sui, Lays, pre gaudio, appellavit. ²⁾

1) Nempe 5. Martii.

2) Ex Lays, Hungari fecere Lajos.

Albensem Basilicam iam secundum combustam, plumbo tegit Anno 1327.

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo septimo, Feria Quarta ante Dominicam Ramis Palmarum, ¹⁾ Ecclesia Beate Virginis de Alba Regali, quamvis plumbo tecta fuisset contra incendium, ut superius memini; tamen flebiliter est combusta, et tota materia plumbea in laminas producta, de tecto eius a facie ignis vehementis fluxit liquide, sicut cera; excepto uno campanili, quod est supra sacristiam, ubi Sanctorum Reliquie quam plurime posite conservantur: quod nemo dubitet, eorum meritis remansisse. Sed eandem Ecclesiam Rex postea iterum plumbo textit.

¹⁾ Quae fuit 1. Aprilis.

Elisabetha Andream in lucem edit Anno 1327.

Eodem anno in festo Sancti Andree Apostoli ¹⁾ natus est ei filius, quem Andream appellavit.

¹⁾ Seu 30. Novembris.

Ladislauum vero secundo genitum immatura morte amittit Anno 1329.

Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono, mortuus est Ladizlaus filius eius, et in Alba, terre gremio commendatur. ¹⁾

¹⁾ Carolus in an. 1329. litteris in Alto Lapide (Vissegrad) die Cinerum, quae eo anno in 8. Martii incidit, ad Elisabetham, Bohemiae Reginam datis: „casum miserabilem, et decessum lugubrem praeclarissimi filii nostri, Ducis Ladislai, vobis, proh dolor! cogimur nunciare.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 366—368. Turótzii Chronicon, Andreae Ducis obitum non memorat.

De Ferocitate Feliciani.

*Feliciani de Zaach enorme facinus, inaudita poenā
vindictatur Anno 1330.*

Cum autem iisdem temporibus Regnum Hungarie pacis optate tranquillitate gauderet, et securum esset ab hostibus circumquaque; pacis emulus et invidie seminator Diabolus misit in cor cuiusdam Militis nomine Feliciani de Genere Zaach, inveterati dierum, et canitie iam respersi, ¹⁾ ut Dominum suum Regem Karolum, et Dominam Elisabeth Reginam, et duos filios eius, videlicet Lays, et Andream occideret gladio una die. ²⁾ Qui Felicianus per Mattheum de Trinchinio quondam Palatinum fuerat exaltatus. Tandem relicto Mattheo, ³⁾ venerat ad Regem, quem Rex regio favore diligens, securo ingressu Regis, ianua absque obice, sibi patebat. Porro, dum Rex una cum Regina, et filiis suis prefatis, Anno Domini millesimo tricentesimo XXX. decimo quinto Kalendas Maii, feria tertia post Octavam Pasce, ⁴⁾ in Suburbio Castri Visegrad in domo sua pranderet, ⁵⁾ ante Regis mensam, clam subintrando, idem Felicianus astitit, et evaginato acutissimo gladio, vehementissimo impetu, more canis rabidi, immisericorditer Regem, Reginam, filiosque voluit iugulare. Sed misericordia, misericordis Dei, prohibente, quod voluit, non potuit effectui mancipare. Tamen Regis manum dextram leniter vulneravit; sed proch dolor! piissime Regine dextre manus quatuor digitos, quos ipsa pauperibus et miserabilibus, atque abiectis personis misericorditer in eleemosinis extendebat, protinus amputavit. Cum quibus etiam digitis, innumerabilibus Ecclesiis paramenta varia consuebat, et Altaribus, Sacerdotibusque ornamenta, de preciosis purpuris, trans mittebat, et calices indefesse. Cum etiam pueros regios ibidem astantes vellet occidere, Pedagogi puerorum, videlicet Nicolaus filius Gyde de Kevesich, ⁶⁾ et Nicolaus filius Iohannis Palatini, ⁷⁾ se interponentes, evadentibus pueris memora-

tis, letaliter in capite vulnerantur. Tunc Iohannes filius Alexandri de Comitatu Potokiensi, ⁸⁾ bone indolis iuvenis, Vice-Dapifer Regine tunc existens, in ipsum Felicianum, quasi in cruentam bestiam irruit, et cum bicello ⁹⁾ inter collum et scapulam fortiter feriendo, transfixit, et ad terram deiecit. ¹⁰⁾ Hinc et inde postea gladiatores milites Regis, gladiis terribilibus membratim miserum laniantes, quasi quoddam monstrum, gladiis effecerunt. Caput eius Budam mittitur, manus et pedes aliis Civitatibus destinantur. Denique filius eius unicus adolescens, et unus sibi fidelis famulus fugam capientes, evadere minime potuerunt, in caudis equorum vite terminum perceperunt. Quorum omnium cadavera canes in platea cum ossibus corroserunt. Et dignum quippe erat, ut Felicianus, qui multos Christicolos membris suis feraliter mutilando privaverat, ipse membris omnibus, iusto Dei iudicio, privaretur; et qui fuerat tortor pauperum indefessus, a communi morte hominum exclusus, morte canina et subitanea moreretur; ut quasi canis, cum canibus perciperet porcionem. Filia quoque eius Clara vocabulo, virgo pulcherrima, de aula regia extrahitur, et naribus cum labiis turpiter mutilatis, solum dentibus patefactis, et octo digitis ambarum manuum amputatis, pollicibus saltem remanentibus, per plurium Civitatum vicos et plateas perducta, in equo semiviva et misera proclamare compellitur in hec verba: „Qui Regi infidelis est, per omnia percipiat talionem.“ Altera insuper filia ipsius Feliciani maior, nomine Zeba, cuidam Nobili nomine Kopey matrimonialiter nupta, ante Castrum Leva, ¹¹⁾ iussu Emerici dicti de Beche, familiaris Regis, Castellani ipsius Castri, capite detruncatur. Et ipse Kopey in captivitatis vinculo mortis debitum persolvit. Filii eiusdem insuper, in insulam marinam transportantur, nunquam terram nativam de cetero revisuri. Multi denique de ipsius genere Feliciani Nobiles trucidantur. ¹²⁾ Sic igitur hic Felicianus infelix lese Maiestatis crimen incurrit. Turbavit Regnum, extinxit semen proprium, suam gentem infamavit et perdidit, esca canum effectus; solutus a seculo, ligatus est in baratro ac sepul-

tus: mundo extitit fabula, et infidelibus disciplina. Tam enorme factum, uno die vix creditur accidisse.

1) Noster inveteratum, et resperso habet.

2) Muglen Kap. LXX. „do der kunigin pruder, der kunig von polan, kasmer genant, sein tochter ym beslossen het mit der kunigin willen.“ Narratio Mugleniana cum Dlugossii testimonio Lib. IX. quem iam non sollicito, plene congruit. Nicolaus Istvánffy in Codice diplomatico Bibliothecae Regnicolaris, in margine ad an. 1330. diploma, quo Regni Proceres atrox Feliciani facinus ulciscuntur, manu sua haec notavit: „Et hic, et in Annalibus subticentur causae, quae Felicianum ad istud patricidium induxerint. Verum communis et per manus tradita fama fert, et a citharaedís ad lyram canitur, Reginam ipsam mira arte procurasse concubitus Clarae filiae Feliciani, Casimiro fratri suo, quae Reginae erat a cubiculis; cum illa Adventus tempore, quasi suas sphaerulas oratorias in cubili oblita esset, Claramque pro eis ex templo remisisset; ubi Casimirus Reginae frater eam oppressisset. Et cum Calendis Ianuarii, Clara patri id cum fletibus et lachrymis significasset, ita illum iniuria ista affectum, ad vindictam sumendam inductum et efferatum.“ — Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 419—429.

3) Anno 1317. mortuo.

4) Seu 17. April. 1330.

5) Conf. Nicolai Olahi Hungariam Cap. VI. §. II. p. 25.

6) Turótzii et Dubnitzense Chronicon Kenesich, quae genuina lectio esse videtur.

7) Ioannes Drugeth Italici generis, et speciatim Salerno, e regno Neapolitano oriundus; venit autem cum Carolo in Hugariam, Carolus Wagner Analect. Scepus. P. III. et Geneal. Famil. Dec. III. p. 33. et sequi.

8) Zempliniensis olim duos Comitatus constituebat, Zempliniensem a Castro Zemlun, et Potokiensem a Castro Potok, hodie Sáros Patak compellatos. Szirmay Notit. Hist. Comitatus Zempliniensis Budae 1804. in 8. p. 3.

9) Bicellum, pugio.

10) Magister Iohannes filius Alexandri, filii Celen, conf. Caroli an. 1330. diploma Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 417—419. et Vol. IV. p. 151—161. an. 1336. eius tabulas, in quibus Rex: „Attendentes — et undique circumspicientes eo fideliora, quo certiora et cariora obsequia meritoria non simplici eloquio pretereunda — Iohannis filii Alexandri, filii Celen, vices gerentis Magistri Dapiferorum Domine Regine, consortis nostre charissime, dilecti et fidelis nostri, quibus nobis, quin potius toti regno nostro idem pre ceteris complacere, et se reddere studuit gratiosum

et acceptum. Cuius quidem grato et grandi fideli obsequio vix quisquam simile ullo unquam tempore fecisse perhibetur et dinoscitur. Illud namque precipuum et specialissimum, omnique remuneratione dignum ipsius Iohannis meritum, quo, dum ipse dictum dapiferatus officium in nostri; et ipsius domine regine, simul in aula nostra praeferentium exhibente presentia, vir iniquus, dolo plenus et nequitia, nomine Felicianus, filius Zaah, de genere Zaah damnabili et nefanda presumptione nostro, eiusdemque consortis nostre, et filiorum nostrorum dulcissimorum, dominorum scilicet naturalium, inhumaniter cupiens sanguine satiari, regiamque progeniem avide volens ab hoc seculo penitus exstirpare, in nostra, et ipsius domine regine, ac filiorum nostrorum personas, evaginato et vibrato gladio, irruisset, ab ipsius pestiferi nostri, et totius aule ac domus nostre invasoris flammeo voragine, et subitanea mortis illatione, Altissimo e celis prospectante, idem Iohannes feroci agilitate ipsum demoniorum comitem, qui furoris sui infernalis ingluviem et sevitiem insatiabilem in nos, dictam dominam reginam, et dulcissimos natos nostros, ut barathri cultor eximius, callidus respergere et evomere, ac manum dextram ipsius domine regine ictu hostili sui gladii, proh dolor! amputare, nostramque manum similiter dexteram graviter vulnerare; alterius quoque filiorum nostrorum ocularis anteriorem acuciem abcidere iam non extimuerat, eripuit, supreme virilitatis calcaneis prosternendo ita, ut idem Iohannes ipsum Felicianum infelicitate nominatum, a proposito nobis pariter inferende mortis retrahens, bicello pluries transfixum, in sortem demonum, quorum spiritu ducebatur, tradere non obmisit.“

¹¹⁾ Leva celebre olim in Barsiensi Provincia munimentum, nunc solo aequatum, oppido cognomini satis copioso nomen cessit.

¹²⁾ Regni Proceres in an 1330. Sententialibus Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 419—427. „Plurimorum dierum provide deliberationis maturiori consilio et tractatu unanimiter, consentienter et conformiter in eum (Felicianum) filios, et filias, generationem, neptes, a nepotes, aut qualicumque affinitatis gradu connexos, talis sententiae vigore, flagran. proscriptive plectentes duximus condemnandos: Quod primo et principaliter universe generationis suae homines usque ad tertie lineae generationis gradum sibi annexi, dire necis supplicio condemnentur. Filii vero, et filiae carnalium sororum praescripti Feliciani, ac filiarum suarum, ipsam capitalis sententiae vindictam supportabunt. Fratresque, et proximi maritorum filiarum iam dicti Feliciani, extra Curiam Regiam perpetuo exclusi in eorum proprietatibus pacifice maneat et indemnes, nec Regie Maiestati, aut Baronibus suis adherentibus, Regiam Curiam ullo unquam tempore audeant subintrare. Si qui vero horum, huius detestabilis criminis conscii reperti fuerint, evidenter

comprobandi, supplicio mortis puniantur, possessionibus ac bonis, iuxta Regie Maiestatis voluntatem priventur universis. Ceteri autem eiusdem generationis Zaah ultra tertiam lineam oriundi, perpetue servituti, iuxta Regie Maiestatis dispositionem, redigantur; possessionibus omnium horum capitali sententia condemnatorum, et in perpetuam servitutem redactorum. Regiis manibus perpetuo devolutis.“ !!! Conf. an. 1335. et 1336. Diplomata ibiid. Vol. IV. p. 55—57. et 151—161.

Abhinc Carolus adversa fortuna, morbisquo vexatur.

Huc usque, quo istud accidit, Rex Karolus ventis prosperis navigavit, et crispantia maris equora, ad votum sulcavit. Sed iam fortuna vertibilis, aversa facie, valefaciens, terga vertit: quia undique bellis insurgentibus, sua expeditio vincebatur. Pedum etiam, ac manuum dolore nimio torquebatur.

De Pugna Regis contra Bazarad Voyvodam Vlachorum.

*Bellum quoque Valachicum temere contra Alexandrum
Vayvodam susceptum, inprospere gerit Anno 1330.*

Nam anno eodem, quo Felicianus, indigne memorie, periit, videlicet Anno Domini millesimo tricentisimo tricesimo, cum Rex copiosum exercitum congregasset, non tamen totum suum posse; quia ad confinia Regni sui, in diversas expeditiones, contra adversarios eiusdem Regni quam plurimos destinaverat pugnatores: ipse per Zeurim, ¹⁾ in mense Septembri transtulit se in terram Bazarad Voyvode Vlachorum, ad inductionem Dionysii filii Nicolai filii Ioanka, ²⁾ que terra est inhabitabilis genti ignote, et ut de ipsa terra ipsum Bazarad Rex expelleret, aut certe terram ipsius uni ipsorum insultantium traderet possidentem; cum tamen ipse Princeps censum debitum Regie Maiestati semper fideliter persolvisset. Cum autem Rex Zeurim, et castrum ipsius recepisset, Dionysio tradidit memorato omnia cum dignitate Banatus. Quo facto, Bazarad regi sic mandavit nuncios per honestos: „Quia vos,

Domine mi Rex, laborastis in convocatione exercitus, laborem vestrum recompensabo septem millibus marcarum argenti: ipsam etiam Zeurim cum suis attinentiis, que nunc habetis pre manibus per potenciam, pacifice vobis tradam; insuper censum, quo teneor vestre Corone, fideliter persolvi faciam omni anno. Et nichilominus unum ex filiis meis, vestre Curie ad serviendum deputabo cum meis pecuniis et expensis, tantummodo revertimini in pace vestra, et personarum pericula precavete; quia, si veneritis ulterius, periculum minime evadetis.“

1) Fanum S. Severini prope rudera Pontis Traiani. Vid. Nicolai Olahi Hungariam Lib. I. Cap. XVII. §. IV. p. 76.

2) Erat is Dionysius de Futak, Comes Bihariensis. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 423. p. 445—447. 499—502. Vol. IV. pag. 60.

Quia saniora suorum consilia superbe reiicit;

Quo audito, Rex comminando, in tale verbum prorupit, Nunciis sic dicens: „Sic dicite Bazarad: ipse est pastor ovium mearum, de suis latibulis per barbas suas extraham.“ Tunc quidam fidelis Baro Donch nomine, Comes de Zolio, et de Lipto, 1) sic ait Regi: „Domine, cum magna humilitate vobis, et ad honorem vestrum ipse Bazarad loquitur; idcirco, regie benignitatis favorem, et plenam dilectionem gracie, sibi velitis per vestras literas remandare.“ Tunc Rex verbum asperioris comminationis superius propositum iteravit, relicto consilio saniori, protinus ultra pugnaturus processit; et cum suis, et sibi, in terra ignota, inter alpes et montes silvarum, victualia invenire nequiret, famis inedia ipse Rex, Milites, et equi sui laborare protinus inceperunt. Quo facto, treuga ordinata cum Bazarad, et data fide, ut ipse Regi pareret, et securitatem Regi cum suis omnibus redeundi preberet, et iter rectum ostenderet. Rex revertebatur securus, confidens de fide perfidi scismatici; venit in quandam viam cum toto exercitu, que via erat in circuitu, et in utraque parte ripis, 2) preeminentibus circumclusa, et ante, unde erat dicta via patentior, indaginibus in pluribus locis for-

titer fuerat circumsepta per Vlachos. Rex autem ipse, et sui omnes nichil tale quid penitus opinantes, in ripis, undique Vlachorum multitudo innumerabilis superius discurrendo, iacula iacentes super Regis exercitum, qui erat in fundo depresso vie, que via nec dici potest, sed quasi navis stricta. Ubi propter pressuram cadebant dextrarii fortissimi, cum militibus circumquaque; quia nec ad ripas utriusque lateris vie, propter precipitium ascendere poterant contra Vlachos; nec ultra procedere, nec fuge locum habebant propter indagines ibi factas; sed erant omnino sicut pisces in gurgustio, ³⁾ vel in rete comprehensi; cadebant iuvenes et senes, principes et potentes sine delectu, ⁴⁾ Duravit quippe sic ipse miserabilis eventus a Sexta Feria, usque ad Secundam Feriam, in quibus diebus collidebantur invicem milites electi, sicut in cunis moventur et agitantur infantes: vel sicut arundines, que a vento moventur ⁵⁾.

¹⁾ In an. 1314. diplomate Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 75. „Donch Comes de Zolum, et de Liptou,“ et in an. 1323. literis ibidem p. 486. „Magnificus Comes, Magister Donch, Comes de Zolyom, et Potok.“

²⁾ Ripa, montis latus,

³⁾ Turótzi Chron. P. II. Cap. 97. aequè Gurgustio,

⁴⁾ Turótzi pariter: sine delectu,

⁵⁾ De hac pugna in an. 1333. diplomate „dum nos pridem in partibus Transilvanicis contra Bazarad manifestum et notorium nostrum infidelem — pro recuperandis ipsis partibus fuisset, idemque tanquam vir iniquus et dolo plenus ac nequitia, contra particularem gentem nostram, aggregata sibi quadam potentia et societate olakali, fraudulenter fide sua mediante, in quodam loco condenso et obscuro, ipsam gentem nostram invasisset.“ — Pray Annal. P. II. p. 25—26. ac in an. 1335. tabulis: „ad memoriam — posterorum — duximus inserenda: — quod nobis in terra Transalpina, ubi per Bazarab Olacum et filios eius, dictam terram nostram Transalpinam, in praeiudicium sacri Diadematis regii, et nostri, infideliter detinentes, nobis et validae genti nostrae ibidem nobiscum habitae, insultus hostilis, semel et secundo, in quibusdam locis districtis et sylvis, indaginis firmis et stipatis, saevissime obviavit.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 58. Per id autem non derogat nostro Carolus, quod Bazaradum manifestum et notorium infidelem vocet; nam post illatam cladem, obedientiam exorsit, et duntaxat sub Ludovico I. ad obsequium rediit.

*Accepta a Valachis maxima strage, periculum
aegre evadit.*

Facta est autem ibi strages maxima, et cecidit Principum et Militum incomputabilis multitudo Feria Sexta, in Vigilia Beati Martini, ¹⁾ et post in sequenti Feria Secunda, ²⁾ quorum quidem miserabilem eventum iuvenes et senes, domine cum ancillis in Castro Themes-Var, quod idem Rex fundasse perhibetur, deplanxerunt; et conturbata est illo die et hora felix Pannonia. Proch dolor! propinavit illis amaritudinem, cuius memoria flebilis est; nam ibi occubuerunt tres Prepositi, videlicet Magister Andreas Prepositus Ecclesie Albensis, vir valde venerabilis, Vice-Cancellarius Regie Maiestatis existens, cum Sigillo Regis periit. ³⁾ Item Michael Prepositus de Posoga, ⁴⁾ et Nicolaus Prepositus de Alba Transilvana. ⁵⁾ Item Andreas Plebanus de Sarus, et Frater Petrus de Ordine Predicatorum, vir honestus, dire mortis poculum acceperunt; quia in cerebra capitum eorum ligneos clavos miserabiliter affixerunt. Quidam etiam Sacerdotes, qui erant Capellani Regis, sunt occisi. Cumanorum denique corruit inestimabilis, et plurima multitudo, cadavera enim omnium, tam virorum Ecclesiasticorum, Nobilium, in loco certaminis ibidem tempus Resurrectionis generalis expectant. Nec cari eorum potuerunt suos dilectos, propter hostium incursus, aliquatenus rehabere; tulerunt enim Vlachi multos captivos tam vulneratos, quam illesos, et acceperunt plurima arma, vestesque preciosas omnium elisorum, pecuniamque in auro et argento, et vasa preciosa, et balteos, multaque marsupia grossorum et florenorum, ac equos multos cum sellis et frenis, que omnia portaverunt et tradiderunt ipsi Bazarad Voyvode. Rex autem mutaverat Armorum suorum Insignia, quibus induerat Deseu filium Dionysii, ⁶⁾ quem putantes esse Regem, crudeliter occiderunt. Rex vero ipse cum paucis per tuitionem suorum aliquorum fidelium vix evasit. Stabant enim in circuitu eius, quasi muri lapidei, Magister Donch cum Ladizlao filio suo, et cum militibus aliis de familia Regis; et Magister Martinus filius Berend, ⁷⁾ qui omnes ictus gla-

diorum et sagittarum super se recipiebant, velut ymbres pluviarum, ut Regis vita a mortis impetu servaretur. Cadebant etiam in circuitu exercitus de canina multitudine Vlachorum, quasi musce, que perdiderunt svavitatem unguenti, ⁸⁾ cum Christianum populum, et unctos Christi Sacerdotes immisericorditer percusserunt, quorum Vlachorum numerum, ibi per Hungaros occisorum, subtilis solummodo infernalis compotista ⁹⁾ collegit. Rex autem cum tali eventu venit ad Temes-Var, et sine mora venit deinde ad Visegrad. Porro, cum Hungari fortissima et durissima prelia ubique gessissent, istud eisdem accidit, ne propter victoriam frequentem superbirent; vel certe post superbiam precedentem corriperentur: ut humilitatem discerent et docerent, quatenus divine dilectionis gratiam per paterne correctionis flagella uberius mererentur; quia illos corrigit Deus Pater, quos diligit.

¹⁾ Seu 9. Novembris 1330, qua de re Chronicon Poseniense: „Anno Domini MCCC.XXX. feria sexta ante festum beati Martini in terra Bazarad, Karolus rex fraudulenter est devictus, et multi Hungarorum, Barones, et Nobiles, inter quos Andreas Prepositus Albensis, miserabiliter sunt interempti.“

²⁾ Quae incidit in 12. Novembris.

³⁾ Carolus in an. 1335. diplomate: „privilegium nostrum, sigillo nostro mediocri, quod in partibus Transilvanis quodam casu inopinabili extitit amissum.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 84.

⁴⁾ Posega ab an. 1765. L. et R. Civitas in cognomine Provincia olim ad Hungariam, nunc ad Slavoniam pertinente. Fundatum est Collegium illud a Bertholdo Reginae Gertrudis fratre, postquam is a Sede Colocensi ad Patriarchatum Aquileiensem translatus erat; et a Colomanno filio Regis Andreae II, ex eadem Gertrude suscepto, cum is ex Halicia ad gubernandam Croatiam, Dalmatiamque transiisset.

⁵⁾ „Cuius fundator et dotator (Bela) I. Rex Hungariae, proavus noster — miro modo fuit — praenominatus Bela Rex proavus noster, et Beatissimus Rex Ladislaus.“ ita Rel. IV. Rex in an. 1263. tabulis. Cod. Dipl. Tom. IV. Vol. III. p. 106—108.

⁶⁾ Dionysii de Futak.

⁷⁾ Origine Saxo, inquit RR. Auctor Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. III. p. 768. cuius avus e Polonia fodinarum colendarum causa in Hungariam evocatus fuit.

⁸⁾ Sic, restituo pro unguenti.

⁹⁾ Compotista, Computator, seu, qui numerum init.

Stephanus, futurus Transsilvaniae, Scepusii, ac Sáro-siensis Dux nascitur Anno 1332.

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo, in festo Sancti Stephani Regis, habuit Rex filium, quem Stephanum nuncupavit ¹⁾.

¹⁾ Conf. Mugleni kap. LXXI. „denselben sun nant er nach dem heiligen kunig Sant Stephan.“ — „Qui Stephanus obiit in vigilia beati Laurentii, Anno Domini Millesimo tricentesimo quinquagesimo quarto, de exercitu moto contra Rascianos.“ Statut. Capit. Varad. L. L. Eccl. Tom. III. p. 223. et Ludovicus in an. 1352. diplomate „consors Domini Stephani Ducis, fratris nostri charissimi, Domina Anna, filia Domini Imperatoris.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 218. quae Ludovici Bavari Imperatoris filia erat, nomenque Margaretae assumsit, ex quo Connubio Stephanus postea Ioannem, et Elisabetham sustulit,

Carolus iter in Siciliam cum Andrea filio suscipit, ut se de nuptiis inter hunc, et Iohannam, Roberti, ac Sanctiae neptem olim designatis: atque de successione in Sicilia certiore redderet. Anno 1333.

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tercio, egressus est Rex de Visegrad cum Andrea filio suo puero sex annorum, in mense Iulii, et perrexit cum bona comitiva militum per Zagrabium ultra mare, ut filium suum per voluntatem Summi Pontificis, Domini scilicet Iohannis XXXII. ¹⁾ et ad instantiam et petitionem inclitissimi Regis Roberti, Regis Sicilie, regnique eiusdem coronaret in Regem. ²⁾ In cuius Regis comitiva societate profecti sunt, Chanadinus Archiepiscopus Strigoniensis, ³⁾ Andreas Episcopus Varadiensis, et Iacobus Longobardus Phisicus, Episcopus Chanadiensis, et Magister Donch supra nominatus, et alii Nobiles plurimi de Regno. ⁴⁾ Qui Rex rediit cum sospitate in mense Marcii, et cum sanitate omnium suorum, qui ipsum fuerant comitati. Filium autem suum ibidem raliquit, non tamen coronatum, sicut optabat; sed sub tutamine et protectione Regis Roberti patruelis sui. Qui Rex Robertus erat Rex regni Sicilie, vir magne scientie et sanctitatis, sed decrepitus iam etate: volebat renunciare seculo et regie dignitati, ut contemplationi va-

caret, et puer in regnum succederet memoratus. Sed interdum altiori usus consilio, noluit descendere de culmine, dum viveret, Regie Maiestatis. Post mortem vero eius recipiat coronam Regni puer de iure sibi succedens; quia heredem, quem habuit Rex Robertus, mortis debito propere obedivit.

¹⁾ Pro XXII.

²⁾ Carolus in an. 1335. donatione Thomae facta: „cum nos ad inductionem, seu petitionem diligentem et diuturnam consultationem inelyti Principis Domini Roberti, Ierusalem et Siciliae Regis illustris, Patris (patruelis) nostri carissimi, Andream primogenitum (sic) nostrum ex deliberatione diutius definita, Neapolim locum videlicet nationis nostrae, personaliter ducere, per fideles nostros mittere Anno M.CCC.XXX. disposuissemus; ibi postea feliciter Deo propitio regnaturum, eundem Magistrum Thomam, considerata eius prudentia, et sagaci eius industria ac sollicita fidelitate, pro Magistro et Informatore morum eiusdem filii nostri, ac Reotore totius familiae eius et status, vice oculorum nostrorum, constituimus, et eundem cum filio nostro praedicto ante nos ad maritima, videlicet in Senniam praemisimus, quem nos tandem satis post multos dies personaliter sumus secuti — in ipsam Civitatem Neapolim feliciter pervenimus. — Post haec autem mora ibidem satis longa protracta, dum in regnum nostrum Hungariae abinde redire proposuissemus, ipsum Magistrum Thomam, cum Henicone Duce, germano Dominae Reginae consortis nostrae charissimae, cum regio thesauro nostro nobiscum habito, et ibi aquisito, in ipsum regnum nostrum Hungariae redire praemisimus, nobis etiam redeuntibus in regnum.“ Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 57—60.

³⁾ Chanadinus de Thelegd, adi Wagnerum Collect. Geneal. Dec. III. p. 110.

⁴⁾ Hoc in itinere cum Spalatinis in gratiam rediit. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. VI. p. 126.

*Bohemorum, atque Polonorum Reges Vissegradii
hospitio excipit Anno 1335.*

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quinto, circa festum Sancti Martini, ¹⁾ Iohannes Rex Bohemorum, cum Karolo filio suo; et Rex Polonorum, ²⁾ venerunt ad Regem Karolum in Hungariam ad Castrum Vysegrad, pro perpetue pacis concordia componenda, quod

et factum est. ³⁾ Omni die enim ad prandium Regis Bohemorum ex magnificentia Regis Hungarie expendebantur duo millia et quingenti panes, et de cibis regalibus copiose. Pabulum etiam equis suis per singulos dies viginti quinque garlete. ⁴⁾ Ad prandium vero Regis Polonorum mille et quingenti panes, de cibariis etiam habundanter. De vino autem expense sunt centum et octoginta tunelle. ⁵⁾ Remuneravit autem Rex Hungarie Regem Bohemorum diversis et preciosis clenodiis, videlicet quinquaginta vasis argenteis, duabus pharetris, duobus balteis, et una tabula pro scacis ⁶⁾ mirabili, duabus sellis inestimabilis precii, uno bicello valente ducentas marcas argenti, et una concha margaritarum mirabili opere composita. Item, quia Rex Polonie erat Regi Bohemorum censualis, et quia Rex Hungarie Karolus habebat sororem Regis Polonie in uxorem, dedit ei Rex Hungarie, idem Karolus, ad redimendum eum Regem, de solutione censuali Regi Bohemorum, quingentas marcas auri purissimi. ⁷⁾ Et ibi ordinatum est, ut quemque ipsorum Regum, vel Regna eorum hostis invaderet aliquis, ceteri debeant in sui adiutorium et iuvamen festinare; et istud fuit confirmatum inter eos cum magno federe iuramenti.

¹⁾ Tertia Septembris iam Vissegradini fuerunt; confer hanc in rem tabulas Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 62—72.

²⁾ Casimirus.

³⁾ Foedus offensivum ac defensivum cum Ioanne Bohemiae Rege 3. Septembris 1335. in Alto Castro initum lege sis p. 66—69. ibidem.

⁴⁾ Garleta, Galeta mensura frumenti, nostris, ut Parizpápai innuit, Köböl, Cubulus, qui continet duas Metretas Posenienses, haec autem 64. medias. Idem, quod Germanis, das Muth. Conf. Ioannis Leonhardi Frisch Teutsch Lateinisches Wörterbuch, Berlin 1741. in 4. p. 679. et Ioannis Christoph. Adelung Grammatisch-Kritisches Wörterbuch.

⁵⁾ Tunella, Tunna, Parizpápaio: Átalag, Tonnátska, Légely, Csöbör, hodieque circa M. Varadinum Tinna in usu est, maior et minor; illa 100. haec vero 50. mediarum.

⁶⁾ Scatz, Carolo Du Fresne, pecuniam, thesaurum, gazam significat.

⁷⁾ Carolus, Ioanni Bohemiae Regi, iuribus ac titulo Regni Poloniae renunciati, de solvendis sex mille marcis, an. 1335. 19.

Novembris Vissegradini ita cavebat: „promittimus firmiter — quatenus, si — Dominus Casimirus Rex Poloniae in festo Paschae Domini proxime nunc venturo, sex millia marcarum — eidem Domino regi Boëmiae non solverit — extunc nos, vel filii nostri, eidem Domino Regi Boëmiae — ad solvendum praedicta sex millia marcarum sexagenarum erimus obligati.“ — Ibid. p. 73—74.

I n c i d e n t i a.

Dux quoque Ruthenorum Lothca ad eum invisit, semetque ultro subiicit Anno 1338.

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo octavo, circa festum Apostolorum Petri, et Pauli Dominus Lothka, Dux Ruthenorum venit in Vysegrad, cum electo populo militum suorum, ad Regem Karolum Hungarie, promittensei omnis amicitie incrementum ¹⁾.

¹⁾ Eodem hoc anno novorum illic initorum foederum tabulas exhibet ex Goldasto Auctor Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. IV. p. 295—298.

I n c i d e n t i a.

Casimirus Poloniae Rex, ductis secum Regni Primoribus, Vissegradum attingit, et Ludovicum haeredem Poloniae constituit Anno 1339.

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo nono, Kazmerus Rex Polonie in mense Iulii venit in Vysegrad ad Karolum Regem Hungarie cum Episcopis, et Baronibus regni sui; et de consensu et voluntate omnium illorum, regnum Polonie libere resignavit Domino Ludovico, filio Regis Karoli, filio sororis sue eo, quod non haberet filium; et ad hoc confecerunt evidens instrumentum. ¹⁾

¹⁾ Dlugossus Lib. IX. col. 1055. eam vero haec pacta vim habuerunt, ut Casimiro, post tricenos annos mortuo, Ludovicus, Caroli filius, in Regno Poloniae successerit anno 1370. hic vero Hedvigi filiae, Vladislao Iagelloni postea nuptae, Poloniam reliquerit.

Incidentia.

*Locustae Hungariam, vicinque Regna depascuntur
Annis 1340. 1341. et 1342.*

Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo, tribus annis subsequentibus, videlicet quadragesimo primo et quadragesimo secundo, infinita multitudo locustarum ingressa est per Syrmiam in omnem partem Regni Hungarie transiens, turmatim volitando, et gradiendo in terra, super omnia virentia in arboribus, segetibusque, ac graminibus potestatem accipiens, preter folia vinearum. Post triennium autem in circumiacentia regna, scilicet Polonie, Bohemie, et Austrie recedentes, se diviserunt usque ad Italiam, et Franciam, et sic morte perierunt. ¹⁾

¹⁾ Quum hoc malum pluribus annis grassatum fuerit, scriptores in anno consignando dissentiunt. Conf. Chronicon Bohemicum Besseni, et Nepkalonis apud Dobner Monum. Hist. Tom. IV. p. 28. et 121.

De morte Regis Caroli.

*Oratio Chanadini Archi-Episcopi Strigoniensis in Caroli
funere habita Anno 1342.*

Heu me! quia huius mundi decus et gloria a primevo temporis spacio nunquam in uno statu permanens, sed semper variando versaliter, atque caduce se protendens in nichilum, tanquam aqua decurrens, incedit. Nam omnia, que a terre gremio, usque circumferentias celi ambitu orbis continentur, dilabuntur in terram; et quia nec ulli mors impia parcendo, nullaue pacis tramite simulando, miseretur, cadit vita humana pre timore ipsius, dum stare putatur, quasi flos, et protinus aret. O mors! que per excessus delictorum veteris parentis prothoplasti, morsu pomi noxialis, diabolice fraudis instigante nequicia preconcepta, serpentino veneno virus iniquitatis infun-

dens, inferendo in orbem terre, ¹⁾ filios eiusdem prothoplasti impavida non timens, neque verens, dolo fraudis repleta, diripiendo ac devorando, intrasti, semitas primitus queritasti. Mirum est, quod tanta gulositate insatiabili, rapacitate latrocinali cadavera mortuorum deglutendo, non satiaberis? Et cur de corpore fetidissimo mortuorum, quam vivorum congaudendo gratularis? Non enim ad domum, convivium, et cuiuslibet solennitatis festum, sed ad locum luctus plus festinas temere properare. Neque casas pauperum, neque aulas, seu atria Regum, nullo nuncio mediante, adire formidas. Nec non coniugatos ex vera dilectione matrimoniali invicem copulatos, divortionis vinculo innodare non pavescis; filium a patre, patrem a filio separando. Nonne amaram, duram, crudelem, et impiam te fore ostendebas, dum Anno Domini millesimo tricentesimo quadragésimo secundo, sequenti die Divisionis Apostolorum, Decimo Septimo Kalendas Augusti, ²⁾ Castrum fortissimum inestimabilis altitudinis, et muros eiusdem inexpugnabiles, cui nec vis, nec potentia huius mundi poterat quoquo modo dominari, ³⁾ tue vulpine dolositatis astutia clandestine, invisibiliter introire non expavens, et ibidem hostilitatis arma potentissimi Principis Domini Karoli, Dei gracia Regis Hungarie, cuius potencie, Altissimo taliter disponente, Dalmacia, Croacia, Rama, Servia, Gallicia, Lodomeria, Cumania, Bulgaria, totaque Hungaria, Salernaque, ac Mons Sancti Angeli ⁴⁾ et alia Regna, puta: Poloniensis, Bohemiensis, Austriensis, circumquaque adiacentia, trepidando abhorrebant, imminere non metuens, ipsumque quadraginta duobus annis, et non pluribus, vite comitem, regnare permisisti; sed acriter tua dolositate consveta, de medio regnicolarum, manifeste cernentibus, felicissime recordationis pium Regem nostrum famosissimum, ac potentissimum, non gazis, ac preciosis vestimentis, gemmis et preciosis splendidis margaritis adornatis, auro et argento desuper contextis: sed Spiritu vivificato spoliando, subtraxisti, et ipsius splendentes honores in nichilum, in terram humando, obumbrasti. Novissime vero videntes

ipsum regnicole esse pium ac exaltatum; sicut cedrum Libani, transeuntibus et querentibus eum suis regnicolis, et ecce non erat. Quapropter tuum grande factum nepharium; omnibus re vera dilectissimis Catholice fidei cultoribus, pariter fidelitati semitarum adherentibus pium, ut ipsum Dominum Regem Karolum oporteat flere, et ipsius obitum proxi dolor! lamentabiliter condolere. O! quantus fletus, quanta lamenta Prelatorum, Præcerum, Baronum, Nobilium, Virginum, Dominarum, et cuiusvis status et conditionis hominum; specialiterque Domine Elizabeth serenissime Regine, carissime consortis eiusdem, et Domini Lodovici, hunc Regis, ac Stephani Ducis filiorum suorum ploratus, eiulatus, et ululatus prorupit, in diem decessus ipsius ministrarunt. ¹⁾ O! quis considerasset, et considerare antea premeditando debuisset, quod tam ineffabile gaudium et hilaritas vultus serenissime Domine Regine, tam crudeliter asperitate lachrymarum sic etiam mutatus, et rivulis gurgitum, ad instar aquarum, ab oculis eiusdem usque ad terram, a tempore obitus ipsius incessanter currentibus humefactus, ac organica vox clamoris et gemitus eiusdem, et suorum regnicolarum, ad orbis celi summitatem perveniendo, æthera, quasi eidem compatiendo, imo sol, sui optimi coloris radios plurimum videbatur obfuscare.

¹⁾ Hæc oratio ex iisdem prædictis fontibus manaverit, e quibus sermo hungaricus tempore sepulturae apud nos olim dici solitus, petebatur; Conf. Koller Hist. Episc. V. Eccl. Tom. I. p. 414. Nicolai Révai Antiqu. Literaturæ Hung. Pest. 1803. in 8. p. 37. et sequ. Antiquitat. Hungar. per Academ. Hung. edit. Tom. I.

²⁾ Seu 16. Iulii, quæ fuit dies Martis; cum iam mense Maio aegrotasset. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. VI. p. 183.

³⁾ Intelligit Altum Castrum, seu Vissegrad, quo, Buda, tutioris permutationis ergo; sedem transtulit.

⁴⁾ Carolus in tabulis, quibus anno 1317. Ioannem Delphinum, fratrem suum Viennensem, et Albensem Comitem, iurium suorum in Sicilia procuratorem constituit: „ad petendum, exigendum et recuperandum — principatum Salerni, et iura dicti principatus; nec non et Honoris ac Montis Sancti Angeli, et iura eiusdem; si te constant in civitatibus, seu castris, vel villis“ etc. Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. II. p. 41—42. — Honoris nomine, Beneficiis

esse intelligendum, docet Du Fresne in Glossario. Est autem is mons in Apulia, Gargani nomine alias cognitus, cui oppidum insidet, cuius ditio amplissima ad litus maris Adriatici porrecta, Dalmatiae obiiicitur, freto, quod interiectum est, facile navigabili, diremta.

⁵⁾ In Codice Ocskayano contracte: secessus ipsius ministrart.

Funeris narratione interrumpitur.

Tandemque die sequenti, ob preceptum dicte Domine Regine, Archiepiscopis, Episcopis, Prelatis, Baronibus, Presbiteris, Fratribus, Clericis omnibus simul convenientibus, lachrymabiliter processive pergentibus, quorum preexcellens multitudo lachrymarum, ut dictum est, amarificata, ad dictum Castrum adeuntes, et preciosissimum caput ipsius, iuxta decenciam Regni sui honoris, Corona aurea, ¹⁾ corpusque ipsius splendidissimum, tunica scarletina, ²⁾ ac etiam caligis sotularibus ³⁾, gemmis preciosissimis contextis, et desuper calcaria aurea pulcherrimis pedibus Sue Excellencie annectendo, induentes, de predicto Castro inexpugnabili, in Ecclesiam parochialem Virginis gloriose in Vysegrad Civitate constructam, planctu magno deferendo. Planxitque eum universus populus Civitatis planctu magno valde. Peractis autem ibidem Divinis institutionibus, et Missarum solenniis, corpus ipsum super cimbam per decursus aque Danubialis, in Civitatem famosissimam, Budam videlicet, est delatum. Antecedebat autem flebiliter ipsam multitudinem Praelatorum, Baronum, in Regnicolarum Vexillo Triumphali, miles famosissimus, atque manu fortis, Laurentius Sclavus, ⁴⁾ cuius intererat tempore vite ipsius Domini Regis, ex officio eidem incumbenti, Vexilla Regalia ferre, loco opportuno. Ubi omnes Cives dicte Civitatis famosissime, Sacerdotes, et Clerici, ac Viri Religiosi, ipsamque inhabitantes alii, processive pergentes condolendo, oculis lachrymantibus, vestimenta lugubria portantes, obviam ipsius corpori, usque ad Danubium processerunt. ⁵⁾ Et dum in dictam Civitatem adduxissent, supra corpus ipsius Cantica psallere, et alia Divina Officia, ut mos est, pro expiratis eorundem, per totam noctem preces offerre cantando, non cessant Summo Creatori. Tercio namque die

obitus ipsius, in eadem Civitate, medio temporis spacio, quousque Divina Officia, vel Misteria incepta, et Missarum solennitates, more debito, peragerentur, tres sollemnes dextrarii ipsius Domini Regis Karoli, suis falerati purpureis coperimentis, super quos Milites strenui, armis eiusdem Domini Regis induti, ante fores Ecclesie ⁶⁾ stantes, quorum quidem Militum, super uno ipsorum dextrariorum, cum armis tornamentalibus ⁷⁾ Regie Excellentie competendis: et alter ad hastiludium aptus, ⁸⁾ terciusque dextrariorum preciosior existens, cum armis bellicis, ad intrandum etiam exercitus, pro Regia Maiestate competendis. Quorum quidem trium Militum, dictos tres dextrarios consedentium signa, in Galeis forma Strucionis Avis, cum Coronis aureis circumdatis, que per ipsum Dominum Regem, vita sibi comite, haberi et ferri consueverant, habebantur. ⁹⁾ Universa namque ferramenta streparum, ¹⁰⁾ et habenarum, seu rudibularum, et alia eidem spectantia de argento aureato, iuxta decentiam Regie Excellentie, fabricata existebant, corrigiarumque ¹¹⁾ cinguli et frena, ac similia alia, cum antenis, et postenis, ¹²⁾ serice substantie contexta fuerant. Nobilissimis namque picturis purpureis, gemmis et lapidibus preciosissimis, dicti trini dextrarii et Milites, in persona et spiritu eiusdem Domini Regis, super ipsis dextrariis tegebantur; quos, ut dum cuiuscunque conditionis homines aspiciebant transeundo, et dicta Signa Regalia intuebantur, eo, quod idem Dominus Rex hactenus imperium Regni Hungarie, habitis premissis Signis et dextrariis, feliciter gubernaverit; mox prorumpebant in fletus, et validissimis ethera ululatus propulsantes.

¹⁾ Illa esse videtur, quam anno 1309. Gentilis Cardinalis fabricari fecerat. Ludovicus I. Rex in an. 1349. tabulis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 644—646. „quia Iohannes, Custos Ecclesiae Albensis, propter nequitiosam, quondam Serenissimi Principis, Domini Caroli Regis, pia memoriae, patris nostri charissimi, naturalis Domini et Benefactoris sui, in Ecclesia Albensi, loco scilicet sui cathedrali, honorifice sepulti funeris exhumationem, eiusque corporis exfossi denudationem, atque Coronae ipsius aureae mirifici operis, tempore suae depositionis, in ipsius caput locatae,

manifestam subtractionem, iuxta sui criminis qualitatem — manifestam notam infidelitatis incurrendo, ad vescendum pane dolo-
ris, et aqua angustiae, perpetuo carceri est deputatus.“

2) Scarlatinus, Coccineus.

3) Caligae sotulares, seu subtalares. Sötulares autem calceos significant. Gloss.

4) In historia Ludovici: „Nicolaus filius Laurentii Tóth, qui postea Konth fuit cognominatus.“

5) Priscos Hungariae Reges excipiendi morem legis in Budensis Statutis, quae edidi in Libro, cui titulus: Buda és Pest Székir. Városok volt régi állapotjáról Pestini 1833. in 8.

6) Nimirum B. M. Virginis, quae Germanica olim audiebat, hodieque omnium urbis Ecclesiarum caput est.

7) Torneamentum, de quo in Glossario apud Du Fresne: „Torneamentum dicuntur quaedam nundinae, vel feriae, in quibus Milites ex edicto convenire solent, et ad ostensionem virium suarum, et audaciae temere congregari, vel congregari. Hovodeno Militaria exercitia, quae nullo interveniente odio, sed pro solo exercitio, atque ostentatione virium fiebant. Vocabuli etymon a verbo torner, et tourner, i. e. in orbem circumduci, circumflecti. Qui enim in his militaribus decursionibus, ludisque decertabant, quos insidebant, flexis in gyrum froenis, equos circumagebant.

8) Hastiludium, ludus Militum cum hastis, scilicet quando equites currunt, et frangunt hastas. Synodus Herbipolensis ad an. 1287. c. 4. Hastiludia a Torneamentis aequè distinguit. Gloss. Differebat autem Hastiludium, seu Iusta, monomachia ludrica, hastiludium singulare, a Torneamento, quemadmodum species a genere. Torneamentum enim universim dicebatur omnis ludrica decursio militaris: Iusta verò, seu Hastiludium singulare, pugna aut prelium, quod in Torneamento fiebat. Deinde Torneamentum plurius, et turmatim congregientium: Hastiludium singulare erat certamen. Confecta namque prima militari decursione, et finito omnium, qui una simul aderant, ex utraque parte prelio, ad singulare certamen, seu ad Iustam, Hastiludium progrediebantur. — Arma autem Caroli referebant colores Albam, et Rubrum; quia Galli teste Spannero, albis baltheis utebantur: Ioannes autem Triers Einleitung zu der Wappenkunst p. 603. causam, cur Andegavensis Domus minio usa fuerit, hanc assignat: „Weil das ältere Haus Anjou, welches zu der Neapolitanischen Crone gelangt war, einen rothen Turnier-kragen zum Beyzeichen hatte; so wurde den Prinzen vom königlichen Französischen Geblüt, welche nach der Zeit den Titel von Anjou geführt, eine rothe Einfassung zum Beyzeichen gegeben.“ Schema Albi et Rubri colorum, quibus Hunga-

riae Insignia tinguntur, e Caroli Armis mutuatum esse coniicio. — Lege Cassoviensium Armales per Ludovicum Regem an. 1369. concessas, Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 174—175. Confer etiam Caroli Numos apud Stephanum Schönwisner Notit. Hung. Rei Nummar. Bud 1801. in 4^o p. 187, et sequ.

⁹⁾ Quum Struthio non fuerit Caroli Insigne Gentilitium, sed Lilia in Campo caeruleo, Fasciis Albis et Rubris coniuncta; symboli huius aliunde repetanda est origo. Iovio auctore apud Philippum Picinelli Mund. Symbol. Tom. I. Lib. IV. Cap. LXI. Struthio ferrum rostro tenens, illius imago erat, qui iniuriam longo tempore dissimulatam, tandem ultus est. Aresio autem haec Avis cum Solea animum generosum, ac iniuriarum facile immemorem designat, Quae interpretationes Caroli temporibus, mirum quantum conveniunt. Struthionis demum Caput in medio duarum plumarum e Corona prominens, rostroque Soleam gestans, non modo in Armis, et Numis; verum etiam in eius Sigillis passim occurrit.

¹⁰⁾ *Strepa*, *Stapes*, quo quis in equum tollitur, cui insistent pedes equitantium.

¹¹⁾ *Corrigia*, lorum.

¹²⁾ *Postena*, *Postella*, ornamentum equi, dicta quasi post sellam; sicut *Antena*, seu *Antella*, ante sellam. Gloss.

Vetus ac recens Reges sepeliendi mos,

Peractis tandem Divinis Institutionibus, et Missarum Solemnitatibus; non more aliorum quorundam Regum, dudum defunctorum, quos, felicissime recordationis, scripture aliarum epistolarum venerabilis commendat auctoritas, ¹⁾ non velata facie, nec corpore eius, alicuius diei spacio celato, prout abusiva consuetudo, aliis vicibus, quorundam Regum funeribus perhibetur astruxisse: sed manifeste, omnibus presentibus, facie ad faciem manifeste cernentibus, ad Albensem Civitatem deferrebat dictum corpus tumulandum.

¹⁾ Haec indicio sunt, aliorum quoque Regum funebrem pompam hunc in modum consignatam fuisse.

Funeris Narratio continuatur.

In deferendo autem corpus ipsius, ad quamcunque mansionis villam deveniebat, omnes homines, tam viri, quam etiam mulieres, lachrymarum fletu condolentes,

clamore maximo in amaritudinem conversi, ethera propulsando, resonabant. Dumque ad, ¹⁾ Albensem Civitatem dictum corpus perveniret nitidissimum, modo, quo superius allegatur, Prelati, Presbyteri, Clerici, aliique Regnicole, ac Cives dicte Civitatis extra Civitatem celeriter pergentes, ipsumque corpus, vivificato spiritu spoliatum amarissime circumspicientes, in inenarrabiles fletus se, eo viso, prorumpentes, illud intra Civitatem detulerunt. Illi quoque Sacerdotes, et Clerici per totam noctem ymnos et psalmos Deo decantantes, in vigiliis pausando, deduxerunt noctis prolixitatem; dieque lucescente, inceptis Divinis, et Missarum Solennitatibus, quousque Divina Misteria incepta, et Missarum Solennitates, more debito, eodem die peragerentur, antedicti trini dextrarii ipsius Domini Regis, modo premissis falerati, purpureisque coeperimentis decorati, super quos prefati Milites strenui, Arma eiusdem Domini Regis induentes, ante fores ipsius Monasterii, ²⁾ ut est premissum, steterunt perdurantes; et demum eisdem digne completis, consummatisque in eodem die celebrari debentibus, in Supremo Monasterio, ubi Sanctissimi Regis Stephani, et Emerici Ducis, filii sui, Sanctissima Corpora, diversis corruscantia virtutibus et miraculis, in Domino feliciter requiescunt, et summa pietatis opera, ipsa benigne implorantibus misericorditer partiuntur; iuxta Altare magnum, in vestimento regali, ad hoc sibi debito, per predictos enarratos Dominos Archiepiscopos, Episcopos, Prelatos, et Abbates, sacris vestimentis indutos, extitit tumultum, et omnes unanimiter planxerunt eum simul in unum, dives et pauper, in tantum, ut marmorei, lapides densitate lachrymarum, plurimum fuerant humefacti, tunc enim tam maximo clamore gemebundi omnium circumstantium fauces rauce facte sunt, oculique ipsorum, pre tantis lachrymis, visibus naturalibus fere defecerunt.

¹⁾ Praeposito: ad, desideratur in Chronico nostro, quam e Turótzio supplevi.

²⁾ Monasterium hic sumitur pro Ecclesia Collegiata: quam noster supremum, seu capitale Monasterium vocat, quod Regium fuerit.

Chanadinus Strigoniensis Archi-Episcopus Regi Oratione parentavit.

Ubi etiam Venerabilis in Christo Pater, Dominus Chanadinus Strigoniensis Archiepiscopus, de obitu ipsius Domini Regis, salubri ac pio sermone, intentos animos, et pia corda circumstantium linivit condecenter. Cuius quidem lachrymositatis, innumerabilis mesticie pretextu, creditur eos, qui Reges tumulari non conspexerunt, de acerbitate doloris, instillationeque lachrymarum, quasi imparticipes et inscios fortè et extare.

Funeris Oratio, pompae, funerationisque narrationibus intercepta, porro continuatur.

Attamen nimirum, quod omnes creature carne et pelle vestite, ut est pretactum, per lapsum veteris parentis prothoplasti, in culpam sint morituri. Nam in omnem posteritatem moriendi legem condidisse videtur generalem et incommutabilem adeo, ut Altissimus proprio filio suo, licet Deitate vestito, parcere noluit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non igitur quisque indignando Creatori, propter factum mortis inevitabile et incommutabile, potest obviare; et quod non est sapientia, neque prudentia, neque fortitudo, neque consilium contra Dominum; sed potius ferendus est gravis eventus necis patienter; quia, quod donaverat Dominus, accepit, et in die illa surrecturum in ipso.

Dona Ecclesiae Alba-Regalensi ea occasione oblata.

Tunc ibidem predictum Supremum Monasterium, cum aliis Ecclesiis, innumerabilibus muneribus regalibus, et oblationum maximis quantitibus extitit donando remuneratum. Et tandem ante dicti trini dextrarii solemnes, cum armis et coperimentis omnibus ipsorum gloriosissimis, seu attinentiis, cum sartaneo curru, ¹⁾ seu mobili, aut ostilario regnali, Signo Regio, desuper forma Avis Strucionis, deaurato et gemmis adornato, cum septenis nodulis globaribus argenteis, et similiter deauratis, ob planctus

memoriam ineffabilis, et luctus amaritudinem iam dicti Domini Regis in posterum semper in memoriam revocandi, cum innumerabilibus supradictarum quantitatum pecuniis, dicto Monasterio dati et concessi extiterunt. Cuius quidem donationis et oblationis maxima quantitas, ibidem die tumulationis facta, data et concessa, in presenti scriptura seriatim non ponitur, ne calamis scribentium, pariterque legentibus fastidium multiplicationis generaret sua prolixitate,

¹⁾ Du Fresne in Glossario putat legendum: Sambuca, Sambuta, Sambuta, quae erat currus, quo nobiles feminae vehebantur. At Sartaneus ex Sarraca, Sarracum, quod vehiculum denotat, ortum videtur, cuius Iuvenalis Sat. 3 et 5, Sidonius Lib. 4. Epist. 18. Cic. in Pisonem. Quintil. Lib. 8. cap. 3. Vitruv. Lib. 10. cap. 1. meminerunt; nostris Hintó, ceu, ut Chronicon explanat, mobilis et oscillarius currus,

*Casimirus Rex Poloniae, et Carolus Marchio Moraviae
Vissegradini Defuncto parentant.*

Deinde vero potentissimi Regis obitum, famosissimus Rex Kazmerus Poloniae, proximus eiusdem; et Marchio Moraviae, ¹⁾ in Vysegrad venientes, condolenti animo celebraverunt. Demumque triginta diebus completis, Quarta Feria proxima ante festum Assumptionis Virginis gloriose, ²⁾ tricesimum diem ipsius Regis, Karoli cum magna solennitate Missarum, altissimo Domino omnium Creatori, velut superius extitit enarratum, Praelati, Episcopi cum Baronibus quam pluribus Albam, ubi corpus ipsius Domini Regis Karoli solenniter in Domino requiescens, extiterat tumulatum, accedentes, ibique Albe, et in Vysegradiensi Civitate, Domina Regina cum filio suo Lodovico tunc Rege coronato, sibi predilecto, aliisque Prelatis, Episcopis, Presbiteris, Baronibus, et plurimis Christi Fidelibus, funeris obsequias devotissime celebrarunt; et totius Regni Universales etiam in toto Regno diffuse, eodem solennitatis voto, et Missarum solennitatibus, dictum officium celebrantes, compleverunt.

¹⁾ Quippe Carolus.

2) Seu 14. Augusti, quae anno 1342. dies Mercurii, et ab obitu Caroli, qui 16. Iulii contigit, omnino tricesima fuit.

Funebris Orationis epilogus.

Imploranda ergo est unanimi consensu clementia Dei omnipotentis, pro eodem Domino Rege Karolo, ut cum anima ipsius clementer dispenset eidem indulgendo, et in numerum ipsius anima, ac cetum Sanctorum Confessorum omnium, ac Regum Stephani, et Ladizlai, dignetur collocare; et prout quod in presenti seculo regali triumpho vixerit: ita etiam in futuro seculo cum Angelis valeat exultare.

Metra de Morte Karoli Regis,

Caroli Regis Epitaphium.

Supreme Rex Christe, finis hominis extitit in Te,
Ergo propicius sis nobis omnibus unus.
Tolle peccatum nostrum, deleque reatum,
Et Karoli Regis; qui cessit mensibus istis:
Augusto primo cum sol versatur in cancro; ¹⁾
Sequenti festo, quod est Divisio, primo
Atque die, numerum complevit anima notum.
Quod pepigit quisque, Rex, Princeps, Rusticus vere
Tenetur, modico hoc corpus tempore dico.
Non maius longum spacium triumque dierum;
Sic feria Sexta, Dominus sepelitur in umbra.
Suscepimusque, Deus! Regnum cepit Lodovicus.
Anno Milleno trecenteno fere noto.
Ita completo finit hic quadragintaque secundo.
Asilum suum scit Rex Supremus quoque Regum.

¹⁾ Dum ait auctor, inquit Katona Hist. Crit. Tom. IX, p. 259, Augusto primo Carolum decessisse, non sic est accipiendus, quasi Kalendis Augusti Carolus obiisset; sed eo die, qui primus ab Augusto mense nomen habet. Nec enim mense Iulii plures, quam XVII, dies ante Kalendas Augusti numerantur ac nominantur: Carolum autem mortuum esse XVII. Kal. Augusti, seu XVI. Iulii, iam alias ostendimus. Mensem vero Iulium, non Au-

gustum ab auctore metrorum, quisquis ille sit, intelligi, patet e signo Cancri, quod maiori parte Iulio mense respondet, ex hoc eiusdem versu „Sequenti festo, quod est Divisio, primo atque die.“ Primus enim dies post festum Divisionis Apostolorum, est XVI. Iulii.

De Coronatione, Exercitibus multis, et de Vita, et Morte Regis Lodovici, filii Regis Karoli.

Ludovicus, mira omnium consensione, sexto post patris obitum die, coronatus, patrimonium adit

Anno 1342.

Mortuo, tumultoque glorioso Principe Domino Karolo Rege Hungarie, Dux Lodovicus filius eius, sequenti die Dominico proximo, ¹⁾ in urbe Albe Regalis, de Magnatum, Procerum, Militum, ac communitatis Nobilium Regni Hungarie voluntate unanimi et favore precedente, presentibus Domina Elizabeth matre eius, Regina Hungarie, ac Domino Thoma Voyvoda Transilvano, Dominico ²⁾ Villermo Palatino, ceterisque iam dictis Baronibus, ac Regni Nobilibus universis congregatis; per Dominum Chanadinum Archiepiscopum Strigoniensem, astantibus sibi Dominis Episcopis, scilicet: Nicolao Agriensi, Ladizlao Quinque-Ecclesiensi, Petro Syrmienti, Fratre Vito Nitriensi, et Laurentio Boznensi, cum solennitate magna et gloria, Corona Sancti Regis Stephani coronatus est. Et cum eidem genitori suo, in Regni solio, iure nature debito, successisset, ac in iuvenili flore regnare cepisset, ³⁾ nativitatem ⁴⁾ inventuti preferens, crescendo bone indolis invenis, discretionis rationem amplexatus fuisset, magno virtutum crevit augmento; reminiscens, quia multi viri fortes pro Patria sanguinem suum fundendum esse dixerunt, nec fundere dubitaverunt; quo gloriam etiam apud posteros, post mortem haberent: cogitare cepit et in animo discutere, quomodo et qualiter iura Regni sui, per Confines vicinos et Principes occupata, ac per Rebелles, seu Infideles de Regno, temeraria presumptione, in preiudicium Sacre Corone distracta et usurpata, ad Statum debitum, Divino fretus auxilio, revocaret et etiam reintegraret. ⁵⁾

1) Seu 21. Iulii. „Dominus Ludovicus Rex — qui potentior factus fuit patre suo, et subiugavit Dalmatiam, et Croatiam a medio Caranerii, usque ad fines Duratii; — coronatus post obitum Patris sui die sexta, scilicet: Anno Domini millesimo tercentesimo quadregesimo secundo.“ Statut. Capit. Varad. L. L. Eccl. Tom. III. p. 223. — in an. 1342. tabulis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. VI. p. 5. „Dominus Ludovicus — ad gubernandam — Hungariae nationis regnum hereditarium, iure geniturae sibi successum, de Praelatorum, Baronum, Procerum, et Nobilium regni, unanimi et concordii voto sublimatus, et Corona Beatissimo Stephano, Primo Regi Hungarorum divinitus condonata, die Dominico proximo ante festum B. Iacobi Apostoli, anno in praesenti praeteritum, in Alba Regali, in loco suo Cathedrali, solemniter est coronatus.“ ac in an. 1343. diplomate: „Dominus Ludovicus Rex, in patrimonium Regni Hungarici, iure et ordine geniturae sibi debitum succedens, unanimi Praelatorum, Baronum, et Nobilium Regni sui voto et intentione, in Alba Regali, solito loco cathedrali, Die Dominico proximo ante festum B. Iacobi Apostoli, An. Domini M.C.C.C.XLII. — favente Salvatoris clementia, Corona, Beatissimo Stephano Primo Regi Hungarorum Divinitus data, solemniter et honorifice fuisset coronatus.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 169. A pietate regimen auspicatus: „cum nos post decessum carissimi Patris nostri, favente Divina clementia, ad solium Regiminis Hungariae, adepta nostra coronatione, fuisset sublimati, ad visitandum — sepulchrum Sanctissimi Regis Ladislai, a quo divinum auxilium suprema cum fiduciae quotidie postulamus, cum fidelibus Baronibus Regni nostri, decenti cum honore, Varadinum accessimus.“ — Ibid. p. 58.

2) Lege: „Domino Villermo Palatino“ et pro teste an. 1343. diplomata ibid. p. 102—106. in quibus Domina Maria Folc relicta Magnifici Viri Domini Villermi Drugeth Palatini memoratur, accipe.

3) Annos natus septemdecim: „aetatis decimo septimo anno.“ Chron. Turótzii P. III. Cap. I.

4) Nativitas pro Aetas. Gloss. Turótzii Chronicon: „maturitatemque iuventuti praeferens.“ P. III. Cap. I.

5) Tempore enim inuagurationis, Reges Hungariae, praestito Iuramento, se se obstringunt, quod amissas Regni Partes, Sacrae Coronae rursus adnectere velint. Conf. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 471—475. et Annal. Hung. Academ. Tom. III. Sect. II. p. 199—228.



De primo Exercitu Regis contra Saxones Partis Transilvanie,

*Qua fortuna Ludovicus adversus Transsilvaniae
Saxones;*

Interea accidit, quod quedam Gens Saxonum in eius Regno, in Partibus Transilvanie ¹⁾ quasdam commotiones fecissent, et Censum consuetum, ac Iura Regalia solvere denegassent; ²⁾ copioso motu exercitu, idem Rex cum suis Baronibus, Militibus, Nobilibus, et Regnicolis ad conterendam ipsorum potenciam personaliter accessit, et eis refrenatis, ac ad obedientiam reductis, laudabiliter triumphando, remeavit.

¹⁾ Adi Commentationem de Initijis Iuribusque primaevis Saxonum Transsilvanorum Iosephi Caroli Eder, quae Vindobonae prodiiit anno 1792. in 4.

²⁾ De Censu Septem Sedium Saxonicarum confer tabulas per Iohannem Christianum Engel vulgatas Geschichte des Ungrischen Reichs und seiner Nebenländer Dritter Theil Halle 1801, in 4. p. 10. et sequ.

De Obedientia Alexandri Voyvode Transalpinii,

Et Valachos Transalpinos Anno 1343. usus?

Cum autem esset in Partibus memoratis, quidam Princeps, seu Baro potentissimus Alexander Voyvoda Transalpinus, Ditioni eiusdem subiectus, qui tempore predicti Karoli Regis, patris sui, a via fidelitatis diver-tendo rebellaverat, et per multa tempora in rebellione permanserat; ¹⁾ audita pietatis ac etiam potestatis eiusdem Regis Lodovici fama, ad ipsum sponte personaliter veniens, circa Confinia ipsorum Partium, ad pedes Regie Maiestatis, humo tenus est prostratus, et ad obedientiam ac fidelitatem debitam reductus et integratus; solennia munera et clenodia presentando, et suum dominium sub Sancta Corona recognoscendo, cum gaudio et leticia ad propria remeavit, et ab illo tempore fidelitatem conservavit. ²⁾.

1) Ab anno videlicet 1330.

2) Ludovicus in an. 1355. tabulis, quibus donationem possessionis Zuhna Demetrio Episcopo Varadinensi factam confirmat: „post adeptum pontificale officium, ad Alexandrum Bozorabi, Wajvodam nostrum Transalpinum occasione pacis et concordiae inter nos, et eundem tractandae, disponendae et firmandae, pluries proficiscendo,“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 399. Suae igitur ad obedientiam non redivit; quemadmodum etiam ipse Ludovicus in an. 1359. diplomate testatur: „eo tempore, quo Alexander Bazaradi, Wajvoda Transalpinus, nos pro Domino naturali recognoscere renuebat,“ Ibid. Vol. III. p. 33. et 254.

De Peregrinatione Regine Elizabeth.

Cur Elisabetha mater eo anno in Italiam profecta?

Rex autem Andreas in Apulia nondum regnabat. Domina igitur Elizabeth Regina Hungarie, mater Regum predictorum, post mortem Regis Karoli, habens devotionem visitandi Sanctorum Reliquias, et Apostolorum Petri et Pauli honorandi limina, 1) quam non retraxit femineus sexus; nec terruit prolixus labor itineris, nec timorem incussit ei multiplex maris periculum; sed virili animo fulcita, ac Divino presidio rapta, celestique desiderio incensa, de Vysegrad, in Festo Beatissime Trinitatis, 2) anno Domini millesimo tricentesimo quadragésimo tercio, iter arripuit versus Italiam cum honesta familia, et multitudine Dominarum, et Nobilium Puellarum, Baronum, Militum, et Clientum, cum multo et magno apparatu, iuxta magnificentiam Regiam ivit et processit; habens secum pro expensa viginti septem millia marcarum puri argenti, et decem septem millia marcarum purissimi auri. 3) Dominus autem Lodovicus Rex Hungarie filius suus misit post eam quatuor millia marcarum auri electi; 4) habuit etiam secum de Florenis fere cum media garleta: de Denariis vero parvis usque ad exitum Regni multum. 5)

1) Duplicem peregrinationis esopum habuit; quo Andreae filio Coronam, et Regnum parat: dein, ut pro lenocinio, et caede

Feliciani de Zaah, generisque huius extirpatione, Deum, omnis mali Vindicem, placet.

2) Quod anno 1343. in 8. Iunii incidit. Vid. an. 1343. Ludovici litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 106.

3) „Quamlibet Marcam quatuor florenis computando.“ in an. 1356. sententialibus Cod. Dip. Tom. IX. Vol. II. p. 549—560.

4) Quadraginta Octo Marcarum millia, per quatuor florenos dant 192,000. florenos; rationem ergo Katona Tom. IX. p. 310. non rite duxerit.

5) Conf. Stephani Schönvisner Notitiam Hungariae Rei Numerariae Caput. V. de ratione rei monetalis; Hungariae sub Ludovico I. p. 314. et sequ. ubi ex Rationibus Arnoldi de Caucina, Decimae Pontificiae per Hungariam sub Rege Ludovico I. ab anno 1346. ad 1353. Collectoris, haec leguntur: „Iacobus parvus Canonicus Nitriensis, pro Praebenda sua solvit duas marcas cum dimidia, computando decem pensas pro qualibet, et pensa fuit quadraginta denariorum Viennensium, qui faciunt undecim florenos, et decem denarios.“ Si calculum ineamus, evidenter patebit Caucinam hoc loco singulos florenos 90. Denariis computasse. Nam 25. Pensae per 40. Denarios multiplicatae producant 1000 Denarios. Facit autem $\frac{1000}{90} = 11. \frac{10}{90}$ hoc est: 11. florenos, Denariis 90. computatos, et praeterea denarios residuos.

Venetae itinerantem Reginam per Marc deferunt; quae Neapolim appellens, Avenionem ad Clementem VI. Pontificem, Andreae filio successionem procuratura, sollemnes Nuncios mittit.

Cui Regine etiam Veneti honestum valde et utile servitium prebuerunt; nam cum duabus galeis, propriis sumptibus in toto transitu maris, dicte Domine diligentius famulati sunt. Transito autem mari, multum pacifice pervenit in Apuliam. Cui obviavit Rex Andreas filius suus cum consorte sua, Domina Iohanna Regina; et Dominam Elizabeth Reginam, cum magna solennitate et gloria receperunt, et ita Neapolim, cunctis gaudentibus, in Vigilia Sancti Iacobi Apostoli, perduxerunt. 1) Cum igitur in Neapoli hec Regina Hungariae resideret, ducto consilio, ad Apostolicam Sedem, sollemnes nuncios, Nicolaum scilicet Palatinum, 2) Paulum Cमितem Curie Regie, 3) Thomam Ruphum, Fratrem Vitum Episcopum Nitriensem, Thomam filium Petri, nec non et Archiepiscopum Beneven-

tanum, ac alios quam plures Nobiles destinavit, ut Dominus Apostolicus sua benedictione Dominum Andream Regem faceret Corona regia decorari.

¹⁾ Id est, 24. Iulii 1343.

²⁾ Erat is Nicolaus Drugeth, frater Villermi Palatini. Carolus Wagner Genealogia illustrium Hung. familiar. Decad. III. pag. 34—35.

³⁾ Videtur e Maioribus Comitum Forgách de Ghymes fuisse.

Ipsa vero, Limina Apostolorum veneratura, Romam peregrinatur.

Interea Domina Elisabeth Regina, volens conceptam devotionem ad Deum, et ad Sanctos, effectui mancipare, ad visitanda Beatorum Petri et Pauli Apostolorum limina, in festo Exaltationis Sancte Crucis, ¹⁾ de Neapoli egressa cum tota familia, et Archiepiscopo Neapolitano, ac pluribus Nobilibus de Apulia progreditur ²⁾ versus Romam. Transibat autem per Civitates et Castella cum magna tranquillitate et pace, nulli, suo cuicumque, violentiam seu iniuriam inferentes. ³⁾ Audientes autem terrigene Reginam Elizabeth virtutibus, morum honestate, et devotione continua, ut sidus prefulgidum radiare, ac suos cum omni modestia pertransire, currebant in vicos et plateas ad ipsam adspiciendam et diligentius intuendam, et videntes eam cum admiratione et gaudio, Deum unanimiter colaudabant, quod tam Nobilis Domina, et tam Illustris Regina, relicto regno et domo, venit a finibus mundi, tanquam Regina Saba, ad querendam et promerendam clementiam Salvatoris.

¹⁾ Id est 14. Septembris, quae erat dies Domini.

²⁾ Noster: aggreditur.

³⁾ Turótzii Chron. P. III. Cap. IV. „nullo suorum cuiquam violentiam, seu iniuriam inferente.“

Et festivis acclamationibus excipitur.

Cum autem Romam inter paucos dies feliciter pervenisset, commota est universa Civitas in eius adventu. Illi etiam de Columnna ex una parte Tiberis, et Ursini ex alia parte receperunt Reginam maximo cum honore. ¹⁾

Vulgus autem reliquum ac populares magni et parvi, mulieres et puellae currebant, ubi transibat Regina, et alta voce clamabant: Vivat Regina Hungariae! et resonabat terra in voces eorum, et propter rem alias insolitam; videbant omnes populi communiter ex aspectu eius quendam spiritualem iubilum reportare.

1) Columnarum, et Ursinorum familiae in Italia, cumprimis Romae ea tempestatate illustres.

Prae foribus Basilicae S. Petri Apostoli, Sacrum Purpuratorum Collegium ei obviat, honorificeque inducit.

Perveniens autem ante fores Ecclesiae Beati Petri Apostoli, totum Collegium Romanum recepit Reginam processionaliter cum magna gloria et honore. Obtulit denique ad Altare Beati Petri Apostoli, et ad Reliquias solennia munera in calicibus, ornamentis, insignibus, et floribus iuxta magnificentiam Regialem. 1) Multa etiam Monasteria, Ecclesias, et Sanctorum limina visitavit, quae largis donariis et offertoriis honoravit. Imaginem etiam Christi, seu Veronicam, 2) bis per scalam ascendendo, permissa est clarius visitare; ad quam cum devotione accedens, summo honore et humiliter adoravit.

1) Anonymus apud Muratorium Antiquitat. Italicar. medii aevi Totin. III. „Mater Ludovici Regis Hungarorum, et Andreae Regis Apuliae -- triduo Romae mansit, et sanctuaria omnia adivit; ac plura dona Ecclesiis omnibus contulit. Frater Acutus ex Ordine Minorum Assisii -- primus omnium fuit, qui eleemosynam a regina poposcit -- Post haec pauperum multitudo in civitate Romana augeri coepit, quorum in petendo importunitas tanta erat, ut reginae largitiones nullatenus sufficerent. Itaque petentium molestiae cedens regina, ab urbe secedere et abire statim coacta fuerat. Nam pauperes habent mores corvinos, rustici montani habent lupinos. Matronae Romanae multos reginae exhibuerunt honores. -- Regina haec Hungariae in Rheda deducebatur; Rhedani sex equi vehebant; octo Comitissae cum ipsa considebant, vultusque ad reginam converso, eam singulae intuebantur. In alio culcu deductae prosequabantur aliae mulieres nobiles, hungaricis velis et corollis purioris auri in capite orantae. Quinquaginta milites ad aurea culcaria circum stipabant reginae Rhedani; famulitum aliud subsequebatur.“

2) Veronica, Romanis appellatur tabella, in qua Christi Domini pergrentis ad Crucis supplicium, divino miraculo expressa effigies efformatur, quae asservatur et colitur Romae in Ecclesia S. Petri. Voce, ut quidam volunt, formata ex Vera Icône. Du Fresne in Glossario.

Peracta devotione, factisque, pro more aetatis illius, immensi pretii donativis, Neapolim repetit.

Hiis itaque gestis, atque perfectis, valefaciens, infra Octovas Sancti Francisci, reversa est Neapolim ¹⁾ cum exultatione et gaudio. Sua enim devotio cunctis claruit in exemplum. Cum igitur hec Regina in Neapoli resideret, et vidisset nurum suam, Dominam Iohannam superbam et ambitiosam, ac ultra humanum modum consvetum incedere, mundani honoris avidam, nec Regi Andree marito suo exhibere honorem regium, ac totum velle; ymo ultra posse suum nisa est ipsum corona et regno privare, sicut postmodum exitus rei probavit: commota sunt enim omnia viscera eius, acri doloris aculeo compungente.

¹⁾ Itaque post 4. Octobris. 1343.

Et altero itineris scopo haud assecuto, in Hungariam revertitur Anno 1344.

Cum itaque ambasiatores, ¹⁾ et nuncii longam moram contraherent in Avinione, propter dissimulationem Domini Papae, nolentis prebere consensum dicti Regis coronationi. 2) Visumque est ipsi Domine Regine, et suo consilio, fore utilius repatriare, quam ibi incassum et frustra, ac cum tedio permanere. Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo quarto, relinquens filium suum Regem Andream in Apulia sanum et incolumem, circa festum Beati Mathie Apostoli recessit de Neapoli cum omnibus suis versus Hungariam, et divertens in Barum, ³⁾ adorato ibi Beato Nicolao, et donis et muneribus honorato, circa medium Quadragesime pervenit Manfrediam, ⁴⁾ et propter defectum navium et galearum compulsa est Festum Pasce ibidem solenniter celebrare. ⁵⁾ Sequenti autem die venerunt quatuor galee misse per Regem Andream pro servitio

Illustris Regine Hungarie, matris sue; que in eis recepta cum omnibus rebus suis, et familia, ac aliis pluribus navibus Mare Adriaticum transfretavit, et venit Visceniam, Domino concedente. Rediit autem Regina de Apulia in Hungariam tempore supradicto, et pervenit in domum suam in Vysegrad in anniversario sui recessus, et receperunt eam filii sui, scilicet Dominus Lodovicus Rex Hungarie, et Dominus Dux Stephanus, ac Proceres Regni cum magna exultatione et gaudio.

1) Ambassiator, legatus, internuncius.

2) Difficultates, quas Avenione nuncii Reginae experti fuerunt, clarificat testamentum Caroli II. Regis Siciliae huius tenoris: „Imprimis instituimus haeredem et universalem successorem nostrum, in regnis nostris Ierusalem, et Siciliae, Comitatibus Provinciae, Forcalquerii, ac Pedemontis, atque in omnibus aliis terris, iuribus et actionibus nostris, Robertum Primogenitum nostrum Ducem Calabriae. Si vero Dux ipse decederet sine liberis masculis, vel foemininis, nobis viventibus, aut vita functis, substituimus haeredem nostrum et successorem universalem, in omnibus praedictis regnis et terris, illum ex liberis nostris masculum scilicet, qui iuxta tenorem collationis factae de regno Siciliae, bonae memoriae domino Patri nostro per Sanctam Romanam Ecclesiam succedere debet in regno ipso Siciliae.“ Ex Leibnizii Cod. Iur. gent. dipl. p. 51. et sequ. citat Auctor Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I, p. 248. Conf. Clementis VI. litteras apud Raynald. et Pray ad an. 1344. Katona Tom. IX. p. 330—333. et Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 221—222.

3) Barium, urbs Apuliae Peucestiae.

4) Manfredia, Manfredonia aequae Apuliae urbs.

5) Pascha anno 1344. in 4. Aprilis incidit.

*Nuncii vero Pontificem muneribus ad coronandum
Andream permovere satagunt.*

Interea nuncii Domini Regis Lodovici, et Domine matris sue, apud Dominum Papam Clementem VI. Andree Regis iura ecclesiastica, ac leges civiles in consistorio proponentes, ac coram aliis iudicibus delegatis, per omnia iura probantes, quod regnum Sicilie iure successionis regalis ad Dominum Regem penitus pertinebat; laborantes tamen nichil de negociis profecerunt. Et quia non poterant, ut volebant ante dicti nuncii eorum ambasiata ¹⁾ per viam

iusticie terminare, scientes, quod munera et dona alliciunt etiam animos sapientum; ignorantibus Domino Lodovico, et Domina Regina matre eius, sponponderunt dare, se iuramento firmitus constringentes, ad Cameram Domini Pape quadraginta quatuor millia marcarum, ut promeretur²⁾ Rex Andreas regni Sicilie gubernacula possidere. Currente autem hac relatione in Hungariam, ad Dominum Regem, et Dominam Reginam pervenit hoc pactum. Qui hoc percipientes non modicum turbabantur; quia ius regni, quod ad ipsos, secundum Deum, et iusticiam pertinebat, sibi per pecuniam vindicarent. Sed ne malignis et perversis hominibus daretur occasio et materia iniuste eos in aliquo iudicandi, et nichilominus dethahendi, quod ad regium honorem per avariciam et cupiditatem impenderent; solutionem antedictae pecunie fieri permiserunt, ne etiam Nuncii crimine mendacii notarentur. Cucurrerunt igitur Exactores ad omnes Comitatus, et Villas Regias, et Reginales per totum Regni circulum; predictam pecuniam ex integro exegerunt, et exactam per certos Nuncios ad Cameram Domini Pape Clementis VI. fideliter transmiserunt, sperantes firmiter de Coronatione Regis Andree, sine dilatione promissionis, fieri complementum.³⁾

¹⁾ Ambasiata, Legatio.

²⁾ Sic noster, Turótzii Chronicon: permitteretur.

³⁾ Haec anno 1343. contigisse, docent memoratae Clementis VI. litterae, quibus Andreae Regi Siciliae coronae per manus Legati Aimerici suscipiendae potestatem fecit Avenione IV. Nonas Februarii an. 1344. in quibus Pontifex Andreae cetera inter: „quum tu, carissime fili, — Ioannae reginae, ad quam regimen praedictum ex successione clarae memoriae Roberti Regis Sicilia, avi tui, pervenisse noscitur, vir existas, inquit, — nos adhibitis cautelis — te insignire denominatione regii tituli, nec non ordinare, quod — coronari debeas et inungi — dignaremur.“ — Ex hac Pontificis declaratione Katona Hist. Crit. Tom. IX. p. 333. infert, Ioannam reipsa sui coniugis inaugurationem ursisse.

Ludovici Lithvanica Expeditio inprospera Anno 1345.

Occupatis autem sepe dictis nunciis in Avinione circa causam eis commissam determinandam; interim Dominus Lodovicus inclytus Rex Hungarie decenti comitiva anno Domini millesimo, trecentesimo quadragesimo quinto, transivit in Bohemiam ad socerum suum, cuius filiam iam acceperat nomine Margaretam, ¹⁾ et ducto consilio cum Rege Bohemorum antiquo, et dicto socero suo, predicti Regis filio congregaverunt miliciam fortem et validam, et circa festum Beate Marie Virginis transierunt pelagus super glacies uno die naturali contra Lithvanos paganos, volentes eorum terram igne et gladio devastare; sed flante Austro dissolvebantur glacies, et ex illa mora illis periculum imminebat; ideo quam citius retrocesserunt, et sine fructu vacui redierunt. ²⁾

¹⁾ Quam Caroli Lucemburgensis Moraviae Marchionis filiam pater anno 1338. Dominica Invocavit, seu 1. Martii despondit. Vide diploma ex Lunigii Diplomatico Cod. Germ. P. I. Cap. II. editum per Katona Hist. Crit. Tom. IX. p. 288—292. Videtur autem Margareta hoc anno in manus Ludovici convenisse.

²⁾ Consule Katonaium Hist. Crit. Tom. IX. p. 359—363 In Chronico nostro desideratur Turótzii Cap. V. P. II.

De Exercitu contra Tartaros.*Tartari Anno 1345. et 1346. duplici pugna in Moldavia victi.*

Item, cum gentes Tartarorum in Regnum Hungarie sevientes, confinia partis Transilvanie, et Siculos sepe infestarent; Rex ipse strenuum et bellicosum virum Andream filium Lachk Voyvodam Transilvanie contra ipsos Tartaros, cum Siculis Nobilibus, et valida gente destinavit, qui terram, in qua habitabant potenter subintrantes, cum Principe eorum nomine Athlamos ad resistendum eisdem cum magno exercitu in campo obviantes debellarunt, et ipsum Principem eorum decapitaverunt, ac multa banderia, et captivos Tartaros Regie Maiestati in Vysegrad transmiserunt. ¹⁾ Post hec etiam Siculi eosdem Tartaros

etiam sepius invaserunt, et cum magna preda ad propria redierunt. ²⁾ Qui autem ex ipsis Tartaris remanserunt, ad partes maritimas longe distantes, ad alios Tartaros fugerunt.

¹⁾ Chronicon Dubnitzense, nunc iam Bibliothecae Regnicolaris, Vid. Wiener Jahrbücher der Literatur 1826. Nro XXXIV. p. 7—8. „Item anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, post coronationem Regis Lodovici tertio, circa festum purificationis virginis beatae Mariae, Siculi cum paucis Hungaris, qui tunc in medio eorum existebant, contra Tartaros procedentes, deo auxiliante, innumerabilem multitudinem Tartarorum, in terra ipsorum, in ore gladii percusserunt. Ubi etiam princeps eorum valde potens, nomine Othlamus, secundus post Kanum, qui habebat in uxorem sororem ipsius Kani, vivus captus est, sed postea decollatus; pro cuius redemptione quasi infinitam pecuniam promittebant. Sed Hungari spreverunt, praecaventis futura, vexilla etiam eorum portantes in terram suam, multosque captivos, et spolia multa nimis in auro et argento, curialibus nec non gemmis et vestibus preciosis, duravitque bellum inter eos tribus continuis diebus. Dicitur quoque, quod quamdiu bellum inter Christianos et ipsos Tartaros duravit, caput sancti Regis Ladislai in Ecclesia Waradinensi non inveniebatur. Mira certe res! Cum igitur subcustos eiusdem ecclesiae causa requirendi ipsum caput, sacristiam ingressus fuisset, reperit ipsum caput in suo loco iacere ita insudatum, ac si vivus de maximo labore vel calore aestus aliunde reversus fuisset, quod factum idem subcustos, non tantum ipsis canonicis, sed etiam multis religiosis viris publicavit. Ad probationem vero praedicti miraculi, quidam ex praedictis Tartaris captivis, valde decrepitis aiebat: quod non ipsi Siculi, et Hungari percussissent eos; sed ille Ladislaus, quem ipsi in adiutorium suum semper vocant, dicebantque et alii socii sui; quod cum ipsi Siculi contra eos processissent, antecedeat eos quidam magnus miles, sedens super arduum equum, habensque in capite eius coronam auream, et in manu sua dolabrum suum, qui omnes nos cum validissimis ictibus et percussionibus consummebat. Super caput enim huius militis, in aëre, quaedam speciosissima domina mirabili fulgure apparuit, in cuius capite corona aurea, decore nimio ac claritate adornata, videbatur. Unde manifestum est, praedictos Siculos pro fide Iesu Christi certantes, ipsam Beatam Virginem Mariam, et Beatum Regem Ladislaum, contra ipsos paganos, qui in sua virtute et multitudine gloriabantur, adiuvasse.“

²⁾ „Alio quoque tempore, videlicet anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, praedicti Siculi, soli cum ingenti multitudine, ad praedictam terram Tartarorum intrantes, ibique

praelio commisso, superna eis gratia victoriam concedente, innumerabilem multitudinem Tartarorum trucidarunt. Ubi multa arma valde pretiosa recipientes, spoliaque infinita, tam in animalibus, quam etiam in gemmis et lapidibus pretiosis. Sicque reverentes glorificabant Deum, qui dedit eis victoriam.“ Ibidem p. 8.

De Exercitu contra Croatos.

Croatae anno 1345. ad obsequium reducti.

Tandem, communicato consilio suorum Principum, Militum et Baronum, disposuit contra suos infideles et rebelles Gregorum filium Curiacii, et Niliptium Croatos, qui Regna Croacie et Dalmacie, ac magnam partem Sclavonie usurpando, in preiudicium Sacre Corone detinebant; ¹⁾ cum exercitu copioso, et Principibus aliarum Partium, specialiter cum Magnifico et Potente Principe Stephano Bano Boznensi, pro obtinendo et expugnando eodem Regno Croacie processit, et usque oppidum Byheg, ²⁾ pervenit; prope quod supra caput rivuli Galgochfeu castra metatus est, in quo loco diutius cum exercitu suo pausando, nec ulterius se movendo, iidem tiranni et rebelles Georgius filius Curiacii, et Ivan filius Niliptii, mortuo patre suo, ad obedientiam Sacre Corone venire sunt compulsi; et cum fidelitatem servare iurassent, aliquibus castris restitutis, ³⁾ Rege cum suo exercitu ad propria redeunde, idem Georgius filius Curiacii rebellavit. Contra quem altera vice idem Rex Lodovicus Barones suos, et Milites cum exercitu ingente transmisit; qui eiusdem rebellis proterviam conterendo, ipsum cum aliis suis adherentibus, Regno Croacie restituto, Regie Maiestati obedire, et se gratie submittere compulerunt, et cum leticia ad propria remearunt.

¹⁾ Ludovicus in. an. 1347. diplomate: „quia Comes Gregorius filius Comitis Pauli condam Bani, et Georgius filius Comitis Pauli, fratris eiusdem Gregorii, relicto tramite erroris et infidelitatis, in quo hactenus vacillaverant, et a tempore Serenissimi Principis Domini Karoli, olim inclyti Regis Hungariae, genitoris nostri karissimi, laudandae memoriae, videbantur vacillasse; nunc inspirante gracia divinae pietatis, ab ipso errore infidelitatis conversi ad viam fidelitatis, devocionisque nobis, et Sacrae Co-

ronae debitae, extiterunt.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I, p. 472—477. et in alio: „Nicolaus Banus (Sclavoniae) — partes Croatiae, quae per quosdam aemulos nostros potentialiter olim in praeiudicium nostrae Maiestatis fuissent occupatae — per suam industriam et sagacitatem easdem partes laudabiliter restauravit et nostro dominio subiugavit.“ ibidem p. 480—482. et 506—509. Vol. II. p. 58—62. Omnia itque Regna ad sacram Hungariae Coronam spectantia armis subiecta fuere, ad ideo sensu Legum Prolog. 1552. iure merito Partes subiectae vocantur.

2) Bihats, Schwandtner S. S. Rer. Hung. Tom. III. p. 355. et 669.

3) In citatis anni 1347. tabulis Ludovicus de Gregorio filio Pauli, et Georgio eius fratruele: „Ac eciam, quia opus perfectae fidelitatis ex nunc aggressi, in eo proficere curaverunt, quod Castrum Oztrovicha vocatum, ad manus nostras regias tradiderunt.“ E familia Curciacorum derivantur Corbaviae Comites. Vid. Wagner Collect. Geneal. Dec. II, p. 11. ex sequ.

De Exercitu contra Venetos ad Regnum Dalmacie.

Verum Iadram anno 1346. incassum oppugnatam Venetae in fide continent.

Consequenter, tempore procedente, idem Rex ad expugnandum Dalmacie Regnum, quod per Venetos a diuturno tempore detinebatur, occupatum, exercitum movit copiosum, et cum multis Principibus circumpositorum Regnorum, ac Baronibus, Militibus et Regnicolis suis usque civitatem Iadriensem pervenit; ¹⁾ que se prius ad obedientiam reddiderat Regie Maiestati. Et quia Veneti per suos stipendiarios Teutonicos, Gallicos et Latinos eam civitatem obsidebant, et contra ipsam quandam munitionem, quam Sticatum ²⁾ appellabant, firmaverant, gentibus armigeris in ipsa collocatis, et diversis machinis et ingeniis, tam in ipsa munitione, quam etiam in galeis per mare ipsam Civitatem fortissime expugnabant. Circa quam idem Rex in campo cum suo exercitu resedit, et machinis ac aliis diversis ingeniis applicatis et erectis, ipsam munitionem Venetorum, volens obsidionem ipsius Civitatis Iad-

rensis remove, fortiter expugnabat, et milites ac gentes Regis continuis insultibus hostes aggrediebantur, et acerrime ad invicem pugnam committebant. Et quia hostes intra munitionem erant conclusi, per ictus balistarum, ³⁾ multos de gente Regis vulnerabant, et etiam gentes Regis usque ad muros appropinquantes, ipsis vices rependebant: et cum oportunitatem captabant, clam gentes Venetorum de munitione subito egresse, cum militibus et gentibus Regis dimicabant, et ex utraque parte multi corruerant; ubi etiam Strenui Milites: Bartholomeus filius Laurentii Toth, et Harsandorffer Teutonicus de parte Regis in pugna sunt occisi. ⁴⁾ Quamvis autem exercitus Regis ad expugnandam ipsam munitionem fortiter laborasset: ipsam tamen, quia nimium erat fortificata et munita, expugnare minime potuerunt. Et hoc videns idem Rex, non sine magno damno personarum et rerum, cum suo exercitu ad propria est reversus. Gentes autem Venetorum tam in ipsa munitione, quam etiam per mare in galeis obsidionem continuantes, per traditamentum aliquorum de Civitate, Civitatem eandem obtinuerunt, et multos Cives, et Nobiles de eadem decollaverunt, et diversis tormentis, cruciatibus et penis afflixerunt; multos tam viros, quam etiam feminas Nobiles et puellas, Venetias in captivitatem deduxerunt, et heu miserabiliter, Deum non verentes, nec etati, nec sexui compatiētes; ipsas feminas et puellas, et alios captivos in persona fame et siti, solum vita ipsis miserrima reservata, cruciarunt, et postea successive in carceralibus penis ipsos peremerunt. De quo facto idem Rex anxie dolens, se vindicaturum firmissime proposuit tempore se ad hoc offerente. ⁵⁾

¹⁾ „Ludovicus Rex Hungariae, Nobilibus Viris, Iudicibus, Consilio, et communi civitatis Iadrae animum ad grata paratum, cum salute. Nunciavit nobis Nicolaus Banus totius Sclavoniae necessitatem vestram; super qua sciatis: ecce processimus cum tota potentia nostra invare vos, et praeparamus celeri gressu succurrere vobis; unde viriliter vos teneatis et regatis. Data sub Alto Castro die XXV. mensis Augusti Anno Domini MCCCXLV.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 279. conf. Andrae Danduli litteras ad Iadrenses datas ibid. p. 344—345. nec non Ludovici p. 348—349.

2) Lucius de Regn. Dalm. et Croat. Lib. IV. Cap. XV. „Bastida, ab Vngaris Scekach dicta.“ Anonymus vero de Obsidione Iadrensi Lib. I. Cap. XVIII. „Italici et Longobardi bastidam, Dalmatici et Croatici Sticatum appellare consueverunt.“ apud Schwandtner S. S. R. R. Hung. Tom. III. Ludovicus autem in an. 1347. et 1351. tabulis: „cum nos valido nostro instaurato exercitu, quoddam Castrum Venetorum Scykach appellatum, in periculum et civitatis nostrae Iadriae perditionem fabricatum teneremus obsessum.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 60. Conf. etiam Vol. I. p. 480—482. et 506—509 et Vol. II. p. 661—664. in an. 1358. litteris idem Rex Ludovicus: „saeva ac detestanda persecutione Venetorum civium, nostrorum et regni nostri notiorum aemulorum, fere vsque ad haec tempora, quibus nobis divina gratia conferre dignata est de eisdem Venetis victorioso triumphare; ac ipsos Iadrenses, et per consequens totum regnum nostrum Dalmatiae nostro Dominio subiugare, et ad antiquum ius regum revocare.“

3) Balista, Ballista, Balestrum, Machina iaculatoria, quarum varias species recenset Du Fresne in Glossario. Balistrarii, qui arcu baleari utebantur in praelio. Saepe etiam Balista, et Balistra accipitur pro machina, qua saxa emittuntur ad quatiendos moros, quarum aequae species variae erant.

4) De Harsandorffariis lege sis Ludovici diploma an. 1353. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 206—212. Ea occasione Andream quoque Serényi occubuisse, hoc epitaphium Albae repertum, quod Katona Hist. Crit. Tom. IX. p. 389. ex MSC. Cornidesianis recitat, ostendit:

D. T. O. M.

„Hoc iacet in tumulo clara de stirpe Serényi
Andreas, Bellidux non sine laude perenni;
Qui Patriae ad Iadram cecidit sublatus amore;
Rex Ludovicus eum digno hic tumulavit honore,
Anno MCCCXLV.“

5) Confer Katonaium Hist. Crit. Tom. IX. p. 368—389. p. 451—472. ac Dubnitzense Chronicon lib. cit. p. 2—3. „Rex autem Lodovicus, terminato luctus sui tempore, super morte fratris Regis Andreae, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, in festo Sancti Georgii processit cum valida multitudine armatorum contra Venetos ad defendendum civitatem Iadriensem; quia Veneti eam expugnabant, a quo ab eis recesserat et homagium fecerat Regi Hungariae, sicut iure ad eum pertinebat. Fecerunt etiam Veneti quoddam fortalitium construi, quod Sacatum appellarunt. Rex autem Lodovicus cum machinis et ingeniis aliis, ac cum pugna armatorum suorum ipsum Sacatum nitebatur expugnare. Cum autem dies et hora praedictum fortalitium expugnan-

di advenisset, et acies ac cunei ordinati fuissent, hortabatur dominus Rex Lodovicus verbis amicalibus principes et duces exercitus, reducens eis ad memoriam, ac patris sui Regis Karoli beneficia, quae eis contulerat; ut uno ac conformi impetu contra arcem irrueretur, ut sic virtus descendentium Sacatum divisa infirmaretur, et ita citius caperetur. Haec Rex Lodovicus sincero ac simplici animo facere intendebat; sed quia voluntas ducum et principum bellatorum, ut dicitur pro floreno Venetorum erat corrupta, a voluntate domini Regis pura et simplici discrepabat; unde in illo conflictu principes exercitus proditiose procedebant, quod eventus rei comprobavit. Cum enim essent castrorum acies ad pugnandum ordinatae, terribiles ad videndum parti contrariae, ac sic ordinati, ac ipsi Sacato ad iactum sagittae appropinquassent; ibidem in gradu suo perstiterunt, et ulterius contra Venetos fraudulentos, corrupti eorum pecunia, ire et preliare noluerunt; et sic famam gentis suae laude dignam prodiderunt, et sibi ac posteris suis opprobrium sempiternum reliquerunt. Dominus autem Rex Lodovicus in hac sua deiectione multum se prudenter rexit et habuit; quia, quamvis per suos principes et barones honorem tunc non reportaverit: tamen omnia facta eorum sapienter dissimulavit, ne eorum animos ad maius malum concitaret. Videntes autem Iadrienses, quod ipsos Dominus Rex Lodovicus propter suorum proditionem defendere non poterat, panis inedia, machinarum ictibus, obsidionis gravedine, et multis malis contra eos invalescentibus compulsi; tradiderunt se, et civitatem suam Venetis, et illi fecerunt de eis, sicut voluerunt.“

De Morte Andree Regis.

Andreae Regis caedes, et sumptum de parricidis supplicium Anno 1345.

Postea vero brevi tempore decurso, quia nichil pene in semetipso manet stabile, sed currit tempus, semper multas evolvens mutationes, quas neque providere facile est, nec pedicere; et nil est, quod mutabilitatem non sentiat; et bellum in media pace consurgit. Accidit casus lamentabilis et enormis de morte quondam inclyti Principis Domini Andree Ierusalem, et Sicilie Regis, fratris uterini eiusdem Lodovici Hungarie Regis, qui per sceleratam Conradum de Kathanciis et alios proditores, ¹⁾ ex procuratione mulieris Iohanne, in aula ipsius Regis Andree

morantis in Civitate Aversa, que utinam fuisset submersa, extitit iugulatus et interemptus. ²⁾ Et factus est planctus magnus et luctus in Hungaria. ³⁾ Ipsi tamen proditores reatus sui penam, et nepharie prodicionis sue premium sumpserunt; quia potens et Magnificus Comes Novelli, cognatus Regis et fidelis, ipsos super carram ⁴⁾ ligari fecit, et per omnes vicos civitatis pertrahi, et eorum corpora cum forcipibus ferri ignitis evelli fecit, carnificari et laniari morte turpissima, et extremo supplicio perimendo. ⁵⁾ Super quo eventu mortis fratris sui idem Rex Lodovicus ultra modum dicendi, vehementi dolore cordis sauciatus, condolens et anxius cepit cogitare et tractare de vindicta; ne tam execrabile scelus impunitum pertransiret. Et primo Nicolaum filium Laurentii Toth, qui postea Konth fuit cognominatus, ad tractandum cum Magnatibus, Comitibus, et Baronibus illarum partium illuc destinavit, qui in Aquilam civitatem famosam superveniens, cum Lallo viro prudente, et de morte ipsius Regis Andree multum anxio, Capitaneo ipsius Civitatis, habito tractatu, dominium ipsius obtinuit, et protracta mora ibidem, quam plurimos una cum Lallo ad Regis Hungarie obedientiam confortavit et perduxit. Et cum eidem Regi per literas intimasset; ⁶⁾.

¹⁾ Quos ex ordine recenset Simondi. V. p. 393. Giov. Villani Lib. XII. Cap. 51 Gravina in Murat. S.S. Rer. Ital. Tom. XII. p. 554—560.

²⁾ Chronicon Dubnitzense: „Postquam autem dominus Rex Lodovicus reversus fuisset de Lythvanis, praestolabatur pro domino Rege Andrea fratre suo, fraterno amore coronam regni Sicilice per sedem apostolicam adepturum, et ipsum in proximo ad maiestatem regiam subvecturum. Sed proh dolor! — Iohanna — uxor Regis Andreae in regno sibi aequalem vel superiorem pati nolebat, et ita Regem Andream a corona impediabat — et honori mariti sui in felle amaritudinis invadebat — Anno Domini millesimo tricentesimo quadragésimo quinto, per Iohannam uxorem suam, et per satellites regios, decimo nono Septembris, dirae mortis faucibus traditus est in civitate Aversana, distante a Neapoli ad octo milliaria, quae potius fuisset subinversa. Et sic sine causa interfectus est, et deportatus Neapolim per Hungaros, quorum custodiae commissus fuerat per Dominam Elizabeth Reginam Hungariae, matrem suam; tempore tamen et hora intefectionis suae,

ipse Rex Andreas praedictos Hungaros ad sua hospitia ire compulerat; quia quamvis suspicio mortis sibi per uxorem suam fiendae, eius auribus per plurimos instillaverit; tamen hoc ipse, suam innocentiam considerans et uxoris impraegnationem, credere non poterat: et sic, ut agnus innocens iugulatus est. Cum autem corpus suum deferretur in Neapolim ad sepeliendum, tota civitas, tanquam obviam funus filii sui concurrebat, et ipsum inconsolabili planctu deplorabant. Deductumque est funus Regis Andree Neapolim, et sepultum in Kathedrali Ecclesia iuxta avum suum Carolum Marcellum, statimque post obitum suum dicitur divinitus miraculis claruisse, et quasi omnes, qui in morte eius conspiraverunt, mares et foeminae, miserabili morte consumpti sunt, etiam ultione sanguinis innocentis.“ Et Ludovicus in an. 1350. donatione Stephano Vajvodae Transsilvaniae facta: „Siquidem Sere-
nissimus Dominus Princeps Andreas, inclytus Rex — Ierusalem, et Siciliae regnorum, germanus frater noster dulcissimus, adolescens innocens, agnus immaculatus, Deo et Sanctae Ecclesiae devotus, hominibus graciosus et placidus, ac multis virtutibus refulgens, per acerbae mortis excidium, per occultos proditores ausu nefario et detestabili, Dei et hominum timore postposito, in ipso regno Siciliae, in Civitate Aversa quae potius fuisset subversa, extitisset immolatus, et nequiter iugulatus; Nos tanti Regis, fratris nostri crudelissima morte, quae medullam cordis nostri dira passione amarissime lacerabat, condolentes, sententia de throno Dei prodeunte, et virtute Altissimi rectum iudicium operante, ad eius Regis fratris nostri iniuriam visibiliter vindicandam, assumptis nobiscum ipso Stephano Wayvoda, et aliis Regni Baronibus, et Militibus, versus Italiam feliciter accessimus.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 482—490. et 756—761. et in alia donatione eodem anno 1350. Ioanni dicto Németh facta: „Cum nos miserabilem quondam Excellentissimi et Magnifici Principis Domini Andreae, quondam utriusque Siciliae Regis, fratris nostri carissimi, beatae recordationis, necem, fere omnibus Christianae fidei cultoribus notam, et cor nostrum vehementi, et indicibili amaritudine vulnerantem vindicare voluissemus, et pro sumenda mortis eiusdem vindicta, ad ipsum regnum Siciliae celeri aggressu destinatisque passibus properantes, nos transtulissemus.“ Ibid. p. 778—780. Id quod Ludovico Edvardus Rex Angliae magnopere commendaverat, datis 8. Martii 1346. Westmonasterio litteris ita scribens: „Propter quod ad vindicandum tantum scelus, in quo versatur cunctorum Regum fidelium obprobrium, daremus libenter consilium et iuvamen; et ideo ordinatum affectum, quem geritis ad ulciscendum mortem praedictam, merito commendamus.“ Ibid. p. 366—367.

³⁾ Chronicon Dubnitzense: „Quomodo autem domina mater sua Regina mortem filii sui planxerit, securius est tacendum, quam

aliquid dicendum; quia hanc amaritudinem taliter lingua explicare non valet. Convenerunt autem ad ipsam Dominam Reginam, tempore luctus sui, domini et dominae, virgines et viduae. Cuncti Proceres Hungariae cum viderent Dominam Reginam filii sui innocentis mortem ita vehementi dolore deplorare; corda omnium ad planctum et compassionem scindebantur. — Cum autem mors Regis Andreae inflicta per illos, quos maxime infligi non debuerat; utpote per suam coniugem ac cognatam, ac suos consanguineos et propinguos, nec non per suos secretarios et sodales; ideo mundi Magnatibus, Regibus ac Principibus, et minoribus Nobilibus, ac popularibus, propter crudelem et feralem interficiendi modum, horrorem et timorem incussit. Omnes igitur unanimiter Dei omnipotentis iustitiam flagitabant, et ad eius maiestatem suspirabant, ut huius tanti sceleris auctores poena condigna vindicarent, secundum quod merebantur, quali eos flagello corripere et talione percelleret, clarius demonstraret. Ab illo autem tempore, quo Rex Andreas decessit, dominum Regem Lodovicum, quasi de tota Italia rectores civitatum, nobiles terrarum, et singulariter de Apulia et Provincia barones et comites, et reliquum volgas populi, ut ad ipsos transiret de Hungaria, assumtuosius invitabant, et per nuncios et affines, consanguineos et cognatos, ut regimen regni Siciliae, quod ipsum Regem Lodovicum de iure contingebat, assumeret, eius animum indesinenter ac iugiter commovebant, et hoc libenter ac fideliter faciebant. Tamen, quia naturaliter quilibet diligit dominum suum, verum tamen displicebat eis mulieris imperium, directo igitur, ut credimus, divinitus, Rex Lodovicus sui capitis consilio principaliter, et aliorum paucorum communiter se vocantium, votis annuit, et ad ipsos eundi animum inclinavit, et suum ad eos transitum multis iudiciis declaravit, et litteris pluribus super hoc emanatis, sigillo regio munitis, roboravit. Sed quia sapientis est ordinare, et fienda prudenter disponere, superno fretus praesidio, divino illustratus oraculo, verbi Dei accinctus gladio, fidei protectus clypeo, scripturae instructus testimonio, ac proborum virorum fulcitus exemplo, in executione sui propositi non usus levitate; sed magna morum honestate, modestia ac tutelae moderamine, quod faciendum decreverat, inchoavit.“ — Conf. Massiliensium litteras, quibus an. 1345. Clementem VI. Papam rogarunt, ut Andreae caedis rei perquirantur, ac condigna poena afficiantur. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 288—290. et Lucium de Regno Dalmatiae et Croatiae Lib. IV. Cap. 16. apud Schwandtner S. S. Rex Hung. Tom. III. p. 366.

⁴⁾ Carra, Carrae, Carri, Caesari, et Hirtio, sunt currus, quibus vehuntur impedimenta exercitus. Gloss.

⁵⁾ Gravina tamen apud Murat. Tom. XII. ait, opera Bertrandi de Baucio, montis Caveosi Comitis, cuius fidei filium Andream Elisabetha crediderat, supplicium de sicariis sumtum fuisse.

6) Capitulum Agriense in an. 1346. Relatoriis „Litteras magnifici viri Laurentii dicti Toth, Magistri Thavarnicorum — recepinus.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 425. et Chronicon Dubnitzense: „Anno domini millesimo tricesimo quadragesimo septimo, circa medium Quadregesimae, praemisit suos intimos et dilectos, videlicet dominum Iohannem Episcopum Vesprimiensem (in an. 1347. litteris: „Nos Ioannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia electus, confirmatus Ecclesiae Veszprimensis, Aulae Dominae Reginae Cancellarius, in Iure Canonico licentiatus, Comes Capellae, et Sacretarius Cancellarius Domini Ludovici — Regis Hungariae.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 515.) et Magistrum filium Laurentii, cum magna pecunia, firmiter eis praeciens: ut in transitu suo, et itinere nemini noceant, nec cuiquam molestiam inferant, et de rapina exercenda caveant; sed placabiliter omnibus et pacifice per viam suam gradientur, ne nomen suum, regnum dignum et honorificum, per suae malae operationis infamiam macularent, et ex hoc multis scandalum generaretur, et ut ipsum dominum Regem vocantium et expectantium stabilitatem et fidelitatem securius investigarent, et ipsius aemulos, quantum possent, expugnarent. Transeuntes praedicti domini Regis familiares in Apuliam, secundum imperium eius, omnibus se pacatos et benignos reddiderunt, et ubique eos cum honore receptos consolatos et laetos abire permiserunt. Pervenientes autem ad Aquilam civitatem, dominus Lalws in iure civili doctor egregius, rector eiusdem Aquilegiensis civitatis, ipsos accipiendo dulciter, honorifice pertractavit, et omne fidelitatis, obsequium, per fratrem suum Regi Lodovico intimatum, incrementabiliter adimplevit, quod etiam experimentalis administratio aprobat; nam cunctis Lodovici Regis adversariis, ut murum tutissimum, omnibus adversantium ictibus se opposuit, et omnia sua pollicita et bona fidelissime administravit. Regis vero Lodovici ambasciatores ad diversas partes regni Apuliae miserunt nuntios, et ipsos in fidelitate Regis Hungariae fortes ac stabiles et perseverantes reperierunt. Tandem per litteras dominum Regem certificarunt, ipsum regnum feliciter posse intrare.“



De Exercitu versus Neapolim.

Ludovicus suppresso moerore, vindictamque alteri temporì servans, in siccarios animadversurus, expeditionem in Italiam suscipit Anno 1347.

Rex, congregato valido exercitu, per partes Italiae transitum faciens, in qualibet civitate per Dominos, et Communitates honorifice susceptus, et largiflue in suo transitu hospitatus, versus Civitatem Neapolim festinavit. Ex quibus Dominis Civitatum, Dominus Maletesta de Maletestis, Franciscus de Furlino, Philippus de Mantua, et quidam alii, cum pulchra gente armata, ipsum usque Neapolim sunt secuti, et ab ipso Rege honore, et cingulo militari insigniti. ¹⁾

¹⁾ Cingulo insignire, seu Militem creare. Regis autem italicum iter Chronicon Dubnitzense, postquam narrasset, quod per Legatos suos litteris fuisset evocatus, ita proseguitur: „Tunc Rex Lodovicus militiam suam non subito, nec simul misit in Apuliam, sed particulatim; ne terrigenae pertimescerent, quod manu violenta et vindicta regnum vellet obtinere. Et ideo principes exercitus et duces bellatorum, tractu temporis, hic sexagenos, centenos, et millenos, diversis temporibus iussit transmeare. Unde postea eodem anno circa festum Sancti Georgii praemisit Dominum Nicolaum electum Nitriensem, cum allis principibus et comitibus pro causis supra memoratis. Deinde circa festum Divisionis Apostolorum fecit similiter magnam militiam transmittendo, qui in Aquila congregati, simul cum stipendiariis ad bellandum doctissimis, de sumptibus domini Regis Lodovici inde accipientes, Ducem Duracii, ac Lodovicum principem Tarentinum, maritum Iohanne, cui, mortuo rege Andrea, Iohanna nupserat; ac alios domini Regis adversarios valide debellabant, nec non civitates et fortalitia eorum. Exercitus domini Regis Lodovici de die in diem se ipso robustior, contra adversarios magis ac magis invalescebat; domus autem Duracii ducis, et principis Tarentini notabiliter decrescebat. Post haec circa festum Omnium Sanctorum praemisit ante se dominum Nicolaum (de Drugeth) Palatinum cum maiori multitudine armatorum, ut ceteris in Aquilia existentibus in arcem fieret et praesidium. Omnibus itaque praehabitis et diligenti cura dispositis, coepit dominus Rex Lodovicus de suo recessu de Hungaria, et de progressu in Italiam cogitare. Et quia regnum Hungariae taliter pro se relinqueret: quatenus in eius absentia quaevis hostilitas ipsum

regnum invadere non auderet (maius enim hostilitatis et adversitatis periculum ipsi regno Hungariae a Tartariis, et Saracenis imminebat) sed dominus Deus etiam cum attemtatione fecit proven- tum; quia taliter eos flagellavit, ut ipsorum terrorem timere et formidare non oportet. Nam anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, dominus Deus misit pestilentiam in eos, quae tantum in eos deseivit, quod infra paucos menses, ut dicitur, trecentena millia Tartarorum prostravit et consumpsit. Sic igitur domi- no Deo providente, Rex Lodovicus in confinibus Regni sui habens pacem cum hostibus, securitatem cum amicis et cognatis; regimen regni principaliter posuit in manibus dominae Elizabeth Reginae, matris suae, magnae devotionis et prudentiae, eximiae sanctitatis et clementiae, et sic omnibus sapienter ordinatis et prudenter di- spositis: anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, in festo beati Martini, die dominica, iter aggressus est versus Apuliam. Sed usque ad metas regni clam, et quasi, in occulto cum paucis pertransivit, ne ipsum fraud et dolus sibi adversantium impediret. Cum autem pervenisset ad Celiciam, dominus Celiciae, qui sibi coniunctus fuerat magno cum favore, accepit dominum regem grandi cum honore. Percipientes autem Almanni et strenui milites ducis Austriae, relatione veridica, dominum Regem Lodo- vicum morum honestate praeclarum, generositate praeefulgidum, magnanimitate decorum, largitatis virtute venustum, in armis stre- nuum ac multis virtutum margaritis adornatum ire in Apuliam; con- venerunt ad eum unanimiter, et magna fidei constantia eidem ad- haeserunt, exponentes se pro eo ad omnem fortunam et eventum. Procedente igitur domino Rege in via sua, ecce! magna armato- rum multitudo laetanter ipsum sequebatur. Advenientes autem in Secel ad quoddam fortalitium pertinens ad patriarcham Aquilegien- sem, quod situm est in confinibus Venetorum, scientes Veneti frau- dulentia pleni, solemnes nuntios ad Regem transmiserunt, ut ali- quali pace inter se firmata, fines eorum pertransiret. Sed Rex usus consilio Stephani filii Laczk, neque ipsis auditum praebeuit, ne videretur talem pacem, urgente inedia et necessitate, cum Ve- netis ordinasse et fecisse. Omissis autem ipsis Venetis, praecepit Stephano filio Laczk tunc Vayvodae Transilvano, caeterisque nobi- libus Hungarorum, Australibus, et Alamannis, ut suis ordinatis agminibus, cum ipso procederent in Veronam. Summe igitur con- fortatus praesidio, ac pugnatorum vallatus subsidio, subito transi- vit supra Tervisium per terminos Venetorum imperterrite, male contrantibus Venetis. Cum autem venisset Veronam, ecce dominus Mascinus de Laffkal dominus Veronae occurrit sibi, recipiens cum honore et magnificis muneribus decoravit, ac conviviis lautissimis frequentatis, indicibiliter cum Rege, et suis militibus gloriose tri- pudiarunt, et letantes extiterunt. Audientes autem habitatores Ita-

liae, quod dominus Rex Veronam advenisset, rectores civitatum, et domini terrarum per internuncios, et qui poterant, personaliter ad ipsum confluebant, sibi facientes homagium, ac se iuramento constringentes, domino Regi fideliter adhaeserunt, praecepta et mandata eius servaturi. Deinde per Manthwam, Bononium, Forlinum cum pace pertransivit, et per vallem Spoletanam cum omni gaudio et laetitia cunctorum suorum pervenit ad Aquilam in Vigilia Nativitatis Domini. Quis autem hoc enarrare valeret? qualiter ipse Rex diu desideratus, et pluribus temporibus expectatus, fuerit exceptus. Nam populus Christianus primo gaudebat de Regis aeterni nativitate temporali, etiam gaudebat de visione sui domini naturalis, et Regis temporalis et ita gaudio gaudium cummulabant. Omnes autem fere de Apulia principes et comites, nobiles, communes, et rectores civitatum, per se, et per nuncios ad Regem confluxerunt in Aquilam, et ipsum dominum suum naturalem cognoscentes, perpetuam ei fidelitatem promiserunt.“

„Anno autem Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, celebrata festivitate Natalis Domini (teste Chronici huius compilatore, de quo postea, 25. Decembris in Hungaria seculo XIV. habebatur pro anni initio. Vide etiam an. 1821. Tudományos Gyűjtemény Tom. I. p. 68—78.) ductoque consilio, parabat se ad eundum contra Neapolim, Capuam, et Aversam civitates, quae in parte videbantur fovere partes Iohannae, et complicum suorum universorum. Conducto autem et congregato exercitu, Karolus Dux Duracii, et princeps Tarenti cum fratre suo Ludovico, marito eiusdem Iohannae, ac ceteris regalibus, Regi Hungariae resistere nitentur, et venerunt Capuam, ut eidem introitum impedirent. Rex autem Hungariae, collecto suo exercitu, venit usque Capuam contra quoslibet sibi adversantes pugnaturus. Videntes autem, qui erant ex adverso, donum Domini et manum validam esse cum Rege Hungariae, scientes Neapolitanos non posse Regi resistere, portam introitus Capuae succenderunt, regales autem fugam capientes, confusibiliter recesserunt. Rex autem Lodovicus habens liberum aditum, introivit Capuam, et cepit eam sine sui, et cuiuscunque laesione. Et postquam Rex habuit Capuam, movit exercitum suum, et venit Aversam, qui receperunt eum cum honore. Audiens autem Iohanna Domini Regis adventum, cum marito suo Lodovico fugit de Neapoli bene, cum tribus galeis, versus Franciam, cupiens de manibus Regis liberari. Dux autem Duracii, et princeps Tarenti cum fratribus inciderunt in manus domini Regis Lodovici, qui eos comprehendens, fecit detineri; ducem autem Duracii, in quo loco fuit Rex Andreas innocens nequiter interfectus, et corpus eius per fenestram proiectum ad hortum irreverenter, ibi dominus Rex fecit eum per unum militem, nomine Vezzews filium Emerici de Bechei, capite detruncari, vigesima tertia die mensis Ianuarii, et per

eandem fenestram cadaver eius proiici ad hortum sine honore.“ — De Wezzeus lege sis Nitriensis Capituli Relatorias an. 1359. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 67. Conf. etiam Francisci Xav. Bronner Abenteuerliche Geschichte Herzog Werners von Urslingen, Anführer eines grossen Räuberheeres in Italien. Aaran 1828. in 8. p. 62—64. Hoc Libro, quem Ill. ac RR. D. Antonius Oeskey de Eadem, Electus Episcopus Bacensis etc. mihi commodavit, bellum Italicum egregie illustratur, quo Lectorem remitto. Auctor cetera inter: „Der Herzog von Durazzo wollte sein Benehmen entschuldigen, und bat den könig (Ludvig) um Barmherzigkeit, Ludvig erwiederte aber: Wie kannst du dich entschuldigen? und hielt ihm ein eigenhändiges Schreiben mit dem Siegel des Herzogs hin, welches derselbe an Karl von Artusio von der Verschwörung gegen Andreas erlassen hatte. Auf einen Wink des Königs packte nun ein Ungar, Namens Philipp (Wezzews) den unbewaffneten Herzog bei der Brust an, ein anderer zog sein Haupt bei den Haaren rückwärts, und Philipp hieb ihm in die Kehle, bis er todt dahinsank. Einige Ungarn ergriffen den Leichnam, und warfen ihn aus eben denselben kerkerfenster in den klostergarten hinab, aus dem Andreas niedergestürzt worden war. Ludwig verbot ihn ohne seine Erlaubniss zu begraben.“

„Per omnia benedictus Deus, qui sic tradidit impios puniendos! Filium autem Regis Andreae, nomine Karolum Marcellum, et duos fratres uterinos Karoli ducis Duracii, Lodovicum scilicet, et Robertum, principem etiam Tarenti, nomine Robertum, et germanum suum Philippum, transtulit ad Hungariam. Karolus igitur Marcellus filius domini Regis Andreae, puer quatuor annorum, perductus est in Budam civitatem regiam, et datus est dominae Elizabeth Reginae Hungariae, aviae suae ad educandum, et bonis moribus imbuendum, et per Magistrum Ciconeum, (fuit e Regni Baronibus, anno 1353. autem Magister Tavernicorum Regionum) et Dominum Nicolaum Banum, dominum Oliverium (erat is Magister Tavernicorum, et Iudex Curiae Reginae) et alios multos dominus Rex Ludovicus miserat de Apulia, ad ministerium praedicti ducis pueri, et ad custodiam regaliū praedictorum, quos regales domina Elizabeth Regina sapientissima, eodem tempore misit in Vysegrad, secundum imperium filii sui Regis Lodovici, ibidem detinendos, et diligenter custodiendos.“



De fuga Iohanne Regine, et Lodovici eius Mariti.

*Iohanna vero cum Ludovico de Tarento, Andree caedis
rea; turpem fugam arripit Anno 1348.*

Auditoque eius adventu, Iohanna Regina cum Lodovico de Tarento eius marito, qui pro Rege se gerebat, clandestine fugientibus et in tribus galeis per mare, versus Provinciam, et Avinionem ob metum Regis, properantibus. Rex civitatem Neapolitanam intravit, ubi cum magna solennitate et gaudio susceptus est, et ex tunc Titulo Regnorum Hungarie, Ierusalem, et Sicilie utebatur; et ibidem moram faciens, cepit investigare, qui essent participes et culpabiles in morte fratris sui Andree Regis prenotati. Et capi fecit regales infra scriptos: Ducem Duracii cum duobus fratribus suis Lodovico, et Roberto. Item etiam alios, videlicet Principem Tarentinum, et Philippum puerum, fratres dicti Lodovici, mariti Regine Iohanne. Quem quidem Ducem Duracii, tanquam culpabilem, in Aversa Civitate, in Domo dicti Regis Andree, in qua tunc habitabat et fuerat iugulatus et occisus, decollari fecit; et dictos alios regales in comitatu Karoli pueri, filii predicti Regis Andree, in Hungariam per certos Barones, et Milites destinavit, pro eo, quia criminis lese Maiestatis punire neglexerunt. Presumebantur enim aliququaliter tanto sceleri consensum prebuisse, iuxta illud: „Non carent scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desunt obviare.“ Qui deputati fuerant in Castro Vysegradiensi custodiendi, et cum magna diligencia et honore, bene et laute fuerunt conservati; sicut de-
cui sanguine coniunctos Regie Matesiati.

De Reditu Regis in Hungariam.

*Ludovicus constitutis Magistratibus, Stephano Vayroda Transsilvano, ac Volfardo, qui se absente praecessent, ob
grassantem pestem in Hungariam redit Anno 1348.*

Demum idem Dominus Rex Lodovicus volens redire in Hungariam cum gente copiosa; ibi Magnificum et Stre-

nuum Virum Stephanum filium Lachk Voyvodam Transilvaniensem, ¹⁾ Capitaneum Regni: et Volfardum de Volfart Teutonicum, ²⁾ Capitaneum in Civitate Neapolitana in persona sue Regie Maiestatis prefecit, et ad Hungariam remeavit. ³⁾.

¹⁾ Stephanus ille Vayvoda Transilvaniae, erat Ladislai filius, qui dictus Apor vel Opor, Othoni Hungariae Regi Coronam ademit, et Subinde Carolo restituit, Latzk quasi László, vel Latzkófi seu filius Ladislai dicebatur, ut docet Szegedi in notis Synops. vit. Belae IV.

²⁾ Comitem Castri Ferrei. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 48.

³⁾ Katona Tom. IX. p. 524—527. accelerati redditus causam luem fuisse innuit; Chronicon autem Dubnitzense redditum eius ita describit: „Rex autem Lodovicus, domino Deo ipsum protegente et dirigente, regnum Siciliae, quo pater suus Rex Karolus iniuste privatus fuerat, recuperavit, sicut superius est declaratum. Nam disponente ibi Vicario, seniorum usus consilio, in Hungariam est reversus, cui obviam processit domina Elizabeth Regina, mater eius, cum nobilibus Regni, et receperunt Regem in Segusdino, cum magno gaudio et honore, et conduxerunt ipsum usque in Budam civitatem regiam iubilis, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, die undecima mensis Iunii. Dux autem Karolus Marcellus, filius Regis Andreae, puer deo et hominibus placabilis, infirmitate correptus, eisdem diebus et eodem anno, vocante ipsum Domino, passionis Christi merito, ad coelos evolavit decima nona die mensis Iunii anno praenotato, et sepultus est in Alba, in sepulchro Regis Hungariae; Rex autem Lodovicus de morte eius fuit valde contristatus, quia proponebat praeficere in Regem Apuliae, pro Rege Andrea patre suo, si vixisset. Interim autem, dum haec agerentur, Lodovicus de Tarento duxit in uxorem Iohannam, uxorem Regis Andreae, ut mediante ipsa regnum Apuliae posset occupare, et congregato exercitu, postquam reversus fuerat de provincia Provinciae, cum Iohanna uxore sua pugnavit fortiter contra Wolphardum, quem constituerat Rex Lodovicus vice sua ad regendum populum, et ad domandum regni rebelles Apuliae. Qui Wolphardus Alamannus videns Lodovicum esse fortioorem se, intrans cum suis castrum Neapolinum, oppugnantibus viriliter resistebat. Tandem post plures menses, deficientibus victualibus, et nimia pressus egestate, compulsus est venire ad dominum suum Regem Lodovicum in Hungariam; qui receptus est ab eo gratiose, et in signum suae dilectionis dedit sibi castrum de Owar cum suis tectis, et districtu Muson. Cernens autem dictus Rex Lodovicus partem suam illic infirmari, et partem oppositam prosperare, nec,

ut credebatur, succedebat, celebrato sui consilii misterio, vocavit unum de suis principibus, Stephanum filium Laczk, tunc Vayvodam Transilvanum, in armis militaribus audacissimum et strenuum, et in rebus ac negotiis abunde disponendis multum prudentem, (unde in Apulia exivit de ipso proverbium: tu es homo victoriosus et sapiens, quasi alter Stephanus filius Laczk.) et misit eum cum honesta et forti militia Hungarorum in Apuliam, ut divino sibi assistente praesidio, de suis inimicis vindicaret, ac ipsos potenter contereret et humiliaret, Praedictus igitur princeps, scilicet Stephanus filius Laczk de Herman, una cum suo filio iuvene strenuissimo et audace, sicut prius semper cum suis fratribus Andrea, Michaële, Nicolao, et Paulo, ac Dionysio, et Nicolao filiis suis, Coronae Sacrae fideles extiterant; ita et tunc praecepto domini Regis per omnia fidelissime se submitit, et ad eius imperium exequendum se, ut melius potuit, praeparavit.“

„Anno Domini millesimo trecentesimo quadragésimo octavo igitur, circa festum Michaëlis Archangeli, praedictus Stephanus filius Laczk, princeps militiae, licentiatus a Domino, cum comitiva sibi commissa (in qua erat Iohannaes filius Nicolai Palatini, et Stephanus filius Mich Bani, Demetrius de Dobey, Nicolaus filius eiusdem Stephani) ivit in Apuliam, qui duce omnipotentis Dei Angelo, mare Adriaticum sine omni periculo transfretavit. Pervenienti autem cum tota Hungarorum militia ad civitatem Fodiam, et volentes habitatores ipsius civitatis Fodiae fidelitatem Lodovico de Tarento, et Iohannae observare, ipsis Hungaris armata manu resistebant, Antedictus vero dux belli Stephanus, sicut miles strenuus et audax, ut leo, cum suis sociis contra civitatem bellum iniit, et victoria de coelo sibi praestita, inimicos potenter superavit, et potestati domini Regis Hungariae subiugavit; in tantum enim dictam civitatem humiliavit, quod magis erat acervus lapidum, quam civitas praemunita. Deinceps enim coeperunt Hungari, adiuvant domino Deo, et Stephani astutia, ubique adversariis praevalere. et mirabiles victorias exercere in tantum, ut viginti Hungari, vel paulo plus, sexaginta armatos ex inimicis in pugna devincerent, et sine sua laesione captivarent. Diffusa ergo fama strenuitatis Stephani filii Laczk, et aliorum Hungarorum, ubique cecidit timor eorum super habitantes Apuliam, et usque ad Lodovicum et Iohannam sceleratissimos haec magnalia pervenerunt.



De Prelio commisso, et Victoria per Stephanum Voyvodam facta.

*Stephanus Vayvoda Transsilvanus Neapolitanorum
licentiam coërcet Anno 1349.*

Post recessum autem regis, quidam Neapolitani, et ibidem milites Capitanei seditionem concitantes, Volfardum Capitaneum predictum expulerunt. Et superbia inflati, ad expellendum ipsum Stephanum Voyvodam insurgentes, inter Aversam civitatem, et Neapolim, habito congressu, fortissimum prelium est commissum; ¹⁾ in quo volente Deo, ipse Stephanus Voyvoda cum exercitu Domini Regis victoriam obtinendo, multos Comites, Barones, Milites, Nobiles, et Cives de Neapoli, aliis interfectis, captivavit, et spolia ipsorum maxima obtinuit, et gentibus Domini Regis cum largitate distribuit, captivos in magna summa pecuniarum pactando, liberos abire permisit. Fretus autem ibidem victoria, in ipso Regno securus permansit.

¹⁾ Idem Dubnitzense Chronicon: „Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono Lodovicus de Tarento, et Iohanna exercitum permaximum contra Stephanum Vayvodam ducem militiae Regis Hungariae, utrumque (sic) potuerunt, conduxerunt, et ducem Werhernum (Wernerum Urslingensem) capitaneum Soldatorum, qui a domino Rege, dum esset Neapoli, tali conditione recesserat, ut nunquam contra ipsum, nec contra populum suum insurgeret, fide se constrinxit. Ipsum igitur Werhernum super suum exercitum capitaneum et ducem belli, contra exertum Regis Hungariae, in civitate Neapolitana statuerunt. (Conf. citatum Francisci Bronner librum) Mense igitur Iunii anno supra dicto, exercitus Lodovici de Tarento cum exercitu Regis Hungariae, in die, communi voluntate ad id per ipsos determinato, inter civitatem Neapolitanam, et Aversam bellum ineuntes, crudeliter et saeviliter invicem dimicantes, ubi Altissimo Deo adiuvante, exercitus domini Regis, multis captivatis, et pluribus vulneratis, et multis interemptis, ac caeteris in fugam conversis, dictus Stephanus triumphum laudabilem, ac victoriam solennem reportavit. Inter quos captivos principales isti fuerunt: dominus Robertus de Sancto Sevevino, dominus Remundus de Baucia Comes Sancti Angeli, et alii duo comites valde solemnes; quorum nomina in litteris eiusdem Stephani

fili Laczk, domino Regi transmissis, habere non potui. (Ex his iam satisluiquet, quos fontes Compiler noster sectatus fuerit) Item ducenti milites Neapolitani, praeter alios captivos, quorum numerus exprimi non potuit. Nullum dubium est homini fideli, quod per ista omnia, et similia sanguis innoxius Regis Andreae exquirebatur.“ Et M. Alberti Argentinensis Chronicon in Urstisii Tom. II. Germ. Hist. Franconf. Wechel. 1585. Fol. p. 147. „Reverso autem propter pestilentiam Ungaro, Ioanna relicta Andrae fratris sui, uxor Ludovici Ducis Thoraciae, de auxilio Papae Neapolim revertitur, et cietis Ungari fidelibus, terra sibi iterum subiungatur. Wernhero de Urselingen, Svevo (qui primo Ungaro adhaesit, et ab eo propter quandam suspicionem falso sibi impactam, ut dixit, licentiatu fuit) eidem Iohannae propter pecuniam assistente. Nicolaus enim tribunus urbis, fautor Ungari, disparsens, sede inibi quasi praevalente, eo tempore non erat potens in urbe.“ — Chronicon autem Estense apud Murator. Rer. Ital. Script. Tom. XV, edit. Mediol. 1729. Fol. p. 449: „Anno 1348. De mense Februarii Dominus Rex Hungariae existens in partibus Neapolis, cassari fecit omnes Stipendiarios suos Theutonicos.“ La lettera, che mandò il Re d' Ungheria al commune die Firenze Istoire Fiorentine di Giovanni Villani. Vol. VIII, libro. XII, cap. CXIII, pag. 275. Milano Societa tipographica, An. 1803, 8. „A nobili e potenti signori Priori e consiglio e comune de la cita di Firenze amici nostri carissimi e diletti Lodovico per la Dio grazia Re d' Ungheria di Gerosalemme e di Cicilia, Impero che favorandoci la divina potenza e grazia noi tegnamo libero e intero tutto il regno di Cicilia di qua dal Faro, a noi già longo tempo per debito di ragione conceduto, siccome la evidenza del fatto a tutto il mondo fa manifesto e dichiara, noi da alcuni Soldati a cavallo, del servizio d' e quali noi al presente non abbisognamo, con sodelisfazione piena e intera prima a loro fatta facemmo dare licenza. Intra' quali il Dogie Guernieri con certi suoi segnaci fu P' uno, dal quale corporal giuramento alle sante Iddio vangele ricevemmo con lettere della sua promissione fatte alla nostra eccellenza che contra alla maesta' nostra a contra alcuni diletti nostri e fedeli, specialmente e nominatamente contra a voi ovvero la vostra comunita' o citta' o distretto vostro in una cospirazione farrà, lega ovvero compagnia, pel protesto da catione, della quale noi o voi, o qualunque altri nostri diletti o fedeli potessimo essere dannificati, molestati o perturbati in alcuno modo. Ma impero che niuna fede e niuna pietà e in coloro, che seguitano le battaglie, e il detto dogie Guernieri ha altre volte molte periculose cose sotto protesto di compagnia usate di fare, e pero alla dilezione e carissima amistà vostra con chiara affezione vi rechiamo a memoria de ciò, che con diligente cura e solecitudine veggiate, acciò

che alcuna malvagia concezione o rea effezione di quelli soldati non potesse a voi generare alcuno nocimento, Che se avvenisse, che per l' avversità di detti soldati o d' alteri nostri invidiatori contro a voi o la vostra città in alcuna nocievole caso volesse mandare fori suo veleno, infino ad ora siamo pronti con tutto il nostro prodere a voi dare il nostro ajuto e consiglio opportuno, acciò che la sincerità dell' amore, il quale tra genitori nostri e voi già longo tempo fu et è indissolubile, insieme con noi perseveri e continnamente s' accresca, e li rei d' suoi mali-voli propositi e inique operazioni confusione patiscano o pene sempiternae. Data in Napoli nel nostro castello reale addi 8. del mese di Febbrujo prima indizione.“ i. e. an. 1348. Wernerus de Urslingen desertis Ludovici partibus, in thorace hanc inscriptionem gestavit: „Duca Guarnieri della Gran Compagnia, nimico di Dio, di pietà e di misericordia.“ Bronner Lib. cit. p. XI.

De Exercitu, et Pugna Stephani Voyvode cum gente Lodovici circa Neapolim.

Exercitum quoque Ludovici Tarentini debellat
Anno 1349.

Post hec autem, cum pars eiusdem Lodovici aggregata sibi gentis multitudine appreciata, et quam pluribus dicti Regni Sicilie infidelibus in suam societatem adiunctis, ipsum Stephanum Voyvodam exterminare cupiens, ante Civitatem Neapolitanam dispositis aciebus, conserto bello, et sonis bellicis perflatis, ¹⁾ aggredi procuravit. Et quamvis longe plures idem Lodovicus de Tarento pro parte sua gentes in suo exercitu haberet, et utrumque ²⁾ hostiliter ad invicem prelium commisissent: tamen idem Stephanus Voyvoda zelo fidelitatis armatus, volens potius post mortem venire ³⁾ per fame gloriam, quam tergum hostilitati vertere; victoriam obtinuit adoptatam. In quo quidem prelio idem Stephanus Voyvoda quam plures Comites, Magnates, et potiores Milites captivavit, et consequenter sepe sepius quam plures exercitus ipsius Lodovici debellavit. ⁴⁾ Civitates plurimas expugnavit, et gravia homicidia personarum, periculaque eidem Lodovico adherentibus irrogavit; sicque potiores et nobiliores

ad fidelitatem Regis Hungarie adduxit, et ipsius servitio applicavit. Sicut hec, et alia quamplurima gesta sua et servitia, in Privilegio ipsius Regis super donatione Castrorum Oztrogo, et Chiak Tornia vocatorum, circa fluvium Drava existentium, in remunerationem premissorum sibi concessio plenius continetur. ⁵⁾ Gentes etiam, seu incole dicti Regni, quoscumque ex Hungaris comprehendebant, vivos excoriabant, et aliis tormentis severissime affligebant.

1) Sona bellica, hoc loco Tubam denotat.

2) Utrunque pro utrinque.

3) Lege: vivere, quemadmodum diploma mox recitandum habet.

4) Praelium isthoc non est idem censendum, cuius iam superiore Capite meminerat.

5) Donatio Castrorum Osztróg, et Csák-Tornya anno 1350. tertio kalendas Novembris contigit, tabulas autem per extensum vulgatas lege sis in Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 756—761. in quibus Ludovicus cetera inter: „Denique, quia propter — nostrum de — regno Sicilie discessum, Iohanna, et Ludovico de Tarento marito eiusdem, capitalibus inimicis nostris, cum eorum gentis multitudine, ipsum regnum nostrum Sicilie invadentibus, satagentibusque nonnullis aliis nostri fratris diadematis inimicis, nec non proditoribus et rebellibus Sacre Regie Maiestatis nostre; ipsum regnum nostrum diversimode extiterat lacessitum, quam pluribus ipsius regni nostri magnatibus, et civitatibus a fide nostra, in contemptum regii honoris nostri, et corone contumeliam segregatis; ideo volentes, et animo cupientes huic miserabili regno nostro Sicilie de remedio providere oportuno, ne per ipsos nostros capitales inimicos, emulos, et rebelles, regnique nostri predatores, fideles nostri opprimantur — Magnificum Virum Stephanum Wayvodam Transylvan. Consiliarium et familiarem nostrum dilectum — — adiuncta sibi gentis multitudine, in predictum regnum nostrum Sicilie, ut seductorum nequicia extirpetur, tyrannorum puniatur crudelitas, perversorum compescatur temeritas, presumtuosa refrenetur audacia — duximus destinandum. Qui quidem Stephanus Wayvoda, postquam fuisset in Fegyá, prefatum Ludovicum de Tarento, — et sequaces suos in civitate Lucerie districte fortiter obsedit; idemque Lodovicus timore magno perterritus et angustiis undique circumdatus, gentis sue, et salutis sue prope desperatus, de dicta Lucerie civitate discedens, versus civitatem Exculli volens pergere, ante ipsum Stephanum Wayvodam, vix vicinam civitatem Troye attingere valuit fugiendo; predictus vero

Stephanus Wayvoda, ut prudens vir, volens in cepto proposito, publicato in actu preponere necem vite, priusquam ab incepto ignominiose desistat; ipsum Lodovicum de predicta civitate Troye cum sua gente, cum banderis seu vexillis explicitis, versus predictam civitatem Exculii in convallibus iter arripientem invasit, et cum ipsa gente Lodovici preliavit; in quo prelio, sicut Domino placuit, victoriam sibi iusticia ministravit, et preter occisos et vulneratos ad mortem, trecentos equites captivavit, vexilla Ducis Vernelii, Domini Nicolai de Acherolis, Domini Philippi dicti Mali Spiritus, Domini Iohannis de Surgonia, et alia tria connestabulorum Corporalium, seu Nobilium apportavit. Predicti vero Dux Vernelius, et Dominus Nicolaus de Archolis, cum multis aliis per multa personarum pericula, viribus equorum suorum suffulti, de manibus ipsius Stephani Wayvode incogniti vix evaserunt. Dampnificata itaque gente predicti Lodovici ex predicta perdicione, sequenti die idem Lodovicus sub silencio noctis aufugit de ipsa Troya in Civitatem Exculi praenotatam. Et demum nonnullis diebus transactis, idem Stephanus Wayvoda prefatum Ducem Vernelium cum quingentis armatis societati ipsius Ducis Vernelii adiunctis, in civitate Corneth captivavit. Post hec, cum idem Lodovicus aggregata sibi gentis multitudine appreciat, et compluribus regni nostri Siciliae infidelibus in suam societatem applicatis, confidens in sue gentis multitudine, ipsum Stephanum Wayvodam cum tota gente sibi adiuncta, in contumeliam nostri Regii honoris penitus exterminare cupiens et animo desiderans anhelanti; ante Civitatem Neapolitanam in area ad certamen belli, prius per ipsum Stephanum Wayvodam in contrarium ipsius Ludovici preparata, belli certamen commisit; ubi idem Stephanus Wayvoda zelo devote fidelitatis armatus, volens potius post mortem vivere per fame gloriam, quam tergum hostilitati huiusmodi vertere; se obiecit, et ibi sonis bellicis utrinque hostiliter perfatis, acerbissime preliavit. — Sed quid plura, Ille siquidem supremus quidem Opifex, qui fidelibus dextram prebet, et iustis auxilii sui commodum procul ponere non novit, victoriam memorato Stephano Wayvode ab hostibus desideratam digne prebuit reportare — In quo quidem ingenti prelio prefatus Stephanus Wayvoda — quem plures Magnates, Barones, et potiores Milites partis adverse triumphaliter captivavit, partem adversam penitus debellando. Deinde idem Stephanus Wayvoda solite fidelitatis insistentis fervori, quam plures validissimas ipsius Lodovici expeditiones multifarie multisque modis debellavit; et civitates plurimas expugnavit, ac gravia et horrenda personarum pericula eidem Lodovico adherentibus irrogavit: ut certa Relatio nobis hec omnia patefecit; sicque potiores et nobiliores ipsius regni nostri Sicilie Magnates, et Milites ad fidei nostre cultum adduxit, et nostris

serviciis applicavit.“ — Haec ad fidem Compilatori conciliandam, qui apud Schwandnerum S.S. Rer. Hung. Tom. I. p. 172. ita de se testatur: „Quam ob rem, de gestis illustrissimi principis, domini Lodowici — et bellorum exercitiis suae gentis et militiae, quamvis pauca ex pluribus, ne per neglectus incuriam labantur in oblivionem, ego Iohannes nunc, (anno videlicet 1358. conf. ibid. Praefationis pag. XII.) archidiaconus de Kikullew in ecclesia Transilvana, vicarius Strigoniensis in spiritualibus generalis, tunc licet indignus, suorum Secretorum notarius, posterorum notitiae duxi commendanda ordine sequenti, continuando per Capitula, et particulas terminatas, sub certis titulis; ut in promptu inveniatur, quod quaeritur, pro legentium utilitate.“ in an. 1378. et 1380. tabulis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 252. et 384. „Magister Iohannes Archidiaconus de Kukulleu, et Canonicus in Ecclesia Transilvana.“ antehac fuit Praepositus Strigoniensis et Comes Capellae, adeoque Secretarius Cancellarius Ludovici Regis. Conf. Szvorényi-um Hist. Eccl. Regni Hung. Amoenit. Fasc. I. p. 46.

De Reditu Iohanne Regine, et Lodovici.

*Praeter opinionem Iohanna, et Ludovicus Tarentinus
Neapolim redeunt Anno 1349.*

Medio autem tempore ipsa Iohanna Regina, et Lodovico de Tarento eius marito in Neapolim redeuntibus, et Regnum sibi subiugare nitentibus; ipse Stephanus Voyvoda dictum Regem Hungariae ad defendendum ipsum Regnum contra ipsos evocavit.

De Secundo Introitu Regis in Regnum Apuliae.

*Ludovicus, perlatis ad se ea de re nunciis, in Apuliam
properat Anno 1349.*

Qui quidem Dominus Rex sine aliqua retardatione, nec expectata exercitus congregatione, cum quibusdam suis Baronibus et Militibus, inter quos erant principales: Nicolaus filius Gyleti Palatinus, cum Iohanne, Dominico militibus filiis suis; ac Iohanne filio Gyleti fratre suo; item Stephanus, et Georgius filii Bubek; ¹⁾ Nicolaus de Sech; ²⁾ Konya filius Thome Voyvode; Andreas Voyvoda cum

fratribus suis Nicolao, Paulo, Michaële Lachk. Item ex Prelatis, Reverendus in Christo Pater Dominus Nicolaus Episcopus Zagrabiensis, qui fuit ibi in Civitate Aversana in Episcopum consecratus. Et venerabilis vir Dominus Stephanus Prepositus Budensis cum fratre suo Iohanne strenuo milite filio Laurentii de Canisa; ac cum pauca comitiva, in una galea, et quibusdam barcis, ⁴⁾ repente in Aquilam transfretavit, ⁵⁾ et ad portum Manfrodonie applicuit, ipsam civitatem pacifice de consensu communitatis ingressus, Theanum et Barletum subiugavit; ⁶⁾ nec non civitatem Borii, ubi Sanctus Nicolaus Pontifex acquiescit, obsidendo obtinuit et intravit, ⁷⁾ ac Castro Civitatis munitissimo ac fortissimo sibi restituto, in eodem resedit, et stipendium soldatis Teutonicis numero quatuor millium barbutorum, ⁸⁾ quorum Capitaneus erat Conradus de Volford, frater dicti Volford copiose et largissime divisit.

¹⁾ De hac familia, quae Bebek, et Bublik de Pelsötz appellabatur, adi Wagnerum Collect. Geneal. Dec. I. p. 56. et sequ.

²⁾ Széch, vel Zéch familia de genere Balug. Wagner ibidem p. 113.

³⁾ Kanisaii de genere Osl. — Wagner ibidem Dec. I. p. 91.

⁴⁾ Barca, navis mercatorum, et quae merces exportat. Gloss.

⁵⁾ Et Dubnitzense Chronicon: „Cum igitur haec ita agerentur, ecce Stephanus filius Laczk venit de Apulia anno eodem, laetitia praeoptata annuntians Apuleiensium expugnationem, Lodovici de Tarento, et Iohannae omnimodam deiectionem, dicens: Domine Rex festina occupare Apuliam virtute Divina in manus tuas collondam. Quo audito, Rex Lodovicus, more elephantis ad pugnam robustior animatus, conatu celerrimo, misterio sui consilii in Buda celebrato, feria secunda post Octavas pasce (20. Aprilis 1349.) versus Apuliam Rex egreditur cum dicto Stephano filio Laczk, et quibusdam militibus, sua vestigia continue imitantibus et secus commorare consuetis. In festo Sancti Georgii Martyris ascendit galeam in Senia (Segniae) et die octavo applicuit in Horconiam, salvis rebus et personis. Tandem in festo Beatorum Philippi et Iacobi Apostolorum venit in Manfordoniam, et inde consurgens in festo inventionis Sanctae Crucis descendit in Barletum, et inde die tertia, in festo Sancti Iohannis ante Portam Latinam, transivit in Baar, ad limina Beati Nicolai Confessoris visitanda; et inde rediens in Barletum, fecit residentiam cum soldatis, et brigantibus (Peditibus Vernheri Urslingensis) universis. Et ecce in

festo Translationis Beati Francisci (24. Maii) venit Lewstasius Senascallus (Officialis, cui Aulae Regiae cura incumbabat) Regis cum multis militibus, portans secum multa millia marcarum pondus argenti, et vasa aurea et argentea duo millia et eo amplius, ac thesaurum nimium, pro honore Regis expendendum. Nec puto obmittendum, quod idem Lewstasius tantam fecit Regi fidelitatem, quod si tantam non adhibuisset diligentiam, totus honor Regis vacillari potuisset. Quem Rex gratantissime recepit, et magnalia sibi pro servitio suo repromisit.“

6) Chronicon Dubnitzense: „Cum igitur Rex in Castro Barleti in festo Beati Antonii Confessoris, in suo strato quiesceret, ecce de civitate Barleti omnes campanas vomiferas pulsare coeperunt universas et clamare: ad arma! ad arma! viva Rex de Hungaria! viva! Quod cum Stephanus filius Lack dux exercitus didicisset, vidit, quod omnes soldati contra civitatem insurrexerunt, et Regem, cuius argumentum ex eo, quod quinque galeae, quaelibet cum quadringentis hominibus armatis onusta, venit ante castrum Barletense. Quod videns dictus Stephanus filius Laczk, una cum filio suo dicto Nicolao, et Moroczok, et Ladislao dicto Soos, omnes de Civitate soldados exire compulerunt, pluribus eorundem interfectis et rebus eorum spoliatis. Wolphardum vero de manibus eorum Rex eripuit, Conradum fratrem Wolphardi cum dictis soldatis abire permisit.“

7) Ludovicus in an. 1350 tabulis, quibus Petrum dictum Lengyel ob servitia triennio in Sicilia praestita, a nota calumniae absolvit: „recensitis, et in memoriam revocatis fidelitatibus, et fidelium servitiorum multimodis meritis Petri dicti Lengyel, filii Michaëlis de Korytnik, de Comitatu de Scepus, in cunctis nostris et Regni nostri expeditionibus, et specialiter in eodem regno nostro Siciliae a tertio anno itinerationis usque nunc residentiam faciendo, variis et diversis casibus, et personae periculis, nil sibi, suisque parcendo laboribus et expensis, pro exaltatione nostri regiminis, et honoris incremento, cum sui sanguinis effusione, specialiter vero in obsidione civitatis Barenensis, nobis cernentibus, nostrae Maiestati exhibitis et impensis.“ — Wagner Analect. Scepus Tom. III. p. 210. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 765—766.

8) Barbata, Tegminis species, qua caput tegebant milites, seu equites in preliis. Barbuti itaque erant milites Barbucis armati, quos postmodum Itali, Lances, seu Lanciarios appellarunt. Gloss.



De Proditione facta per Stipendiarios.

Stipendiariorum proditio per Ludovicum vindicata.

Interim autem gentes sue de Hungaria per navigia ad ipsum confluebant, et exercitus eius nimium et copiosissime multiplicabatur. Quod videntes Teutonici soldati, absque voluntate eiusdem Conradi de Volfard eorum Capitanei, ac aliorum Principalium, proditionem et insultum fecerunt contra Regem, et gentem suam Hungaricam, et Civitatem, volentes eam spoliare et derobare. ¹⁾ Contra quos Hungari insurgentes, et civitatenses cum cathenis per vicos et plateas, que sub terra inter muros latitabant, constringentes, magnam multitudinem soldatorum inter cathenas comprimendo occiderunt, et multos ex eis decaptivaverunt, equos, valisias, ²⁾ arma, baltheos, et res ipsorum abstulerunt; et nisi unam portam ipsi soldati pro se occupatam, custoditam habuissent, vix aliqui ex eis evasissent. Sed tandem extra civitatem fugientes, et in campo iacentes, per multos nuncios interpositos, gratiam sub tali pacto a Domino Rege obtinuerunt, ut de ipso regno omnes exirent, et adversariis suis nunquam adhererent; et hoc suis literis, instrumentis, et iuramentis firmaverunt. Ex ipsis tamen aliquos Dominus Rex, qui sibi videbantur esse inculpabiles in seditione concitata, ad suum servitium reservavit.

¹⁾ Derobare, furari, expilare, Robam, id est, vestem eripere., ex Gallico Derober. Gloss.

²⁾ Valisia, Hippopera.

De Obtentione Castri Canosii.

Ludovicus Rex in obsidione Canosii Arcis vitae periculum subit.

Postmodum Rex, qui in processu exercitus singulis diebus continuatis inter catervas militum in armis equitare solebat, admoto exercitu, Castrum Canosii obsedit et expugnando obtinuit, vel potius restituendo. Sed ibi-

dem, cum ipse armatus per scalam ascendere festinaret, per ictus lapidum graviter percussus, in fossatum est prolapsus, gravemque in corpore suo sustinuit passionem; de quo Barones, et Milites sibi nimium improperabant, 1) quod ad talia se ingressit, que non decent Regiam Maiestatem. 2).

1) Improperare, obiurgare.

2) Dubnitzense Chronicon: „His igitur peractis, Rex movit exercitum et venit in Canisiam: et inde transiens versus Neapolim, venit die crastina in Esculum Apulianum. Et ecce quidam drometarius (Tubiren) portavit litteram Lodovici de Tarento, continentem, quod Rex cum eo duellum, seu certamen singulare, deberet committere; quod Rex gratanter accepit, et coram regibus Franciae, ac Angliae anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, in octava Epiphaniae Perusius (forte Perusii conf. Gravinam apud Murat. S.S. Rer. Ital. Tom. XII. col. 702. et Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 775. et Ludovici, Hungariae Regis responsum ibidem p. 775—776.) se dictum certamen pugnaturum spondidit.“

De Captivatione Stipendiariorum Lodovici.

Lodovici de Tarento Stipendiarii ad Beneventum per Hungaros intercepti.

Abinde vero certa Castella occupans, Lutheriam, cuius muri erant diruti, est ingressus, prope quam erat castrum fortissimum pro Lodovico, marito Iohanne Regine conservatum. In qua civitate Rege existente, Nicolaus, et Paulus filii Lachk vix cum quinquaginta sagittariis Hungaris, centum et viginti armatos soldados gentis permixte Lodovici de Tarento, in campo in pugna capientes, ligatis post tergum manibus, equites armis indutos introduxerunt ante Regem; quos Rex illa die in refectorio Fratrum hospitari fecit et refici in cena, ac die crastina, ablatis equis et armis, sicuti consuetudo est stipendiariorum, abire permisit. 1).

1) Hanc pugnam idem Chronicon ita describit; „Eodem die venit rumor, quod trecenti Teutonici, seu soldati iuramento se constrinxerunt, ut Regem Lodovicum die crastino in Neapolim coram Iohanna praesentarent. Quod audiens Andreas Nicolai filius

Laczk, clam assumpta secum familia fratris sui Stephani, cum Dionysio, filio eiusdem, de nocte ad Beneventam equitarunt, et die sequenti, in festo Beati Pauli, ante dictam civitatem, in campo cum eisdem soldatis horribiliter pugnauerunt, et dictos trecentos soldados potentissime devicerunt, Centum et quinquaginta ex eis captivando, alios vero occidendo, vel in plagis laetalibus ibidem reliquerunt. Non est dubium, quod dictam (victoriam) eidem Nicolao filio Laczk divina misericordia administravit; quia solum cum centum hominibus armatis, et cum quinquaginta pharetris, absque scitu Regis Hungariae, illuc perrexerat ad pugnandum. Iohannes vero dictus Bessenyaw vice agazo domini Regis duos soldados virtute propria prostravit, et cum tertium aggrediretur, ille viriliter resistebat, et suum equum interemit, videns autem idem Iohannes equum suum corruisse, celeriter resiliens, ipsum Tentonicum ense nudo aggreditur, licet ab eo in capite graviter vulneratus fuisset, tamen eundem protinus ictibus cumulatis in terram prostravit, et caput eius in Beneventam reportavit. Praefatus vero Nicolaus filius Lack ante dictos centum et quinquaginta captivos domino Regi in Melphy civitate fortissima, honore cum maximo praesentavit. et in eius conspectu, more solito ab omnibus armis eos spoliatos abire confusibiliter compulit ad omnium confusionem soldatorum. Die autem sequenti Rex movit exercitum ad unam civitatem in aurora nomine Ricardoch fortissimam, quam Stephanus filius Lack, et Andreas frater eius, nemine sciente, conscenderunt; et Ladislaus dictus Soos cum Moroczok ipsos sequens, turrim civitatis principalem ascenderunt, et vexillum Stephani, Draconem album, erexerunt, et fortissime clamantes: viva Rex de Hungaria! viva! viva! famuli autem ipsorum super scalam humanam, id est, unus scandendo super scapulas alterius, murum ascenderunt et portam succenderunt. Quo facto omnes irruentes Hungari totam Civitatem occupaverunt, et eiusdem habitatores usque ad parvulos in ore gladii peremerunt, claustrum autem Fratrum Minorum incenderunt, et plures ex eisdem Fratribus mortis poculo inebriarunt, et quia hoc erat factum in Vigilia Beati Iohannis Baptistae, et Rex in prato sub eadem Civitate existens cum suis militibus resedit, facto prandio, versus Salernam civitatem castra movit, et in festo Beati Regis Ladislai dictam civitatem Salernitanam, Stephanus filius Lack opugnando obtinuit. Rex autem civitatem intrare voluit, sed per Stephanum filium Lack prohibitus fuit eo, quod inimici quidam latenter ibidem existebant. In festo autem Petri et Pauli Apostolorum venit Rex ad Castrum Abbatis (Staffat, Gravinæ Schafat.) cui Abbas resistere conatus est, quem Andreas filius Laczk insidiosè comprehendit et Castrum occupavit. Die vero sequenti venit Rex ante Aversam, quam expugnare non potuit, sed eam cum vellet expugnare, Denk filius

Nicolai de Nerche in tantum extitit verberatus, quod veniens in Hungariam infra breve tempus spiritum exhalavit. Nicolaus etiam filius Ugrini de Wylak in muro civitatis ictus lapidum accepit, et quasi semivivus ad suum descensum deductus fuit, et diutissime aegrotavit. Iohannes filius Palatini sagitta percussus vix mortis periculum declinavit“

De obtentione Salerni, et aliarum.

Salernum perinde expugnantum.

De qua Civitate ulterius procedens, Deo auxiliante, et vias eius in prosperitate dirigente, Salernum, et Castellum Staffat obtinuit; et inde versus Neapolim, oppidum Sumpnia vocatum bene munitum, in quo multi erant pedites, expugnavit.

De obsidione Civitatis Averse, et de Vulneratione Regis circa eandem.

Inde ad obsidendam Aversam itum.

Et dehinc recedens, Civitatem Aversam obsedit, que adhuc in muris non erat totaliter consumpta, sed de die in diem per defendicula ingeniorum construebatur, et ad perfectionem deducebatur. Ubi Capitaneum exercitus Nicolaum Konth, virum in consiliis prudentissimum, amoto Stephano Voyvoda, prefecit, quod factum multis displicuit, et ipsum Stephanum Voyvodam exacerbavit, ac processum negotiorum Regis multum perturbavit.

Ubi Ludovicus alterum laethale vulnus accipit.

Cum autem Rex ipsam cum suo exercitu expugnare cepisset, et se ad pugnam ingessisset, sagitta balestre in pede fuit letaliter vulneratus, et vix, divino fretus auxilio, et medicorum cura, mortem evasit. ¹⁾ Duravit autem obsidio Civitatis bene per tres menses, et quotidie armati Teutonici soldati Lodovici de Tarento, de civitate inopinate et repente exeuntes et insultum facientes, cum gentibus Regis Teutonicis, et Hungaris pugnam committe-

bant, et multis ex utraque parte vulneratis, iterato ad civitatem fugiebant. Qua obsidione durante, victualia in civitate defecerant, et propter famis inedium multi homines expellebantur de eadem, et per exercitum capiebantur. Propter quod soldati ulterius durare non valentes, civitatem una cum castro fortissimo, in quo erat Capitaneus et Castellanus Iacobus de Pinatariis, sub pacto securitatis personarum et rerum suarum, restituunt; et Dominus Rex Castrum, et exercitus civitatem ingressi sunt. In quo loco multas Donationes in possessionibus, Baronibus, Militibus, et Nobilibus secum existentibus, in Regno Hungarie fecit et continuavit; quorum agilitates et servitia in Literis Donationum eis concessarum enarrantur. ²⁾ Tandem mora protracta, in castro Rex bene convalescens, recuperata sanitate, audacem et bellicosum virum Andream Vayvodam, filium Lachk, Capitaneum generalem in Regno; Nicolaum Drugeth, fratrem Vilhelmi Palatini Capitaneum Civitatis Salerni, et Fratrem Morialem Militem Ordinis S. Iohannis Ierosolimitani, Priorem Anianensem Capitaneum in eadem Civitate Aversa, qui postea infideliter agens, eandem Civitatem cum Castro in potestatem Iohanne Regine resignavit, in sua persona preficiens, et ibidem dimittens, propter Annum Iubileum zelo devotionis accensus, versus Romam, per Civitatem Capuanam, in cuius porta est turris altissima ac solemniter opere fabricata: et sub monte Cassino, cuius muri per terre motum corruerunt; ³⁾ et per Campaniam est profectus. ⁴⁾

¹⁾ „Cum igitur Rex eandem obsideret Aversam civitatem, contigit (prosequitur ultra Chronicon Dubnitzense) ut in festo Sanctae Annae appropinquaret ad murum civitatis, et veniret ad eundem locum, unde proiectus fuerat Rex Andreas indecenter iugulatus; stans super murum quidam laicus, et agnoscens personam Regis, mox eum sagittavit, et in sinistro pede graviter vulneravit. Veniens autem Rex ad hospitium, habens ferrum sagittae in pede, totam noctem duxit insomnem; mane autem facto, venit Stephanus filius Laczk cum Wolphardo, et in tractu duodecimo vix ferrum extraxerunt. Quantum autem dolorem ipse Rex eiulatu emisit et clamorem, longum esset enarrare; cum enim vehementer torquebatur in extrahendo dicto ferro, inter eiulatus supplicabat Ste-

phano filio Laczk Vayvodae: parce mihi, inquit; quia in omni tractu de suis carnibus dilacerabatur. Caput suum inter brachia sua amplexionaliter tenenti (Fratrī Iohanni ex ordine Fratrum Minorum; fuerit is Ludovici conscientiae moderator, quem etiam rerum gestarum, quas de Ludovico narrat, scriptorem esse coniicio) dixit Rex: Deus scit, quod tota anima mea in manibus Fratrum Minorum est; ideo, postquam me mortuum videris, accipe caput et cor meum, et porta matri meae, et postquam me amarissime defleverit, sepelias in Strigonio circa sepulchrum Regis Belae, in ecclesia Beatae Virginis Ordinis fratrum Minorum, in qua pro nunc et semper eligo sepeliri. Cuius probatio manifesta ex hoc habere dignoscitur, quia rediens in Hungariam existens incolumis, anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, in Strigonio, in domo Magistri Thomae filii Petri, coram Nicolao filio Iacobi vicelectisternitoris sui, dedit eidem unum cingulum catenarum aurearum de puris quadringentis et quatuor florenis fabricatarum, ut ipsum, tanquam ibi sepeliendum, Fratres supra dicti claustrī haberent recommendatum. Extracto igitur ferro, ipsum Regem dictus Stephanus equum iubens ascendere, per girum deducens civitatis, voce praeconica praecipiebat brigantibus, ut dicerent: Ecce Rex Hungariae, Ierusalem, et Siciliae! quo audito, Hungari exultabant, sed et adversarii eiulabant. In festo igitur Inventionis Corporis beati Stephani Protomartyris (3. Augusti) dominus Iacobus Pynrata capitaneus civitatis tradidit civitatem in manus Regis, quam Rex ingrediens, intravit castrum, et mansit ibi usque ad festum Nativitatis Beatae Virginis (8. Septembris) in cuius die crastina egressus est Romam, et convocans ad se universos Barones suos, et Milites sciscitabatur ab eis: quis eorum vellet in Apulia in persona Regis remanere? qui omnes renuerunt et singillatim excusarunt. Quod videns Andreas filius Laczk, coram Rege se praesentavit, dicens: Domine Rex rogo amore salutis vestrae, et intuitu servitiorum patris mei, et fratrum meorum, ut me in ista terra relinquant. Quod Rex granfanter acceptavit, et ipsum, tanquam agnum, in medio luporum dereliquit, et cum eo Bartholomaeum filium Laurentii Toth.“

²⁾ Adi Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 765—766. et 768—770.

³⁾ 10. Septembris 1349. Bronner Lib. cit. p. 88. „auf dem Berge Kasino richtete diese schreckliche Erderschütterung unbeschreiblichen Schaden an, alle prächtigen Gebäude und das alte Benedictiner-kloster auf seiner Höhe zerfielen in Schutt und Trümmer.“

⁴⁾ Post nempe, quam Iubilaei causa cum Ludovico de Tarento, atque Iohanna Regina inducias, opera Annibalis Cardinalis, et Sedis Apostolicae Legati 26. Iulii 1349. fecisset; vide tabulas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 739—754.

De Honore Regi impenso per Romanos.

Postquam ex rubnere convaluit, Religionis causa Romam petit; ubi insigne specimen temperantiae editurus, delatum Domini Romanorum Titulum modeste deprecatur Anno 1350.

En Tribunus cum Romanis per quatuor millia gallicana, circa centum personas ex potioribus, vestibis seu pannis purpureis ad hoc specialiter sub uniformitate aptatis solemniter induti, cum trumbetis, et diversi generis musicarum instrumentis, Regi obviam venientes, honorifice susceperunt, et ad urbem Romanam, cuius platee pannis pulchre strate et decorate fuerant, introduxerunt, et in Dominum Romanorum susceperunt; quod tamen Rex acceptare recusavit: et in Palatio Domini Pape collocaverunt. Singulis diebus Tribunus cum potioribus Romanis ipsum visitabant, et reverentiam exhibebant, ad domos eorum, et ad convivia cum magno gaudio invitantes. Rex autem quotidie in Basilica Sancti Petri Principis Apostolorum Missam audiebat, et singulis diebus Sudarium Vultus Domini ostendebant ad magnam consolationem Peregrinorum et multitudinis Gentium confluentium. Pluribusque diebus cum devotione sic deductus Rex, autoritate Domini Pape absolutus, super Altare Sancti Petri quatuor millia florenorum offerri fecit et presentari. ¹⁾

¹⁾ Chronicon autem Dubnitzense de hac Regis profectione haec narrat: „Sic igitur Rex coepit ire versus Romam, et venit in eam in Octavis Beatae Virginis, et ibidem receptus est cum honore; venerunt enim Principes Romani ante ipsum usque duas leucas, clamantes: viva Rex de Hungaria! viva! viva! Intrans autem civitatem, tota civitas conduxit eum usque ad gradus ecclesiae beati Petri Apostoli cum honore, et intrans ecclesiam, transivit per omnia altaria flectendo genua. Quali autem honore et reverentia ibidem fuerit receptus, et qualiter permissus fuerit omni die visitare Weronicam, et quanta donaria ecclesiis omnibus, et claustris tribuerit, superius intueri poterit, qui vult (Hievon findet sich in unserer Handschrift keine Spur, inquit Chronici huius Editor; quod argumento est, in Chronico Dubnitzensi Res per

Ludovicum gestas, et per Compilatorem exaratas, magna omnino sui parte desiderari) Tandem inde reversus, venit in Hungariam in festo Crisancii et Dariae martyrum (25. Octobris) et venit in Budam, ibique receptus est cum exultatione omnium et laetitia universorum, ex eo, quod salvis rebus reversus fuerat et personis.“ — Ludovici, Regis donationem servitiorum in Sicilia partorum merito in Urbe Romana die Dominico proximo ante festum Beati Michaëlis Archangeli 1350. Iacobo, Eliae, et Iohanni, filiis Iohannis de Kolta factam, lege sis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 777—778.

De Reditu Regis in Hungariam.

Et hinc, compositis rebus, et de se bene meritis praemiatis, in Hungariam revertit Anno 1350.

Exinde cum suo exercitu per partes Italiae revertebatur in qualibet civitate gaudenter susceptus et honoratus, in Veronam pervenit, dimissaque gente Stipendiariorum aliquorum Teutonicorum cum Volfardo, et Conrado Capitaneis; quia nondum erant stipendiis suis plene pagati, ¹⁾ ad expensas ad Regis rationem plenarie computandas, ad Hungariam cum gaudio remeavit, et abinde stipendia ipsorum complete remisit. Capitaneos ad se vocavit, et per remunerationem suorum obsequiorum, largifluis regiis donativis ipsos exaltavit; quorum gesta et servitia in Privilegiis, eis concessis explanantur. ²⁾

¹⁾ Pagare, Pacare, solvere; Paga, Pacatio, selutio. Gloss.

²⁾ Adi Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 756—761.

De Resignatione Regni Sicilie ad manus Domini Pape.

Atque Regnum Siciliae, parum utili lucro, Clementi VI. Pontifici resignat Anno 1351.

Cum autem fere tribus annis Andreas Voyvoda Capitaneus Regni generalis; Nicolaus Drugeth frater Vilhelmi Palatini Capitaneus Civitatis Salerni, cum aliis principalibus Militibus, ac gente Domini Regis copiosa in Re-

gno, et in partibus illis permansissent, et omnia Regni negocia prospere successissent, multaue bella exercuissent, ac gentes Lodovici sepius debellassent, et quasi anichilassent ita, quod solum in munitionibus et castris se inclusissent; sicut de gestis et exercitiis eiusdem Andree Voyvode, que causa brevitatis ad presens obmitto, in Privilegio sibi super possessionariis Donationibus concesso, poterit, qui vult, experiri, ut fides certius possit adhiberi. Dominus Papa Innocentius Quintus ¹⁾ per suum Legatum, et primo per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Gvidonem Tituli Sancte Cecilie Presbiterum Cardinalem de latere missum; ²⁾ ac deinde pluribus vicibus per Nuncios solennes pro libertatione dictorum regalium transmissos; et postea per Dominum Bartholomeum similiter eius Nuncium, Decretorum Doctorem, paternalliter salutaribus monitis institit apud Regem, quod gentem suam de illo Regno revocaret. Ad cuius instantiam, tanquam devotus et obediens filius, ipsum Regnum, nec non Castra, Civitates, Munitiones, Terrasque, quas tenebat, per suos Ambasiatores, videlicet Dominum Iohannem Electum Vesprimiensem in Iure Carnonico licentiatum; et alios ad manus Domini Pape assignavit; iure tamen suo in Regno sibi competenti salvo reservato. ³⁾ Regales etiam praedictos, quos in custodia tenebat, liberavit, et usque Venetias cum securo conducto honorifice destinavit ad propria remeandos. Qui cum magna letitia per mare in Neapolim transfretantes, cum maxima solennitate et honore sunt recepti, ac ad ipsorum dominia et principatus, ac ducatus restituti.

¹⁾ Huius nominis Sextus Pontifex, 1. Decembris 1352. electus, 30. eiusdem mensis coronatus; et 11. Septembris 1362. mortuus.

²⁾ Guido Cardinalis iam anno 1349. in Hungaria egit; vide eius litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 680—681. et Clementis VI. Papae ad eum litteras ibidem p. 663—674. quibus prolixè rationes exponit, ob quas Regnum Siciliae Ludovico donare non possit; cetera inter Puncto Quinto: „ad quantum et ultimum respondimus: quod nos dictum regnum praefato Ludovico Regi confirmare, aut quovis alio modo concedere nullatenus

poteramus; et quod mirabamur admodum, quod ipse Rex, utpote quem credabamus, et credimus circumspectum principem et prudentem, ac prudentum uti consilio; talia peteret, quibus et contrariarentur omnia iura, et aequitas penitus dissentiret, quum ipsa regna, quae regnum praedictum, tanquam praefati Regis (Roberti) haeres legitima, tenet et possidet, et per multa tempora tenuit et possedit.“

3) Vide an. 1351. tabulas, quibus Ludovicus suo, ac fratris Stephani Transsilvaniae Ducis nomine, Regnum Siciliae Clementi VI. resignandi plenam Procuratoribus suis largitur potestatem. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 47—53 et Vol. V. p. 110—111. ibidem Vol. II. p. 168—169. item Ludovici de Tarento, ac Iohannae an. 1352, litteras, in quibus ceteras inter, haec clausula legitur: „ad causandum bonum universalis concordie inter nos, dictumque Ungarie Regem in Romana Curia consumate per manus apostolice Sanctitatis, ad inductionem ipsius Domini nostri Summi Pontificis.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 158—164. denique Innocentii VI. an. 1361, tabulas. ibid. Vol. III. p. 256—257.

Ioannes Archi Diaconus de Küküllő, Historiae Ludovici Scriptor, rationem reddit, cur rerum gestarum ordinem non servaverit.

Hoc non pretermisso, quod tam luculenter et clare rerum gestarum seriem per distinctiones annorum et dierum, prepedientibus intervallis temporum, referre non potui; quia aliqua per me ipsum didici: et aliqua per alios fide dignos, rerum notitiam habentes, intellexi; et sic venia tribuatur rite excusanti: cum sufficiat rerum gestarum seriem enarrare. Cetera scribenda, vel narranda illis relinquo, qui plura sciunt, quam hic scripta sunt de gestis eius tam prosperis, quam adversis, scribere, vel tractare.

De Requisitione Venetorum per Regem facta super restituendo Regno Dalmacie.

Causae belli contra Venetos gesti.

His itaque gestis expeditis; ad propositum cepte materiae, de Regno Dalmacie, et Civitatum Maritimarum

est necessario redeundum. Cum enim Rex principatus, tenutas et dominia Regni sui, Sacrae Coronae subiecta vellet conservare, et usurpata ad statum pristinum revocare; inclitum Principem Andream Dandulo, et Commune Venetiarum per ambasias solennes litteras, et nuncios speciales plures, ut pacis zelator, requisivit et monuit ad restituendum sibi, et Sacrae Coronae Regnum Dalmacie in magna parte. Iadriam, et Civitates Maritimas in toto per ipsos occupatas et detentas. Qui quidem Dominus Dux, et Commune Venetiarum astinentes ¹⁾ se opposuerunt, et resistere decreverunt Regiae Maiestati.

¹⁾ Turótzii Chronicon: astruentes; legendum: abstinentes.

De Exercitu contra ipsos moto.

Pertinaces Venetos anno 1356. bello adoritur.

Super quo facto, Rex ipse, suis Vicinis, Consiliariis, Principibus, Regibus, Marchionibus, et Ducibus contra Ducem, et Commune Venetiarum de tali iniuria graviter est conquestus, ne videretur eos indebite et iniuste impugnare. Ad vindicandum et propulsandum iniuriam sibi et Regno illatam, cum valida potentia, pro recuperandis iuribus Regni sui per ipsos a multo tempore occupatis, versus Italiam contra Ducem, et Commune Venetiarum, cum propria gente sua, nec non Comitibus, Militibus, Teutonicis extraneis sibi faventibus et auxilium prestantibus, ¹⁾ (quos et ipse Teutonicos; ydiomatis ipsorum conscius, multum diligebat, et de stipendiis ac donariis largiflue providebat, eoque ad ipsum libenter confluebant, et fidelia servitia exhibebant) personaliter est profectus; ²⁾ et per terras et tenutas Venetorum circa castrum Sereval ³⁾ transiens, Coneglanum ⁴⁾ obtinuit: et ab hinc ad civitatem Tervisii veniens, ipsam obsedit, castra et terras suarum tenutarum, specialiter Asulum ⁵⁾ cum Rockaner-vis, ⁶⁾ ubi est Abbacia Cuspimacum, ⁷⁾ Keverd, Gorgoniam, et Forgoniam, ac alias quamplures expugnando, et gentes in eisdem collocando; et sic in Hungariam, dimisso ibi strenuo milite Thoma, fratre Venerabilis Patris

Domini Nicolai Archi-Episcopi Strigoniensis, ⁸⁾ pro Capitaneo gentis sue, armiger est reversus.

¹⁾ Foedus defensivum cum Alberto Austriae Duce initum legis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 484—485.

²⁾ Innocentius VI. Papa in an. 1356. litteris ad Ludovicum exaratis: „Fertur, — quod pacis aemulus — Dei negocia satagens impedire, inter te, et dilectum filium Nobilem Virum Ducem Venetiarum discordiae semina spargere nititur, et te usque adeo provocavit, ut robur potentiae tuae, quod adversus ipsius fidei aemulos exercere decreveras, contra renatos fonte baptismalis experiri, convertereque proponas.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 502. Vide etiam alteras eius, quibus compositionem belli huius sibi deferri precatur ibidem p. 503—504, p. autem. 504—505. Ducem Venetiarum exerte Ioannem Gradenicum nominat.

³⁾ Serravalle, videtur esse S. Servolo.

⁴⁾ Coneglanum oppidum Cogiensium populorum Marchiae Tarvisinae.

⁵⁾ Asulum aequè oppidum Marchiae Tarvisinae.

⁶⁾ Nervesa.

⁷⁾ Boufinius: „Rex multa vi cepit Asolum, Cuspiniacum, Gorgoniam, Forgoniam, in edit. Lips. in Francof. Crispiniacum, haec Abbatia, uti et quae sequuntur loca: Kerverd, Forgonia, Gorgonia, mihi sunt ignota.

⁸⁾ Erat is de genere Monoszló.

De Obsidione Castri Castelfrank.

Eosque ad cedendam Hungariae Dalmatiam cogit; cetera vero Iuris Veneti, magnamine restituit
Anno 1358.

Postea vero Magnificum virum et potentem Nicolaum Konth predictum, tunc Regni Hungariae Palatinum, ad partes illas transmisit, qui Castrum Castelfrank vocatum, ¹⁾ Ducis, et Communis Venetiarum, cum magno exercitu obsedit, et continuatis ibidem pluribus diebus, quia Castrum bene fortificatum, et gentibus armatis munitum erat, nihil proficiens, in Hungariam est reversus, ibidem dicto Thoma milite remanente. Qui quidem Thomas miles, et gentes Domini Regis, primo ante portam civitatis Tervisine, et secunda vice in campo prope eandem, cum gentibus armigeris Venetorum bellum et conflictum habue-

runt, eis devictis et multis captivatis. Item tertia vice circa fluvium Brencha navigavit, ²⁾ contra Teutonicos et stipendiarios Venetorum; transpassato flumine super equos, cum magno periculo propter fluminis profunditatem; de mane subito irruentes, eosdem stipendiarios devicerunt, et captivos deduxerunt: quos, secundum morem stipendiariorum, equis et armis receptis, libere abire permiserunt. In quo flumine Paulus germanus Iohannis filii Chel miles, cum quibusdam aliis Hungaris sunt submersi. ³⁾ Quo quidem Thoma milite per Regem revocato, et Benedicto filio Hem illic transmisso, eidem subrogato, idem Benedictus miles superveniens plurima bella contra gentes Venetorum continuavit, et eas superavit. ⁴⁾ Iterum autem dictus Thomas est transmissus, et viriliter et potenter Castra, et Terras acquisitas sub dominio Regis conservavit tamdiu, donec expugnata et recuperata Civitate Iadriensi, que per strenuum militem Elderbah nomine Teutonicum, ⁵⁾ cum gentibus Domini Regis quadam nocte muros civitatis ascendendo, et per pugnam maximam cum gentibus Venetorum armigeris Teutonicis, et Gallicis durissime commissam, ubi idem miles letaliter extitit vulneratus, ex quo vulnere vitam finivit temporalem, Comite Venetorum seu Capitaneo in eadem constituto, cum suis gentibus devictis et fugatis, capta fuit et expugnata; et ibi in partibus maritimis in Dalmacia Regia potestas extitit firmata. ⁶⁾ Cuius Regni Dalmacie, et Civitatum pleno regimine consecuto, Rex nolens ulterius occupata de tenuis Venetorum conservare, Castra et tenutas, quas tenebat, ipsis restituit, gentes suas revocando, et ipsis in pace dimittendo, sub pacto iuramenti per Ducem, et Consiliarios Venetorum submisso; quod neminem de terris eis per Regem restitutis offenderent pro fidelitate Regis, vel punirent. ⁷⁾ Sed tamen postea ipsi milites, potestates, et potiores terrarum ipsarum, specialiter vero de Coneglano decaptivaverunt et trucidaverunt, iuramento eorum violato, ac bona eorundem confiscaverunt in displicentiam Regie Maiestatis. Preterea durante guerra inter eos, et Dominum Regem, Ducem eorum nomine

Marinum, in palatio Ducali Venetiis, cum pluribus suis Consiliariis de adhesionem Regis inculpantes, suspenderunt, et quam plures etiam Tervisinos propter suspicionem interfecerunt, et in exilium effugaverunt. Post restitutionem autem ipsarum terrarum, Civitas Tervisina demum per tractatus, ad manus Leopoldi Ducis Austriae cognati eiusdem Regis se reddidit, et subiecit; cuius dominium ipse Dux apprehendens, per certa tempora obtinendo, tandem similiter per tractatus Francisco de Cararia Domino Paduano assignavit sub certis pactis, gentem suam de eadem revocando. ⁸⁾

¹⁾ Castel Frank, Castrum Francorum, Castel Franco, oppidum Marchiae Tarvisinae.

²⁾ Bonfinius Dec. II. Lib. X., ad Brentam fluvium acerrime cum Tentonibus dimicatum. “Livio, Medoacus fluvius Venetiae, ex alpihus tridentinis ad mare Adriaticum properat, et Brenta appellatur.

³⁾ Qui Felicianum Zaah interfecit. De bello Veneto lege Ludovici an. 1353. donationem Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 206—212. p. 586—589.

⁴⁾ Ludovicus an. 1368. Benedicto filio Heem Banatum Regni Bulgariae contulit. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 120.

⁵⁾ Agit de eo Carolus Wagner Collectan. Genealog. Hist. Familiar. Hung. Dec. IV. p. 42—48.

⁶⁾ Iadrensiarum Libertates per Ludovicum anno 1358. mense Februario confirmatas lege Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 661—664. De Obsidione autem Iadrensi Scriptoris anonymi Libros II. apud Schwandner Tom. III. p. 665. et sequ.

⁷⁾ Pacis Tabulas anno 1358. 15. Februarii cum Ioanne Delfino Duce Venetorum initae apud Lucium Lib. IV. Cap. XVII. et Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 654—660.

⁸⁾ Ludovicus an. 1358. Francisco Duci Carrariae, Domino de Padua contra universos invasores auxilium addixit, vide Tabulas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 666—668.

De Exercitu contra Lithvanos.

*Ludovicus expeditionem contra Lithvanos movet
Anno 1351.*

Ceterum contra Lithvanos Christianis, et maxime Regno suo Ruscie insultantes, personaliter cum exercitu

proprio, et milicia sua propria, nec non aliarum nationum ad eum confluentium proficiscens, terris eorum, seu tenutis in magna parte devastatis, Duce eorum capto, sed sibi in continenti promissionem de fidelitate et obedientia faciente, liberato, feliciter ad Hungariam est reversus. ¹⁾

¹⁾ Chronicon Dubnitzense paulo aliter, ac uberius: „Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, in festo beatorum Gervasii et Protasii martyrum, egressus est Rex de Buda versus Lithuanos, et venit in Cassam in festo Nativitatis beati Iohannis Baptistae, et inde egressus intravit Cracoviam, et ibi octo diebus repausavit. Tandem venit in Zandomeriam in festo beatae Marthae, deinde venit in Liblen civitatem in confinibus Lithwanorum, cum omnibus Hungaris, et Polonis, ibique Rex Poloniae dominus Kazmerius infirmatus fuit usque ad mortem, et venerunt omnes duces et barones, et nobiles iuramentum facientes super sancta Dei evangelia, quod Regem Hungariae ex nunc et semper in dominum haberent naturalem et in regem, sic tamen; quod dux Stephanus, frater eiusdem Regis Hungariae: nichil haberet cum eis agere, nec Teutonicii, specialiter Wolphardus, et Conradus, clamantes ad Regem: Quacunque hora diei aliquem Teutonicum super nos Castellatum statueris, scias nos a domino recessisse. Item, nullus nostrum tenetur ad exercitum ire, nisi cum tanto stipendio, quod sufficiat sibi in exendo et redeundo, ac familiae domi remanenti. Relicto ibidem Rege Poloniae, et assumpto utroque exercitu polonico et hungarico, quindecim diebus transiundo per sylvas, venit ad Lithuanos, et ibidem in confinibus eiusdem regni consistens, misit Moroczok, et Koniam filium Thonae Vayvodae, et Ladislaum filium Rykalphy, qui venientes ad principes Lithwanorum, remanserunt pro obside, et dominum Kestutum principem Lithwanorum miserunt ad Regem, qui veniens Regi se per omnia humiliter submisit, et pacis foedera subscripserunt: Primo: quod dictus Kestutus cum suis fratribus et populis universis, vellet baptizari, si a Papa coronam regiam Rex Hungariae posset obtinere. Secundo, quod semper vellet ire ad exercitum Regis Hungariae cum propriis laboribus et expensis, sic tamen, quod Reges Hungariae, et Poloniae terram Lithwanorum, per Cruciferos occupatam, eis redderent, et contra eosdem Cruciferos, et Tartaros semper defenderent. Tercio, quod in terra Lithwanorum Archiepiscopatus, et Episcopatus, et claustra Religiosorum ordinarent. Quarto, quod Kestutus cum Rege Hungariae usque ad Budam veniret, et ibi se baptisari permetteret ab eodem. Quinto quod regna Lithwanorum, Hungariae, et Poloniae in omni pacis tranquillitate iugiter permanerent,

et Hungari abs omni tributo ad regnum Lithwanorum venirent, quantum vellent permanerent, et sine omni molestia ad Hungariam redirent. Et in festo Assumptionis beatae Virginis venit Kestutus ante tentorium Regis Hungariae, videntibus cunctis, foedus superius exaratum iuramento lithwanico isto modo confirmavit; quod fecit adducere unum bovem rubei coloris et ligari super duas stipites, et arripiens cultrum lithwanicum, proiecit in bovem, et tetigit ipsum in vena mediana, et statim sanguis emanavit largissime, de quo sanguine ipse, et omnes Lithwani manus et facies perunxerunt, clamantes lithwanice: Rogachina Rosnenachy Gospanany, quod interpretatur: Deus ad nos, et animas, cornutum respice, iuramentum per nos promissum hodie persolutum; et his dictis caput bovis amputavit, et in tantum a collo separavit, quod ipse Kestutus, et omnes alii Lithwani ibidem existentes, per illam divisionem colli, et capitis ipsius bovis tribus vicibus transierunt. Quo facto ad Regem venit Kestutus cum Nicolao Konth filio Laurentii Toth, ex cuius consilio cuncta peragebat; quia ipse Nicolaus Konth tantam habebat industriam et sapientiam sibi divinitus inspiratam, quod ubicunque veniebat Rex Hungariae, qui ipsum super omnes Hungaros extulerat, semper pacem ordinabat, sicut patet sub Aversa civitate, ubi Rex cum decem millibus armatorum expugnare poterat dictam civitatem; non tamen sine laesione multorum; ipse autem Nicolaus fecit treugas, et civitas se ultro tradidit Aversana: ita etiam factum fuerat cum dominis Lithwanorum, ducens etiam dictum Kestutum ad Regem, cui Rex iuravit, quod quamdiu viveret omnem fraternitatis fidelitatem observaret; et sic Rex Leobardum fratrem Kestuti eodem die de compedibus absolutum libere abire permisit, quem Rex Poloniae per multorum hominum stragem captivaverat in quodam castro valde forti. Facta praelibatione, de dicto loco redierunt versus Hungariam, cumque equitasset Rex tribus diebus, habens secum Kestutum, putans, quod Poloni custodiam adhibuissent Kestuto, ecce in media nocte Kestutus cum suis silentialiter se subtraxit, et ad terram suam rediit, ac Koniam, Moroczok, et Ladislaum libere post Regem Hungariae abire permisit, quod Rex Hungariae cernens, se et Regem Poloniae ita fuisse delusos, maxime contristati sunt, sed emendare non potuerunt. Veniens autem Rex Hungariae in Cracoviam, invenit ibi dominum Iaksonem de Cornis inimicum suum, qui depraedatus fuerat thesauros Regis in primo transitu versus Lithwanos; in quem familiares Regis irruentes, et specialiter Petrus Czudar, Nicolaus filius Iacobi, quos tempore depraedationis mutilaverat, et Nicolaus filius Stephani Laczfy, ipsum Iaksonem, et hospitem suum crudeliter occiderunt; quia idem hospes contra eos Iaksonem nitebatur defendere. Iste autem Iakso sic crudeliter dimeibratus, pro tanto creditur fuisse interfectus, quia

die dominica praecedenti, scilicet in festo Exaltationis Sanctae Crucis, cum in Cracovia in suo descensu cum multis Teutonicis pranderet, venerunt duo Fratres Minores, qui cum ab eo elemosinam peterent, voce furibunda respondit: Quis ille Franciscus: qui dedit vobis occasionem divagandi? et statim spoliatis eorum cappis, iussit eos corizare (saltare) indecenter per plateas civitatis, induendo eorum habitibus sine cappis, fistulares (tibia canentes) comminando, et fratres poena mortis, si non corizarent, sic denudati fratres vero eiulatu magno dixerunt: Iakso inimice beati Francisci! ecce praedicimus tibi, quia propter hanc iniuriam beato Francisco illatam, infra breve tempus morte turpissima morieris; quod et factum est die tertia post hoc factum, ideo Fratres in eorum ecclesia ipsum sepeliri nullo modo permiserunt. Inde igitur Rex venit Budam in Octavis Nativitatis beatae Virginis.“

Ex iis, quae compiler de Franciscanis narrat, conicio historiae huius auctorem Ludovici confessarium fuisse, ut iam alias innui. Editor autem Chronici huius: „Ios. Andr. Zaluski's Specimen historiae criticae, constans animadversionibus in historiam Ludovici Poloniae et Hungariae Regis ab Augusto Koludzki descriptam. Warsaviae 1835. in 4. dürfte zu Erläuterung der Erzählung unseres Fragments dienen können.“ inquit. Dubium vero Eruditissimi Editoris ibidem his verbis declaratum: „Zwey Urkunden, am 14. Augusti 1351. zu Ofen erlassen bey Katona op. cit. Tom. X. p. 12. und Wagner Diplom. Sáros p. 1. zeigen, dass der König früher nach Ofen zurückgekehrt seyn müsse, als unser Fragment angibt.“ tollitur per id, quod domi, Regis mater, filii nomine cuncta egerit.

Causam autem belli in anni 1352. litteris Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 158. hanc fuisse memoriae prodidit: „his temporibus non prolongatis, Christi nomine invocato, ad contemendam duriciem et perviciam cordis, paganice gentis Lythwanorum a Christi fide scissorum in valido exercitu propria in persona accessisseumus.“

De Exercitu ad Rusciam.

Bello Lithvanico perfunctus, Rusciam, Sacrae Coronae iuribus obnoxiam, petit; ubi adverso Marte dimicans, infectis rebus, ac inter mille pericula revertitur

Anno 1352.

Postea una vice cum valida gente sua, et extranea ad Regnum Ruscie, Sacre Corone Hungarie subiectum, pro defensione eiusdem Regni contra Lithvanos est profectus, ¹⁾ et fugatis hostibus, ac fretus victoria, potentes

viros, eundem Petrum Banum primo; nec non Venerabilem in Christo Patrem Dominum Emericum Episcopum Agriensem, ac Georgium Zudar, ²⁾ consequenter fratres suos; et post hec Emericum Bubek, ac post eum Iohannem de Kapol, ³⁾ ad regendum ipsum regnum Vayvodas, seu Capitaneos prefecit; qui regnum predictum bene et laudabiliter defensantes, sub titulo Sacre Corone, et regimine eiusdem Domini Regis conservarunt. ⁴⁾

1) Qua fortuna bellum hoc gesserit, Chronicon Dubnitzense memoriae tradidit: „Anno Domini millesimo trecentessimo quinquagesimo secundo. Rex Lodovicus in festo Kathedrae beati Petri recessit de Buda versus Ruteniam, et venit in Zanak in festo beati Gregorii Papae, et inde transiens per multa pericula aquarum venit in Belz castrum in confinibus Tartarorum, in festo beati Benedicti Abbatis (contigerat feria quarta ante dominicam iudica) et ibi invenit Regem Poloniae cum exercitu valde grandi, expectatisque ibi sex diebus, et interim nuntiis treugageris frequentatis, inter Reges Hungariae, ac Poloniae, ac Drozge castellatum de Belz, repetentes ab eo castrum praenotatum; ipse vero semper treugas faciebat, et sic videntibus cunctis castrum munivit fortissime, et tandem in octava indixit bellum: quod audientes dicti Reges, Sabbato ante Ramis Palmarum, non curantes ingenia, neque munimenta eiusdem castri formidantes, irruerunt ad castrum, aquam in fossa castri, usque ad guttur in armis militaribus transeuntes, et cum apropinguarent vallum, ecce desuper sagittatores balistrarii ipsos crudeliter impetebant, et ligna grandia et lapides in tanta copia proiicientes, quod etiam Lodovicum Regem in capite ictu laetali cum malleo ligneo vel calumptita, i. e. Swlyok concusserunt, et ipsum in terram derecerunt; quem Nicolaus de Peren a terra elevavit, et super dorsum suum ultra aquam transportavit. In eodem conflictu Dux Ladislaus nepos eiusdem Regis, cum turrim prae aliis ascendisset, galeam eius de capite abstulerunt, et ipsum ad terram deiiciendo, usque ad mortem percusserunt; Leustasium etiam filium Lorandi de genere Ratholth, tunc Senascalum Regis et Comitem Simigiensem, cum uno lapide in pectore percusserunt et ad terram deiecerunt, cuius percussione vestigium in suo torace usque ad mortem extitit luculentum. Symonem filium Mauricii de sub castro semivivum deduxerunt; Nicolaum de Zech, Blasium, ac Stephanum Bebek Regis vexillarium fortissime pugnantes, horribiliter vulnerarunt. Nam idem Stephanus in tantum stetit sub vexillo, et pugnantium ictus sustinendo, quod tria vexilla regia in eius manibus fuerint confracta successive; et cum quartum penitus fuisset conquassatum, et omnes alii

de parte Regis de sub castro recessissent, ipse tandem neque habens vexillum quintum, nec aliquem sibi adstantem, ad suum decensum declinavit, non timore inimicorum, neque mortis formidine, sed carentia sibi adstantium sociorum. Sic igitur sub dicto castro usque ad meridiem pugnaverunt, sed nichil profecerunt. In castro, per sagittas Hungarorum trecenti fuerunt interfecti, ex parte autem Hungarorum, et Polonorum tot erant vulnerati, quod numerus non extitit.

Die vero sequenti, scilicet in Dominica Ramis Palmarum, videns Rex se nihil posse proficere, disposuit ad Hungariam remeare. Tamen sibi fuerat consultum per dominum Nicolaum Konth semper pacis amatorem, et treugarum dispositorem, virum magni consilii, prae cunctis Regi fideliorem, ut cum Drozge praedicti castris castellano componeret, et sic ad Hungariam transiret, quod et factum est; exivit enim dictus Drozge, et Regi fecit homagium, Insignia Lithwanorum de cacumine turrium, scilicet Capita humana cum nigris pilis deposuit, vexillum Regis Hungariae loco eorum, cunctis videntibus apposuit; quod videntes Hungari clamaverunt: *Beeke! Beeke!* i. e. pax, pax. Sic igitur treuga facta, Rex cum quadraginta personis versus Hungariam, ut praedictum est, egreditur, et per aliam viam cunctos vulneratos, et currus suos universos abire praecepit et redire; ipse autem cum Moroczok, Nicolao, et Paulo filiis Laczk, Dionysio, et Nicolao filiis Stephani filii Laczk, transivit, ponens se ad fortunium, per terram Alborum Rutenorum, et die sequenti Lodomeriam appropinquavit, ubi nullum victum necessarium invenire potuit; quia per Tartaros, et Lithwanos cuncta fuerant devastata; et inde transiens venit in Londniam civitatem, ubi honorifice fuit receptus, et facto prandio, inde recessit, quia periculum erat per Tartaros ibidem congregatos, et venit in villam, quae dicitur Pridiproch, ubi erant duae piscinae, in quibus multitudinem piscium exhausserunt, et inde transiens feria quarta Maioris Hebdomadae (4. April.) venit ad magnum fluvium Tartarorum, nomine Olth, cuius latitudo extenditur ad unam leucam gallicanam, cuius impetuositas cunctos exterruit intuentes, exclamantes autem ad Regem: quid opus superest? at Rex eis respondit, quod me videtis facere, hoc idem omnes faciatis, et hoc dicto, in suo equo dictam aquam natate coepit, et Fratri Iohanni (quippe suo Confessario, et Chronicorum compilatori) unum equum, quem habuit meliorem concessit, et ipsum natate secum coëgit; quod videntes Hungari universi ad instar anetarum (sic) aquam transfaverunt; tamen quatuor equi, et tres homines perierunt. Die autem sequenti sero venerunt ad fluvium Ethel, circa cuius ripam olim Atila natus fuisse perhibetur, cum coetus Hungarorum de Scitia in Pannoniam tranmigravit; cuius fluvii periculositatem, et eius tran-

situs impetuositatem, vix posset quis enarrare; nam equum rapuit et ascensorem, quod videns Rex quid faciendum eligeret, omnino ignorabat, quia nulla via navem inveniendi aperiebatur. Cum igitur ibi pausam facerent tristiferam, ecce duo Ruteni rumigerili (nuncii) adveniebant, dicentes, quod septem millia Tartarorum, et duo millia Rutenorum Regem insequerentur Hungarorum, et iam distarent ad septem rastas tartaricales. Quod audiens Rex in nullo timuit, sed exhilarascens suos, dictos Tartaros expectare hortabatur. Ecce, quod optabamus, habemus, quicumque enim verus est miles, locum habet certaminis, et ostendendi vires suas; et cum Rex ibidem repausaret, venerunt Ruteni plus quam viginti, dicentes: quod exercitus Tartarorum Regem Hungarorum recessisse audivisset, et contra Kathayam divertisset. Quo audito, Rex aquam transnavit usque ad crepusculum, et ad unam curiam Dobravihwezca vocatam, amne circumdatam, devenit, ubi penitus de alimentis nichil invenit. Media autem nocte unus Rutenus curiam incendit, et cum difficultate Rex, et omnes sui mortis periculum evaserunt; quia strictissimus erat exitus per unum parvum pontem de curia praenotata. De mane autem Rex consurgens, intravit alpes Rutenorum fortissimas, per montes petrosos, et nives usque subsellium equorum traneundo, et fluvium Zereth septuaginta quatuor vicibus transnatando. Super illis quatuor diebus, quibus in Alpibus equitarunt, plus quam quadringenti equi remanserunt; quia nil aliud, quam ramos arborum, equis poterant invenire, neque homines per totam hebdomadam praeter fabas ad usum gustaverunt, Frater Iohannes autem Lector, cum socio suo ad tantam devenerunt famis inedia, quod per se ipsum neque suos equos ascendere potuerunt, nec de eisdem descendere motu proprio. Tandem in die Parasceve, cum multis miseriis et erumnis inexplicabilibus, exivit alpes, et venit ad Bereg in Castrum Mwnkach, ubi Rex aliquantulum refocillatus, et inde veniens Waradinum, pro visitando limina beati Regis Ladislai, circa cuius tumham se humiliter ad terram prostravit, Deo, et Beato Ladislao gratias egit, qui ipsum de faucibus mortis eripiendo, licet laboriose, tamen reduxerat cum sospitate, ibidemque mansit tribus diebus, et ecclesiae beati Ladislai munificentia plura contulit. — Conf. Ludovici an. 1355. litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 363—364.

2) Teste Carolo Wagner Collect. Geneal Hist. Illustr. Hung. Familiar. Dec. III. p. 134. Zudarianum nomen recentius est, neque aetatem Ludovici I. Regis Hungariae excedit; antea enim haec Familia se de Bulch scribebat. Czudar Hungaris hominem invisum, et sordidum significat; ac ob Georgii excessus, caedes, aliaque facinora, quae anno 1375. ut Comes et Castellanus Sárosiensis patra-

verat, hoc sensu usurpari coeperit. Quemadmodum Ludovici litterae eo anno editae, quibus illi gratiam fecit, locupletissimi testes sunt; quas lege Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 34.

³⁾ De hac Familia consule Carolum Wagner Analect. Scepus. P. IV. p. 1.

⁴⁾ Russiam postea, quam de illa, sine lytro ad Regnum Hungariae devolvenda, Ludovicus anno 1369. pactum cum Casimiro Poloniae Rege iniisset, Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 157—158. et Dogiel Cod. Dipl. Polon. Tom. I. p. 39—40. primum Ladislaus Dux Opuliae administrabat ab an. 1372. ut ex an. 1373. diplomatis verbis „Domino Ladislao Palatino per regiam clementiam in dominium regni Russiae sublimato“ liquet, Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 541. Anno demum 1377. regni Poloniae gubernio admotus. ibid. Vol. V. p. 260—261. locum cessit iis, quos Ioannes Archidiaconus de Küköllö ex ordine recenset, utpote Petro Zudar Slavoniae Bano, quem Ludovicus in an. 1391. tabulis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 468—469. Banum, et Regni Rusciae Wayvodam adpellat; Emerico Czudar Episcopo Agriensi, Georgio Zudar; Emerico Bubek, qui in an. 1385. litteris, quibus Ioannem Palmgyai in possessionibus a Maria Regina in Russia impetratis statuit, se totius Regni Russiae Capitaneum scribit, Cod. Dipl. Tom. X. Vol. I. p. 261—263. Iohanni de Kapol, hic in an. 1386. litteris: „Magnificus Vir dominus Iohannes filius Benedicti de Kapola, regni Rusciae Waywoda.“ audit. ibid. p. 314. Sigismundus autem Rex in an. 1387. tabulis ibidem p. 373. „Banum de Kapoly Comitum Curiae Regiae, et Regni Rusciae condam Vayvodam.“ comppellat.

De Exercitu in subsidium Domini Pape trina vice.

Summis Pontificibus Innocentio VI. Urbano V. et Gregorio IX. contra seditiosos assistit.

Item, ad instantiam Summorum Pontificum Romanorum, Innocentii, ¹⁾ Gregorii, ²⁾ et Urbani Quinti, ³⁾ beate memoriae, prima vice Nicolaum filium Lachk, qui multas civitates, oppida, et castella ad obedientiam Sacre Romane Ecclesiae reduxit, ac etiam rebellantes expugnavit ad manus Domini Egidii Cardinalis Apostolice Sedis Legati assignando. ⁴⁾ Et post eum Simonem filium Mauricii, qui nichil profecit; et propter hoc displicentiam Regie Maiestatis incurrit. Subsequenter etiam eundem Petrum Banum tempore Domini Urbani Pape in defensionem Civitatis Bononiensis contra Barnabonem, et Ga-

leacium Dominos Mediolanenses, eandem Civitatem impugnantes destinavit, et idem Petrus Banus Civitatem eandem pro Domino Papa retinuit et defensavit, cum honore ad Regnum Hungarie remeavit.

1) Nimirum huius nominis Sexti, cuius litteras an. 1360. editas, quibus Ludovico pro assistentia contra Barnabonem Vice Comitem Mediolanensem data gratificatur, eumque in Ecclesiae Romanae defensam deinceps quoque exposcit, lege apud Raynaldum ad an. 1360. et Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 166—169.

2) Quippe Noni.

3) Eius litteras, quibus pro assistentia sibi oblata Ludovico an. 1364. gratias agit, vulgaverunt Raynald. ad an. 1364. et Auctor Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 438—439. Vol. IV. p. 61. et p. 185—186. et p. 183. item 426. nec non 583.

4) Aegydius Episcopus Sabinensis Apostolicae Sedis Legatus, vid. Innocentii VI. litteras ad Ludovicum exaratas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 166—196.

De Exercitu in subsidium Ducis Austriae.

*Etiam Austriae Ducem Albertum suppetiis iuvat
Anno 1353.*

Postmodum autem in subsidium antiqui Alberti Ducis Austriae, Paulum filium Lachk ad obsidendam Civitatem Tinegniensem, 1) cum magno exercitu destinavit, quam per longam obsidionem obtinuit, et dominio eiusdem Ducis subiugavit.

5) In exemplari Ill. ac RR. Domini Episcopi Ocskay, Tinegmensis; apud Turótzium P. III. Cap. XXXII. Turegum; et Dubnitzense Chronicon: „Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, in festo beatae Annae, misit Dux Austriae ad Regem Hungariae; petens auxilium contra Swewos sibi rebellantes. Qui misit Paulum filium Laczk cum quadringentis Hungaris sagittariis. Venientes in Sveviam in crastino beati Laurentii martyris circa Thulnam civitatem cum eisdem Teutonicis de Svevia horribiliter pugnaverunt. Sed Hungari clamantes: Sancti Reges adiuva te nos! divino favore tandem victoriam habuerunt. Illo die plus quam trecenti Teutonici sagittis Hungarorum perierunt; cadebant enim buccati Teutonici in equis suis ante faciem Hungarorum, sicut boves in macello; erat enim praeceptum Hungaris, ne aliquem

eorum caperent, sed mortis poculo cunctos Teutonicos inebriarent; porrigebant enim manus suas dicentes: „O lyber her foh mych, ních thev th mych“. Hungari autem funesto gladio super eorum capita evibrato, amputabant eis caput et manus dicentes: „Wezteg kwrwa-new fíja zaros Nemeth, Iwttatok werenkewth, mayzywk thywertheketh“ et sic ipsos crudeliter occiderunt, atque omnes rebelles civitatis Duci Austriae subiugarunt: de Hunis autem in ipso praelio quindecim iuvenes corruerunt. Veniens autem idem Paulus ad Ducem Austriae cum suis Hungaris, permaxime exstitit remuneratus, dans litteras ad Regem Hungariae in haec verba: „Vestrae regramur fraternitati, quia quod cum quinque millibus armatorum facere non potuimus, per totum annum laborando, hoc Paulus filius Laczk cum quadringentis Hungaris obtinuit gloriose: ideo rogamus, ut ipsum Paulum regali munificentia dignemini amplexare gratiose.“

De Exercitu in Terram Bozna.

Et contra Stephanum Duscianum Rasciae regulum expeditionem suscipit Anno 1354.

Item ad Terram Bozne, similiter Regie Corone subiectam, ad conterendam proterviam quorundam rebellantium, Magnificum Virum Nicolaum Konth Palatinum Regni sui, et Venerabilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem, ¹⁾ cum quibusdam aliis Baronibus, et Militibus Regni, et magno exercitu destinavit. Qui intrantes Castrum Sebernek ²⁾ obsederunt; sed minime capere potuerunt, ac cum magno damno personarum, et rerum discesserunt. ³⁾ In quo quidem exercitu quadam nocte, de tentorio eiusdem Domini Archiepiscopi Cancellarii, Sigillum Domini Regis duplex autenticum, per quosdam filios Belyal furtive est subtractum, et post aliquot tempus per ipsos fures in Bistricia, ⁴⁾ cuidam aurofabro venditum et confractum; sicut veraciter est expertum. De quo tamen facto, ex furtivo eventu accidente, Rex minime curavit, aliud Sigillum autenticum preparari faciendo, et eidem Domino Archiepiscopo Cancellario assignando; sub quo tamen Sigillo omnia Privilegia, seu Literas cum alio Sigillo deperdito emanatas, confirmavit. ⁵⁾

¹⁾ Qui in an. 1355. tabulis Chanadinum olim Archiepiscopum Strigoniensem, suum avunculum vocat. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 251—154.

²⁾ Nicolaus Olahus in sua Hungaria Cap. IX. „Trans Savum, inquit, sunt Regna Croatia, et Bosyna, in Bosyna Grayacz, Maglay, Zrebernik arces, ante annos circiter viginti (Haec scripta a se fuere Bruxellis in Brabantia XVI. Maii anno 1536.) per Turcas interceptae.“

³⁾ Ex Ludovici diplomate Nobilibus Kreecz, Kupissa, et Raak concesso discimus, bellum hoc adverso Marte anno 1354. gestum fuisse, iam enim hoc anno mentio fit sigilli in Wzura casualiter amissi: „In cuius confirmationis testimonium, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras privilegiales duplicis sigilli nostri novi et authentici munimine roboratas; nihil tamen et penitus de appensione Trium Sigillorum, paterni unius, videlicet demactati, et alterius in Transalpinis deperditi, tertii quoque nostri in Wzura casualiter amissi, in hac parte advertentes.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 316. Vol. III. p. 397. autem in an. 1364. litteris, belli causam hanc fuisse exponit: „Nos Ludovicus Rex Hungariae universis declaramus, quod ubi in regno nostro Boznae innumerabilis multitudo haereticorum et patarenorum pullulasset in errorem fidei Orthodoxae, ad extirpandamque de ipse regno nostro ex una parte nos personaliter, instaurato valido exercitu, proficiscebamur: ex alia vero parte venerabilem in Christo Patrem, Dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem, nostrum Cancellarium, penes quem utrumque par Sigilli nostri authentici habebatur; et Virum Magnificum Dominum Nicolaum Palatinum, cum caeteris Praelatis, Baronibus, et Regni Proceribus in Uzaram destinaremus; quidam familiares ipsius Domini Archiepiscopi pro custodia deputati, utrumque par dicti Sigilli nostri praeconcepta malitia subtraxerunt.“ — Instaurati per Ludovicum exercitus meminit Nicolaus Drugeth Iudex Curiae Regiae in an. 1355. litteris ita scribens: „ob praeceptum regium, ad praesentes quindenae residentiae exercitus regii versus Rasciam moti.“ — Katona Tom. X. p. 101. Huc spectant etiam Ludovici litterae ad Innoceatium VI. Papam an. 1356. hoc tenore data: „quum nos iam diu, divina gratia favente, ac Domino inspirante, et ut catholicus et christianissimus Princeps optaverimus, et affectanter optemus intuitu Dei, et sanctae matris ecclesiae—regnum nuncupatum Rasciae: quod iuris praedecessorum nostrorum, ac nostri fuit, et extitit, et quod de facto tentum est et tenetur occupatum per sanctae et unice matris ecclesiae rebelles schismaticos infideles, et catholicae fidei contemptores ac vesanos, ipsum regnum ad fidem Christianam, et sanctae matris ecclesiae unitatem, obedientiam, reverentiam debitam et honorem, et ad ius nostrum trahere et traducere; prout etiam tenemur, et ad praedicta ex debito sumus

adstricti.“ — Videntur hae litterae ad an. 1354, referendae. Vid. etiam Stephani Katona — Tom. X. p. 98—103. et Ioannis Christ. Engel Geschichte von Servien und Bosnien. Halle 1801. in 4. p. 286. et sequ.

⁴) Bisztricia Libera et Regia Urbs in Transsilvania cognomine Saxonum districtu.

⁵) Conf. Georgii Pray Syntagma de Sigillis Regum, et Reginar. Hung. Bud. 1805. in 4.

De Exercitu in Bulgariam.

Bulgariam vero ad obsequium reducit Anno 1356.

Nempe Regnum Bulgariae, Sacre Corone Hungarie subiectum cum magna potentia intravit, et Budon civitatem capiens, Regnum sibi subiugavit; ¹) Principem ipsius nomine Strachmerum, ²) qui se Imperatorem Bulgarorum nominabat, capiens, in Hungariam transmittens, per aliqua tempora in Castro Episcopatus Zagrabiensis, Sonnech vocato, ³) sub custodia decenter et honeste conservatum, in Budunum, ad regendum ipsum Regnum sub nomine et titulo sue Maiestatis, sub certis pactis et servitiis, cum gaudio remisit; sicut tandem etiam idem Princeps fidelitatem et obedientiam repromissam, sue Maiestati observavit.

¹) Anno 1356. quemadmodum ex eius litteris „ante Civitatem Bodinensem in Bulgaria, feria sexta proxima ante festum Pentecostes (10. Iunii) Anno Domini 1356.“ editis liquet. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 493.

²) Conf. Ioannis Christ. Engel Geschichte des alten Pannoniens. und der Bulgarey. Halle 1797. in 4. p. 458. et sequ. qui p. 460. hoc bellum ad an. 1365. retrudit.

³) Turótzii Chronicon P. III. Cap. XXXIV. et Chronicon Dubnitzense, Gonnech; vide etiam diploma apud Prai Hist. Reg. Hung. P. II. p. 152. hodie, ut Ioannes Engel lib. cit. p. 461. innuit, Gownik.



De Exercitu contra Karolum Imperatorem.

Carolo IV. demum Imperatori se lacescenti bellum indicit Anno 1362.

Item, contra clarissimum Principem Dominum Karolum Imperatorem, pro quibusdam displicentiis, ¹⁾ Rex personaliter cum magno exercitu et potentia versus partes Moravie processit, ac ipsum Imperatorem per suas litteras diffidavit, ²⁾ et oppidum Trinchinium intravit, et exercitus circumquaque in campis et pratis resedit. Interim vero, donec cum suo exercitu se moveret Moraviam invasurus, Dux Sindrucensis ³⁾ cum certis aliis Baronibus et militibus ex parte Imperatoris ad tractandum de pace in Trinchinium supervenerunt; treuga firmata ⁴⁾ ad concludendum de pace Nicolaus Konth Palatinus, Stephanus Bubek Iudex Curie cum certis militibus in Brunnam ad Imperatorem, ubi cum magno exercitu, et multis militibus se collegerat, sunt transmissi; et interim exercitu Regis disperso, sine conclusione pacis revertuntur. ⁵⁾

¹⁾ Fuit nempe per calumniam laesus; vide Caroli hac de re litteras, quibus an. 1360. Tirnaviae, Ludovico reconciliari nitebatur. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 162—163.

²⁾ Diffidare, proprie est a fide, quam quis alicui debet, aut pollicitus est, per litteras, aut epistolam deficere. Gloss.

³⁾ Turótzii Chronicon: „Dux Svidnicensis.“ verum in Circulo olim Franconico hodieque existit Sindricum, Sindringen, plerique tamen intelligunt Ducatum Silesiae Svidnicensem, quem eo tempore Bolko, seu Boleslaus, Caroli IV. Imp. adoptivus socer tenebat; de quo vide diploma an. 1363. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 353—354.

⁴⁾ Induciarum Trenchinii 15. Augusti 1362. confectarum tabulas, lege apud Steph. Katona Tom. X. p. 307. Georg. Pray Annal. II. p. 119. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 291—292.

⁵⁾ Pax anno primum 1364. coaluit, diplomata vide Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 360—361. et 452—453. Katona Tom. X. p. 324—327.



De Exercitu in Moraviam.

In Moravos Limitum causa animadvertit Anno 1363.

Postea etiam Dominum Ladizlaum Ducem Opulie,
¹⁾ et Petrum Banum ²⁾ cum gente satis valida in Moraviam destinavit; qui incendia, et maxima damna ibidem intulerant, et ad propria revertuntur. ³⁾

¹⁾ Erat is Ludovico per Elisabetham matrem sanguine iunctus.

²⁾ Quippe Slavoniae, Zudar appellatum.

³⁾ Bellum hoc limitum causa anno 1363 gestum fuisse, docet Ludovici an. 1362. diploma Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 290—291. Pray Annal. P. II. p. 118. Katona. Tom. X. p. 301. in quo cetera inter: „quamprimum lis seu guerra, quae — duci Austriae, et nobis verisimiliter instat et imminet contra Romanorum imperatorem, et Bohemiae regem, et contra marchionem Moraviae (Ioannem) eius fratrem terminata fuerit et decisa; tum praenominatus frater noster quatuor — et nos quatuor — dominos deputare debemus et eligere; qui — metas discernant ab invicem et distinguant.“ —

De Exercitu in Poloniam.

*Casimiro rebus humanis exempto, in Polonia succedit
 Anno 1370.*

Item, procedente tempore, mortuo Kazimero Rege Polonie, avunculo suo, cum ingenti exercitu in Poloniam intravit; ubi in Regem, ex iure successionis eiusdem avunculi sui, extitit feliciter coronatus. ¹⁾

¹⁾ Casimirus Poloniae Rex, Ludovici avunculus Dlugosso teste Lib. IX. „feria tertia proxima ante festum S. Leonardi, quae fuit V. Novembris. Spiritum suum Christo tradidit — Et Ludovicus ipse Rex Hungariae per Iaroslauum Gnesnensem Archiepiscopum — in Cracoviensi maiori Ecclesia, die Dominico, post festum S. Martini, quae fuit XVII. Novembris, cum honore immenso et solennitate — in Poloniae Regem coronatur et inungitur.“ — Testes vero tabulas Cracoviae festo die beatae Katharinae Virginis et Martyris Anno Domini 1370. editas, in quibus se ad fastigium regiminis ipsius regni Poloniae evectum, et sacro dyademate eiusdem regni in solio coronatum, ac in regem inunctum atque sub-

limatum, sceptro pietatis decoratum esse innuit, lege Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 240—241. conf. etiam Pacta Polonorum de Ludovici successione an. 1355. sancita. ibidem Vol. II. p. 412—414.

De exercitu ad Partes Trans-Alpinas.

In Valachia adverso Marte pugnat Anno 1356.

Item, ipse Rex personaliter per Bulgariam, Partes Transalpinas Sacre Corone subiectas invadens; ex alia parte ultra Terram Siculorum cum valido exercitu, ac Nobilibus et Siculis Partis Transilvanie transmisit Nicolaum Voyvodam Transsilvaniensem, ¹⁾ cum Simone filio Mauricii, et aliis ex potioribus Militibus suis ad invadendum Partes Transalpinas contra Layk Voyvodam Partium predictarum, Regie Maiestati rebellantem; ²⁾ qui tunc circa Danubium, cum magno exercitu ad impediendum ingressum Regis, ex opposito Regni Hungarie insidiando, residebat. Qui quidem Nicolaus Voyvoda cum exercitu predicto fluvium Iloncha, ubi fortalicia et propugnacula erant per Vlachos firmata, potenter expugnando pertransiens; cum exercitu ipsius Layk Voyvode copioso, cuius Capitaneus erat Comes Dragmer, Vlachus, Castellanus eius de Domboycha, bello inchoato et certamine fortissimo commisso, victoriam obtinuit; et ipsum Capitaneum, multis interfectis, in fugam convertit. Sed postmodum, quia transivit frequenter auxilia securitatis, et in eiusdem pugne conflictu debilis effectus, variabilis fortune impetu, incaute ulterius procedens, inter indagines, et veprium densitates, ac passus strictissimos concludus, per multitudinem Vlachorum de silvis et montibus invasus, ibidem cum Strenuo Viro Petro, suo Vice-Voyvoda, nec non Deseu dicto Vas, et Petro Rufo Castellano de Kykulleuvar, ³⁾ Petro et Ladizlao Siculis, Viris bellicosis, et aliis quam pluribus Militibus et Nobilibus potioribus extitit interfectus. ⁴⁾ Et cum gentes Hungarorum de ipso exercitu terga vertissent, et se in fugam convertissent, in locis lutosus, paludosis, indaginosus, et conclusis multi ex eis per Vlachos occisi extiterunt, et aliqui cum magno damno personarum et rerum evaserunt.

Et funus eiusdem Nicolai Voyvode cum magna pugna de manibus Vlachorum ereptum, in Hungariam detulerunt, ad Claustrum Beate Marie Virginis in Strigonio tumultandum. Tandem huiusmodi infortunio adversitatis accidente, et fortuna iterum prosperante; Nicolao de Gara Bano de Macho, Viro Strenuo et bellicoso in manu potenti ipsum Regium exercitum ultra Danubium contra insultus bellatorum et Sagittariorum ipsius Layk Voyvode, velut imbres sugittas emittentium, Vlachorum per navigia meniis, et fortaliciis firmata transducente, muniti in fugam conversi, velut fumus, evanuerunt: et sic residui totius exercitus, terram versus Zeuren intraverunt et occupaverunt. Et tunc Rex ibidem Castrum Zeuren prima vice: et post aliquorum annorum curricula, Castrum in Brassou fortissimum Treuch vocatum, ⁵⁾ circa terminos Transalpinos edificavit, gente armata Buganciis ⁶⁾ et Balestrariis Anglicis custodiam Castri muniendo, in potestate sua reservavit.

¹⁾ Erat is Nicolaus Drágfi de Belthek, de quo Wagner Collect. Geneal. Dec. III. p. 24. et sequ.

²⁾ Lege sis eius literas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. unas de an. 1369. p. 210—211. alteras vero an. 1372. p. 477—479. in quibus se „Ladislaum, Dei, et Regis Hungariae gratia Vajvodam Transalpinum, et Banum de Zewerino, nec non Ducem de Fogaras.“ scribit. Cum itaque Ladislaus Vayvoda an. 1369. iam in Ludovici obsequio fuerit; ut ut Ioannes Archidiaconus de Küköllő historiam sine notis chronologicis, et ordine certo consignaverit: colligi tamen ex hoc diplomate potest, bellum Valachicum post Bulgaros an. 1356. ad fidem reductos, gestum fuisse. Conf. etiam Ioannis Christ. Engel Geschichte der Moldau, und Wallachey, I. Th. Halle. 1804. in 4. p. 153. et sequ.

³⁾ Vid. Diploma an. 1365. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 516—517.

⁴⁾ Nicolaum filium Laurentii Slavi Vajvodam Transsilvaniae anno 1356. occubuisse, docet etiam Ludovici donatio castri Kővár anno 1367. filiis eius Balk, Drágh, et Ioanni facta. Vide Antonii Szirmay Descriptionem Comitatus Szathmáriensis P. II. Bud. 1810. in 8. p. 163.

⁵⁾ De quo Ludovicus in an. 1377. donatione Brassoviensibus ob hoc Castrum excitatum facta „sponte et liberaliter unanimiter promiserunt novum Castrum in Lapide Tydrici aedificare propriis eorum laboribus et expensis.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p.

158—160. in anno tamen errorem cubare iudico; quum Ludovicus in his tabulis spondeat: „quod, si Deo volente, Terra Transalpina, ut speramus, ad manus nostras deveniet, et tunc tributum iuxta ruffam arborem pro nostra Maiestate dare consvetum, circa ipsum Novum Castrum exigi commitemus.“ ex anni etenim 1369. diplomate superius citato constat, Ladislaum Vayvodam Valachiae eo anno iam in legitimo obsequio fuisse; annus igitur 1367. loco 1377. ponendus est. „Der Türzburger Pass, Porta Turcica liegt gegen Abend, fünf Stunden von Kronstadt, inquit Carolus Windisch in Transsilvaniae Geographia Presburg 1790. in 8. p. 258. -Das Schloss Türzburg, Terstvár -liegt auf einem hohen Felsen, der wahrscheinlich von seinem ältesten Kastele Dietrichstein heisset, und dem Thale zu senkrecht hinunter gehet.“

⁶⁾ Legendum: Brigantiis.

Dé diversis Expeditionibus contra Emulos.

*Bellis, Rebusque praeclare gestis gloriam: Beneficentia
omnium amorem: Virtutibus denique, ac Scientiis nomi-
nis celebritatem in vita consecutus. Post fata vero
consensione omnium, et sine invidia, cognomen
Magni adeptus.*

Item, fere singulis annis, vel in quolibet tercio anno movit exercitum contra emulos et rebelles; et sepius contra Racenses, ¹⁾ et Moldavanos ²⁾ omnimode diligentiam adhibendo: et maxime circa Regnum Racie, Dominicus filius Oslo Banus de Macho, ³⁾ cum suo Zemere Vice-Bano: et postmodum Nicolaus de Gara ⁴⁾ in iuvenili etate Banus constitutus, multum agilis et strenuus ac in bellis circumspectus, labores assiduos impenderunt ad conservandum ipsum Regnum sub regie ditionis potestate. Item, ipse Rex prudens et largus admodum fuit, et bella multa feliciter gessit, multaque Regno suo recuperavit. Qui etiam post bellicam gloriam Scientia Litterarum clarus fuit, ⁵⁾ et in Astronomia assidue laboravit. Et propter virtutum perfectionem etiam apud barbaros summe dilectus, nomen suum apud multas Nationes exaltavit. ⁶⁾ Hic pius in Religione Catholica, in pauperes munificus, Iura servavit Ecclesiarum, et Ecclesiastica Officia plurimum honoravit.

¹⁾ Anno 1379. in iis convertendis desudavit, vide Urbani VI. Papae bullam Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 325—327. et Vol. IV. p. 141—142.

²⁾ Expeditionis contra Moldavos ductae extat in an. 1359. Ludovici litteris memoria, quibus Dragusio Olaho ob servitia in restauratione Terrae Moldavanae praestita donationem fecit: „Dragus - fidelis Olahus - in plerisque - expeditionibus - specialiter autem in restauratione Terrae nostrae Moldavanae, plures Olachos rebellantes a via debitae fidelitatis deviantes - ad constantem fidelitatem regiae coronae observandam, vigili cura et indefessa sollicitudine reducendo.“ Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 159—161.

³⁾ Is ab an. 1342. ad an. 1351. legitur honore Bonatus Machoviensis functus fuisse.

⁴⁾ Huic muneri anno 1355. est admotus.

⁵⁾ Petente Ludovico, Urbanus V. Pontifex Quinque Ecclesiis Studium generale, seu Universitatem instituit an 1367. vide illius tabulas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 65—75. Iosephi Koller Hist. Episc. Quinque Eccles. Tom. III. p. 96. et sequ. Pauli Wallaszky Conspect. Reip. Litterariae in Hungaria. edit. 1808. in 8. p. 83. 135. 172. 214. et 300.

⁶⁾ Ioannes Patriarcha Alexandrinus eum in an. 1372. litteris ad Carolum IV. Imp. datis ita laudat: „attestor Deo, domine mi, et vobis, quod nunquam vidi principem, et signanter tam potentem, quam magnum, cum tanta humilitate et modestia, et absque aliquali inordinatione loquentem, et pacem et tranquillitatem suo cum honore servato, desiderantem; et hoc coram Deo, et coram D. Papa, et coram toto mundo peto attestari.“

Sequitur de hiis, que suo tempore evenerunt.

Auctoris, in Ludovici Merita Prologus.

Verum, quia iuxta Sapientis assertionem, bonorum laborum gloriosus est fructus, et recolenda memoria; que suo tempore, ipso procurante, cum pietatis studio sunt peracta, hic digne, nec immerito annectuntur.

De Iudeorum Expulsione.

*Iudaeos Catholicam Fidem amplecti detrectantes Regno
exigit post Annum 1374.*

Ipse enim Iudeos ad fidem Catholicam convertere, et Christo lucrari, tanquam zelator salutis, desiderans, et

propter obstinatam duriciam ipsorum Iudeorum, summum propositum ad effectum perducere non valens; omnes Iudeos per totum Regnum Hungarie licenciavit, et expelli mandavit; bona et res ipsorum per usure voraginem cummulatas, ut lutum spernens, noluit habere, vel occupare; et sic omnes de Regno Hungarie in Austriam, et Bohemiam recesserunt, et dispersi extiterunt. ¹⁾

¹⁾ Iudaei ideo a Principibus Christianis tolerabantur, inquit Du Fresne in Glossario; quod rei foenerariae operam darent, et publicorum vectigalium essent conductores, eoque ipso iis essent utcumque utiles. — Privilegia eorum per Belam IV. Regem an. 1256. concessa vide apud Kaprinai Hist. Dipl. P. I. p. 461—478. Ludovicus Iudaeis exilium post annum 1374. indixerit; nam prostant eo anno illius litterae „Comiti Feculino de S. Georgio, ac Iudici Iudaeorum totius Regni Hungariae“ datae; Cod. Dipl. Tom. IX. V ol. IV. p. 579—580 Tirnavia autem sec. XVI. ob caedem Christianorum infantium exacti fuerunt, lege Ferdinandi I. diploma in Anni 1838. Tudományos Gyűjtemény Tom. III. p. 44—51. Alibi quoque terrarum hanc sortem experti sunt.

De Ordine Heremitarum Beati Pauli, et Translatione Ordinis eiusdem.

S. Pauli I. Eremitae Sociis cumprimis favet.

Denique, Ordo Fratrum Heremitarum Beati Pauli Primi Heremite in Regno Hungarie florere cepit, et multiplicari. Item, Corpus eiusdem Beati Pauli, Patris dicti Ordinis, de Venetiis ad Hungariam est translatum; ¹⁾ et in Claustro Heremitarum apud Beatum Laurentium prope Budam, in vertice Montis solemniter depositum; in quo loco et Beati huius Patris venerantur merita, et populorum laudantium Deum concurrat frequentia. Primo enim Rex Karolus beate memoriae, Pater ipsius Regis, Fratres Ordinis predicti introduxit, et paucos habebant Conventus, et Loca, ut puta: Sanctum Laurentium, ²⁾ Sanctam Crucem, ³⁾ Sanctum Spiritum, ⁴⁾ et Sanctum Ladizlaum in silva de Pylisio; ⁵⁾ et in aliis Locis manebant laici sub nomine Heremitarum vagabundi.

¹⁾ Inter reliquas enim pacis condiciones cum Venetis an. 1381. initas hanc fuisse praecipuam, ut Corpus S. Pauli I. Eremitae Hun-

garis cederent, vetus MSC. Sanctorum Illyrii, quod Kerchelichius Hist. Eccl. Zagrabien. p. 138. edidit, testatur. Conf. Georgii Pray Dissert. Hist. Crit. de Sacra Dextera Divi Stephani p. 72—73. — Belli autem Veneti anno 1378. exorti causas vide apud Lucium Lib. V. Cap. I.

²⁾ Hoc monasterium Laurentius Ordinis Generalis initio seculi XIV. fundavit supra Budam in monte ad solis occasum ita aedificatum, ut Budam respiceret. Subin Caroli Regis, deinde Ioannis Comitis de Óvár et Iudicis Budensis, nec non Pauli Veneti Civis Budensis, aliorumque favoribus super cuncta Ordinis domicilia, amplitudine, divitiis, et Religiosorum frequentia, caput extulit. Confer Annales Ordinis Fragmen Panis Corvi Proto Emeritici inscriptos, et an. 1663. Viennae in folio editos. Buda per Turcas expugnata, celebre hoc monasterium in triste rudus abiit, vestigia ad Schöne Schäferin hodieque visuntur.

³⁾ Monasterium S. Crucis in Pilisio, a Beato Eusebio an. 1250. fundatum, Conf. citatos Annales.

⁴⁾ Hunc autem conventum, testantibus iisdem Annalibus, Bela IV. Rex, et Ladislaus cognomento Cunus erexerunt.

⁵⁾ Monasterium S. Ladislai in Baranyensi Provincia Conradus filius Stephani de Óvár exstruxit in haereditaria possessione sua Szentháza; cuius Foundationem Ludovicus an. 1363. confirmavit, quemadmodum Annales Ordinis pehibent.

De Constructione Claustri in Naztre pro Heremitis.

Iisdem in Maria Nostra Oenodium fundat Anno 1352.

Item, idem Rex Lodovicus pro Ordine predicto Claustum solemniter opere construxit in Naztre. ¹⁾

¹⁾ Videlicet anno 1352. ut iisdem Annales p. 132. testantur; est autem Maria Nostra in Comitatu Hunthensi.

De Constructione Claustri in Leveld pro Cartusiensibus.

Aliud vero Eremitorium pro Carthusianis in Lövöld ponit Anno 1378.

Ceterum, aliud claustrum pro Ordine Fratrum Cartusiensium in Leveld, in Bakonia edificavit et sufficienter dotavit. ¹⁾

1) Fundationales 14. Martii anno 1378. editas per extensum vulgavit Auctor Codicis Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 239—244. in quibus Rex cetera inter: „in quodam valle seu loco iuxta oppidum nostrum Leweld vocatum Comitatus Wesprimiensis — erigere et locare praeeligentes fundavimus, Deo auxiliante, consummando et dotando in honorem beatissimi Michaelis Archangeli.“ Conf. An. 1498. Art. 20.

De Fundatione duarum apellarum.

Aquisgrani, et in Cellis Marianis Ecclesias construit.

Item, unam Capellam in Aquisgrano, ¹⁾ et aliam in Cellis ad Beatam Virginem, ²⁾ pulchro et miro opere construxit; sufficienter et largiter dotavit, ac preciosis utensilibus ad cultum divinum, vasis, calicibus, libris, et ornamentis diversis, ac calice de puro auro decoravit. Post hec autem, propter liberalitatem suam, et boni exempli operationem, multos traxit ad devotionis studium impendendum Barones, Milites, et Nobiles; et quosdam ex Prelatis, qui loca dicto Ordini contulerunt, et Claustra construxerunt et dotaverunt ad laudem Dei, et gloriam Sancti Pauli. ³⁾

¹⁾ In honorem Sanctorum Stephani, Ladislai Regum, et Emerici Ducis. vide an. 1367. fundationales Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 91—92. nec non an. 1374. ibidem p. 561—564. item. Vol. V. p. 525—526. Confer etiam an. 1832. Tudományos Gyűjtemény Tom. XII. p. 12—38. ubi Spectatiss. Vir. Nicolaus Iankovich de Wadass, et Ieszenicze de hac fundatione prolixius disserit.

²⁾ Auctor Libri, cui Titulus: „Benedicta Virgo Cellensis sub auspiciis RR. Amplissimimi DD. Benedicti ad S. Lambertum Abbatis.“ — Graecii forma 8. an. 1645. procusi hac de re „Ad annum 1363. Ludovicus I. Hungariae Rex — Cellas Marianas invisit; ense fortunatum, argenteam inauratamque coronam, thecam reliquiis Sanctorum beatam, gemmisque illustratam, quam secum e collo pensilem solitus gestare est; Regium paludamentum, calcaria, iconem in pectore dormientis repertam — cum aureo calice, aliisque Ecclesiae ornamentis, Cellensi Virgini — dono dedit, etiamnum hodie in conspectum peregrinis proponi solita. — Sacras ab Henrico Moraviae Marchione fabricatas aedes — amplificavit ex sexto a fundamentis lapide, in forma ac elegantia, qua praesenti tempore extat et conspicitur.“ — Hic liber alias quoque hungaricas antiquitates lectu dignas continet.

³⁾ Adi laudatos Ordinis S. Pauli Annales, et Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 444—446. et 470—474. — 557—562.

De Conversione Cumanorum ad Fidem.

Singulari in Deum Religione procurat, ut Cumani Sacra Christianorum amplecterentur Anno 1348.

Sic etiam gentem Cumanorum ritu Tartarico involutam; apud Sedem Apostolicam devotius insistendo, exemplo Beatissimi Regis Stephani, quem ad componendum nove Fidei fundamentum in Regno Hungarie, Providentia Divina elegit, et qui corda credentium, post Apostolos, spiritualiter quasi ymbribus celestibus irrigavit: ad laudem nominis Domini, ut ampliaretur Religio Christiana, ad Fidem Catholicam converti procuravit. ¹⁾ Cui quidem genti iam in Fide Christiana erudite, Fratres de Ordine Minorum, autoritate eis a Sede Apostolica commissa, curam animarum, iura parochialia, et Sacramenta Ecclesiastica amministrant, et de die in diem in Fide confortantur.

¹⁾ Clementis VI. Pontificis an. 1348. litteras de mittendis ad convertendos Cumanos Fidei Praeconibus Ministro FF. Minorum Provinciali scriptas vulgavit Wading Tom. VIII. p. 23—24. Raynaldus Tom. XVI. p. 278. Nro. 24. et Auctor Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 572—573. Bulla haec ad an. 1350. referenda videtur, quum Clemens VI. 9. Maii 1342. electus, et 19. eiusdem mensis coronatus fuerit. Ceterum Bela IV. Rex in an. 1247. tabulis Cumaniam a fluvio Oloho, et Alpibus Transsilvanis incipere declarat.

De Baptizatione Paterinorum de Bozna.

Sectarios quoque Paterinos ad unionem Ecclesiae perducere satagit Anno 1368.

Item, Paterini de Bozna, ¹⁾ qui nimium erant multiplicati, et diversis erroribus implicati, per Dominum Peregrinum Episcopum Boznensem, Ordinis Minorum, Virum magne devotionis et scientie, ad Fidem, Rege promovente, convertuntur et baptizantur. ²⁾

¹⁾ Paterini, dicti haeretici Valdensium sectarii; — a loco urbis Mediolani, qui Patarea, vel Pataria vocabatur ita dicti. Du Fresne in Gloss. de quorum multitudine per F. F. Ordinis Minorum in Bulgaria, Rascia, et Bosnia conversa Urbani V. Papae aggratulatorias anno 1368. ad Ludovicum exaratas lege Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 141—143.

²⁾ Frater Peregrinus de Saxonia, Bosnensibus a Clemente VI. an. 1349. datus est Episcopus; conf. eius bullam Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. I. p. 675—676. praefuit usque 11. Ianuarii 1356. Vide Georgii Pray Hierarch. Hung. P. II. p. 430—431. — De Fratribus autem Ordinis Minorum in partibus Bosnensibus Religionem orthodoxam praedicantibus lege Gregorii XI. Pontificis litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 509—511. item p. 587—590. ubi de Valachorum conversione agit: denique super progressu Religionis in Bulgaria, Marci Viterbini Ordinis F. F. Minorum Provinciae S. Francisci Ministri litteras ibid. Vol. III. p. 602—603.

De Baptizatione Sclavorum.

Schismaticos denique Slavos ab erroribus revocat, ac Ecclesiae unit.

Item, Sclavi Districtus de Lippva, dure cervicis populus, ad Fidem erat conversus et baptizatus; cui Sacerdotes Catholici, secundum Translationem Hieronymi Doctoris, Sancte Matris Ecclesie Sacramenta Ecclesiastica ministrabant; ¹⁾ sed nunc, ut narratur, in apostasiam et pristinum errorem sunt illapsi, et multo peiores essent.

¹⁾ Confer hac de re Ludovici an. 1366. tabulas, quibus omnes Slavos, sive Schismaticos Sacerdotes per Comitatus Kewe, et Krassó, illarum Provinciarum Comiti Magistro Benedicto, filio Heem praesentari iubet.

De Recessu Bogdan Voyvode in Moldaviam.

Bogdan Voyvoda Vlachorum Maramarosiensium, inscio Rege, circa Annum 1347. in Moldaviam migrat.

Huius etiam tempore Bogdan Voyvoda Vlachorum de Maramorisio, ¹⁾ coadunatis sibi Vlachis eiusdem Districtus, in Terram Moldavie, Corone Regni Hungarie sub-

iectam; sed a multo tempore, propter vicinitatem Tartarorum habitatoribus destitutam, clandestine recessit. ²⁾ Et quamvis per exercitum ipsius Regis sepius impugnatus extitisset: tamen crescente magna numerositate Vlachorum in illa Terra habitantium, in Regnum est dilatata. Voyvode vero, qui per Vlachos ipsius Regni eliguntur, se esse vasallos Regis Hungarie profitentur, ad homagium prestandum obligantur cum censu persolvere consuevit.

¹⁾ Valachicae coloniae anno 1284. Provinciam Marmarosiensem insederunt. Conf. Ioannis Christ. Engel Geschichte der Moldau und Walachey. Halle 1804. in 4. p. 103. et sequ.

²⁾ Tartaros gemina clade an. 1345. et 1346. affectos fuisse, Chronici Dubnitzensis Compiler superius narravit: noster autem reliquias eorum ad partes maritimas fugisse perhibet; Moldavia ergo seu Cumania erat deserta. Cum autem Clementem VI. Pontificem anno 1350. litteras de mittendis ad convertendos Cumanos Fidei Praecones ad F. F. Minorum Provincialem dedisse legerimus, primum est conicere, Bogdanum mox, adeoque iam an-1347. demigrasse. Vide: Ludovici an. 1359. donationem Dragusio Olaho ob servitia in inpopulatione Moldaviae praestita factam Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 159—161. in qua Dragusii Olahi Marmarusiensis patrem Bogdanum, Gyulam appellat. Conf. citatum Ioannis Engel librum. p. 105.

De Pestilentia, Fame, et Terre Motu.

*Publicis necessitatibus per opportuna media succurrit;
nec ulla adversitate frangitur.*

Item, etiam tempore sui regiminis pestilentie per loca particularia, et etiam per totum Regnum Hungarie, et etiam in aliis vicinis Regnis vigerunt. ¹⁾ Et Fames diversis temporibus per locustas, et mures, spicas frugum et aliarum segetum corroderent, et per siccitates temporum, ac aëris tempestates invaluerunt. ²⁾ Et pluribus vicibus terre motus per loca factus est. ³⁾

¹⁾ De peste anno 1348. in Hungaria grassante confer Capituli Varadinensis Statuta L. L. Eccl. Tom. III. p. 236. Rubr. XX. „Porcorum — ab huiusmodi decimarum solutione subditos nostros a tempore primae pestis, id est: circa annos Domini 1348. eximimus, ut eo facilius villae nostrae per pestem desolatae, statum

pristinum sortirentur.“ anni vero 1380. meminit Ludovicus in Pro-rogatoriis Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. V. p. 481.

²⁾ Caristiae autem vigenti, per opportuna media anno 1364. paterne occurrit; ut eius litterae testantur Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. III. p. 408—411.

³⁾ De Terrae motu, qui 10. Septembris 1349. totam concussit Italiam, pluribus agit Bronner libro iam alias laudato Cap. V. §. 73. p. 88—89. Veri est simile eodem tempore Hungariam quoque hoc malo affectam fuisse.

De Exemptione Odvarnicorum, et aliorum Conditionariorum.

Benemeritos ex Colonis, qui quoddam quasi Reipublicae cornucopiae sunt, liberos, dominosque esse voluit.

Huius etiam tempore multi ex Odvarnicis, ¹⁾ et aliis Conditionariis, Curie ad diversas servitutes astricti, sunt exempti, et in cetum Regni Hungariae Nobilium aggregati; quia in Donationibus possessionum; et grātiis ad omnes largus et benignus habebatur: ²⁾ et pro eo ab omnibus ultra modum diligebatur.

¹⁾ De his Simon de Keza in Appendice: „potiores Regni (Hungariae) — habentes — captivos sine numero, non dimiserunt eos libere abire — sed Curiae suae famulantes ordinarunt ex eisdem, quos patrio nomine Udvarnicos vocaverunt. Hoc — obsequium — Kolomanni diebus, filii Regis Geichae extitit reprobatum. Voluit tantummodo huiusmodi servitia de captivis suis ipse solus obtinere, et Praelatos, quibus largitus erat de captivis suis.“

²⁾ „Cui Rex donat Castrum, Villam, vel quodcunque ius possessionarium; hoc ipso eum nobilitat.“ Tripart. Verböcz P. I. T. 4.

De Consortibus Regis, et Liberis.

Ludovici Coniuges, et Liberi. Cui id unum deerat, quod filio careret, quem et haereditatis amplissimae, et partae tot rebus praeclare gestis gloriae heredem institueret.

Estimo etiam narratione fore dignum, quod praefatus Rex Lodovicus duas coniuges habuisse dinoscitur.

Primam videlicet preclaram Margaretam, filiam Excellen-
tis Principis Domini Karoli, tunc Marchionis Moravie,
 qui postmodum ad Imperium fuit sublimatus. ¹⁾ Et ista
 sine prole defuncta est. ²⁾ Aliam inclitam Dominam Eli-
 zabeth, filiam Stephani Bani prenotati; ³⁾ ex qua tres
 filias generavit, scilicet Katherinam, Mariam, Advigam.
 Ipsa autem Katherina in puericia morte extitit preventa.
⁴⁾ Et quia ad Regalis propaginis stirpem clara sunt con-
 nubia exquirenda; de quibus derivanda successio claris
 fulgeat nature titulis insignita; ipsam Mariam, claram
 augens prosapiam, Illustri Principi Sigismundo, Marchio-
 ni Brandenburgensi, in puerili etate utrinque existente,
 quem de stirpe Cesarea Pater eduxerat imperialibus radiis
 illustrata, communicato consilio Serenissimarum Domi-
 narum Reginarum, Genitricis, ac Consortis suarum, nec
 non Prelatorum, et Baronum Regni precedente, in Ter-
 navia, presente Imperatrice matre eius, ⁵⁾ et suis Baro-
 nibus de Bohemia, cum magna solennitate et leticia, ma-
 trimoniali federe desponsavit, ⁶⁾ et apud se nutriendos
 conservavit; qui nunc conregnant, in Regni Solio subli-
 mati. ⁷⁾ Adviga vero, post mortem patris, in Reginam
 Polonie extitit coronata; ⁸⁾ que postmodum per Magna-
 tes, Barones, et Nobiles Regni Polonie potentissimo Prin-
 cipi Lithvanorum, Iagula nomine ad Fidem Catholicam
 converso, et cum suis fratribus baptizato, extitit matri-
 moniali federe copulata; ⁹⁾ quem in Regem Polonie so-
 lenniter per eos coronatum, Ladizlaum nominarunt. Qui
 similiter cum coniuge conregnant letanter in eodem.

[¹⁾ In Romanorum Regem 11. Iulii 1346. in Imperatorem vero
 1355. electus.

²⁾ Matrem habuit Blancam, Caroli Valesii Comitis filiam,
 quae binas Carolo filias genuit, Margaretham, atque Catharinam;
 haec Rudolpho Duci Austriae: illa Ludovico Hungariae Regi nu-
 psit. Quo anno in manus Ludovici convenerit, quandoque elata fu-
 erit, in silentio documentorum ignorare cogimur.

³⁾ Videlicet Bosniae; Ladislaus Szörényi in Vindiciis Sirmi-
 ens. p. 9—11. eam ex Neemanía gente satam fuisse scribit: quae
 hactenus in aula a Regis matre, velut obses educabatur. — *Dla-*
goss Lib. IX. nuptias anno 1353. die 20. Iunii coaluisse vult;
Pray Hist. Reg. Hung. P. II. p. 86. diplomate docet eam iam

anno 1352. coniugem habuisse. Innocentius VI. Pontifex, ut erat Ludovico faventissimus, regii thori orbitatem miseratus, iam Anno 1356. solennes in Ecclesiis haberi praeceperat preces, teste Odo-ryco Raynaldo, ut optimo Principi haeredem e Coelo impetraret. At enim aliter visum est Superis; nam ex Elisabetha tres solum sustulerat filias; quae anno 1386. spectante Regina filia, per Horvathianos immaniter in carcere Novigradiensi iugulata fuit.

⁴⁾ Anno 1374. adhuc inter vivos egit. Vide Ludovici tabulas Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 558—561.

⁵⁾ Elisabetha, Boguslai Pomeraniae Ducis filia, et quarta Caroli uxor, anno 1363. in thorum, ac thronum adscita. Cuius conubii splendorem Dubravius Lib. XXII. celebrat: „Uxori nomen, inquit, Elisabeth, quae Ludovici Regis Hungariae consobrina, et Casimiri Poloniae Regis neptis fuit; aderatque Rex uterque nuptiis.“ — Sigismundum, ut Benessius apud Dobner Mon. Tom. IV. p. 50. testatur, XV. Februarii anno 1368. enixa est.

⁶⁾ Sponsalia iam anno 1372. iniri tentata sunt, vide testes litteras Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 389—396. quum tamen Ludovicus an. 1374. medio Legatorum alteram de tribus suis filiis, Catharinam videlicet, Mariam, et Advigem in sponsam et uxorem Ludovico, Caroli, Galliarum Regis secundo genito obtulerit, Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. IV. p. 558—561. certum est, contractum sponsalium an. 1372. conclusum non fuisse; sed ante quinquennium inchoatum Ludovicus an. 1377. absolvit. Adi Dubravii Hist. Lib. XXII. ubi cetera inter: „Missus non multo post in Hungariam Sigismundus, ut ateneris statim sermonem Hungaricum, usumque militiae perdisceret.“

⁷⁾ Hinc apparet, Ioannem Archi-Diaconum de Kőkölő historiam Ludovici post eius mortem, vivente tamen Maria, quae ut Dlugossus Lib. X. narrat, XVII. Maii 1395. decessit, scripsisse.

⁸⁾ Hedvigis nativitate Dlugossus Lib. X. refert ad an. 1371. ipsamque XV. Octobris, quo die apud Polonos S. Hedvigis agitur celebritas, inauguratam fuisse testatur.

⁹⁾ „Anno 1386. — Filius Ducis Austriae Leopoldi, Wilhelmus nomine, de Cracovia pulsus est, et regina Cracoviae, filia regis Ungariae, cum qua dictus Dux Wilhelmus matrimonium contraxerat, post ipsius expulsionem regi Lithvaniae (Iagelloni) — matrimonialiter est sociata.“ Chron Salisb. apud Pez Tom. I. p. 429. Conf. Elisabethae, ac Mariae Reginarum tabulas, quibus Hedvigem an. 1384. Wilhelmo Austriae Duci in Matrimonium collocarunt, Cod. Dipl. Tom. X. Vol. I. p. 141—143. et 228—230. Dlugossus autem eo anno 4. Martii Iagellonem corona redimitum perhibet, haec Lib. X. multis complectitur, ac Hedvigem XVII. Iulii 1399. ex purperio obiisse memorat.

Sequitur de Gubernatione Regni, Pace, et Tranquillitate.

Suis omnes subditos Iuribus et Moribus gubernat.

Cum autem temporibus successivis, idem Rex amplissime potestatis esset, et floreret in Regni solio, totam suam felicitatem ponens in Deo, a quo omnia procedunt, et suum Principatum ac Regiminis curam illi submittens; non passione ac voluntate cupiens principari, velut custos iusticie existens, absque ratione, et lege nichil voluit acceptare: quia vicens mens, industria et regnatura prudentia, virtualiter dominatur gubernatione Regni, secundum rationem et legem, diligentius circumspecta; pollens regimine naturali, non instinctu humano: sed potius divino, sui desiderii propositum ad hec inclinavit, ut sequens Sanctorum Regum, Predecessorum suorum, et Patris sui vestigia, in quibus peramplius et perfectius vigeat zelus Fidei et Religio Christiana, Regna sua, Terras, et subiectas sibi Nationes in suis Libertatibus, Consuetudinibus, et Legibus, in bona pace et tranquillitate conservavit, maxime, quas in fide Domino regeneravit; et ab omnibus emulorum insidiis et incursionibus, precipue a Paganorum, victoriosissime defensavit. Nec non etiam Ecclesias Regni sui, in suis Iuribus, et Libertatibus tenuit, et in temporalibus bonis augmentavit. ¹⁾

¹⁾ Laudes eius paucis complexus est Laurentius de Monacis Poëta et Historicus coaevus in Carmine miserab:

Pannonicos homines Ludovicus, gloria Regum
Hungariae, ad ritum humanum, ad civilia traxit;
Aptavitque operi Martis, fecitque tremendos
Gentibus externis, et sidera tangere fama.
Regnicolas humiles, qui surgere fecit in altum,
Atque casis inopes, ad grandia tecta colonos
Transtulit; arbitrium dans sanguinis, ille propinguos
Viribus excelsis ad regia scepra levavit;
Extulit et Dominos terrarum ex faucibus hostis,
In summo tandem sua linquens culmine regna.“

De Vita Regis contemplativa.

Studiis conversus, multaque experientia doctus; cuncta ex re ipsa aestimat, et caduca fastidit.

Considerans autem et advertens Regna sua, et Dominia undique, seu circumquaque quieto et tranquillo statu florere; quamvis ex consuetudine et delectatione a putericia solita, venationes nimium frequentaret: ¹⁾ ad ultimum tamen terrenarum rerum occupationibus, quas difficile est absque peccatis ministrare; et curis postpositis, concupiscentiam carnalem calcare, ac sibi subiicere, et divinis preceptis parere volens: quia omnis caro fenum, et omnis concupiscentia eius tanquam flos feni; contemplativam vitam a tumultu multitudinis hominum segregatus, ut piis operibus insistere, et orationibus vacare studiosius et devotius valeret, elegit, et in hiis perseverando-

²⁾ Qua de re Chronicon Dubnitzense „Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, cum idem Rex in crastino beatae Katharinae Virginis venaretur in Zolio, ecce occurso inopinato in sequentibus alpibus, occurrit ei ursus feraliter implagatus, quem ipse Rex cum venabulo aggrediens, putabat propter suam audaciam, eundem ursum deiicere, prout alios tales ursos consueverat deiiciendo exenterare, sed novercante fortuna, et propriae reputationis arrogantia impediante, idem ursus Regem deiiecit, et utrumque pedem viginti tribus vulneribus sauciavit; et nisi Iohannes Bessenew nutu divino ibidem pervenisset, idem ursus ferox et furibundus Regem Lodovicum interfecisset. Sed dictus Iohannes Bessenew, plus Regem diligens, quam se ipsum, periculo mortis se interponendo, ursum, Regem invadentem aggrediens, cum suo gladio interemit, et regem a mortis faucibus liberavit. Tandem idem Iohannes pro illo facto, propter incusantium rabiem, et specialiter Nowak de Croatia, nullam recepit remunerationem; ipse enim tunc venerat, quando iam Iohannes dictum Regem liberando, ursum interemerat praenotatum.“

De Morte Regis Lodovici.

Ludovici obitus, et funeratio.

Tandem hanc vitam laboriosam derelinquens, et ad vitam perpetuam aspirans, iuxta illud Psalmiste: Michi

autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam; vocatione divina ex hoc mundo migravit Undecima die mensis Septembris. Et parum antea apparuit Cometa mirabilis. Tantus autem luctus, eo mortuo, in Regno fuit, ut omnes quasi mortem suam defflerent. Et sepultus in urbe Albe Regalis, in Capella, quam ipse in latere Ecclesie Beate Virginis collegiate construxit; Anno Domini millesimo trecentesimo Octvagesimo Secundo. Regnavit autem quadraginta uno annis, et viginti duobus diebus. ¹⁾

¹⁾ Turótzii Chronicon: „Regnavit autem quadraginta annis, et mense uno, et viginti diebus“ nec hic Calculus tolerari potest; Ludovicum enim anno 1342. 21. Iulii coronatum fuisse vidimus: usque 11. Septembris igitur an. 1382. numeravit 40. regiminis annos, mensem unum atque 22. dies. Anni 1501. Calendarium Ecclesiae Strigoniensis, quod Pray in Syntagmate hist. de Sigillis Regum et Reginar. Hung. edidit Bud. 1805. p. 158. Ludovici mortem ad diem 10. Septembris refert: „III. Id. Obitus Lodovici regis an. MCCC.LXXII.“ pro 1382. Rectius Muglen ad Chronici calcem „obiit tertio ydus septembris feria quarta (quinta) prima noctis vigilia in tyrnavia — anno 1382. sepultus est in alba regali in capella sancte Katharine virginis et martyris ipso procurante constructa“ ubi hoc Ludovici epitaphium recitat:

„Hic iacet tumba Ludovici gloria multa,
Summus erat Regum, gloriosusque, victoriosusque,
Flos et decus Regni, Ungerorum digna (dignus) corona.
Pace erat Princeps, clementia multa donatus,
Filius, amator, roborator ecclesie,
Victor erat mundi vasti simul atque spaciosi,
Ventilabrum cosmi stupor et timor ac metus orbis,
Parcere hic norat prostratis, more leonis.
Auctor erat videri (veri) cultor venerandus et ipse,
Malleus hic fuerat Paganorum scismaticorum,
Colla superba domans, subegit legibus orbem,
Contubernalis pacem Ioannis federe firmans,
Cervicem duram Venetorum mollificavit.
Securitas grandis audacia presumptuosa
Evanuere nuper, dominum sumpsere nature,
Atque circumpositi regem sensere tyranni.
Sponte sua cedit, nationes levia querunt,
Subiecere iuga demum honeri simul atque honori
Principes, et Domini Italici, et Alamani
Obediunt, parent, venerantur et famulantur,

Munia larga ferunt sternas (strenas) exuvia pulchra.
 Ipse Polonorum fuit rex effectus ab alto
 Numine Sancto fetus (fretus) lucidatus illuminatus.
 Plurium hic linguas Nationum noverat idem.
 Saltus hic silvarum, et ferarum lustra petebat,
 Ut fugeret turbas, ocio vacaret salubri.
 Ipse pius dominus, clemens, amorusus alius adonis,
 Blandus erat verbo affabilis, atque svavis,
 Mellis habens musam, sanum (favum) de fonte leonis,
 Eripiens miseros, dulcoravit plurimos ipse.
 Hic morum plenus, et dierum, actuum atque
 Plurimis hic annis regnans migravit e vita
 Anno milleno domini natalis decurso
 Ter centum spatio, annorum octvaginta
 Bino simul addito, fatali mense Septembris
 Iovis die, sena (forte sero) fulminante ethere sumpmo,
 Tertio quo ydus romanorum meridie scindi
 Solite tunc fuerant plebuni frugente catena
 Noctis in vigilia prima, radiante cometa
 Pestifera multa bellicosa contagiosa.
 Quem Deus eternus salvet per secula. Amen.“
 Celle Benedictus cecinit hic carmine fide.
 Videtur hic Benedictinus e Cellis Marianis fuisse.

De Coronatione Marie, filie Regis Lodovici.

Maria, a condito funere, patri iure geniturae, ut masculus, succedit 1382.

Post obitum Regis Ludovici coronata fuit, Corona Regia, Domina Maria filia eius, ¹⁾ que fuit data in matrimonium Sigismundo filio Karoli Imperatoris, et Regis Bohemie. Que quidem Domina Maria regnavit quatuor forte annis, et tradidit Ius Regni ipsi Sigismundo marito suo, consensitque, se vivente, eundem Corona Regia Sancti Regis Stephani coronari. ²⁾ Aliquanto vero post et ipsa mortua est, ³⁾ sepultaque in Ecclesia Varadiensi. ⁴⁾ In hac Regina Maria tandem deficit semen utriusque sexus Sanctorum Regum Regni Hungarie.

¹⁾ Paulus de Paulo scriptor synchronus apud Schwandtner Tom. III. p. 724. postquam Ludovicum XVI. Septembris sepultum fuisse scripsisset: „Deinde, inquit, cras hora tertiarum, videlicet

XVII. mensis praesentis, D. Maria, filia senior ante dicti Regis, in civitate praedicta coronata fuit in Regem;“ In Litteris, ac Sigillis quidem Regina vocatur, Natio tamen appellabat illam Regem; quia, ut masculus patri successit: „Domino Lodovico — absque haeredum masculinorum solatio ab hac luce decesso, nobisque ex hoc, iure geniturae ad solium ipsius Regni nostri Hungariae tanquam filius masculinus ipsius genitoris nostri, transcendentibus.“ Cod. Dipl. Tom. X. Vol. I. p. 72—73. ideo etiam Laurentius de Monacis, qui apud eam legatione fungebatur, in miserab. carmine:

„Hanc regem appellant animis concordibus omnes,
Regnicolae, illustrant hoc Regis nomine sexum.“

Caresinus quoque Cancellarius Venetus apud Lucium Lib. V. Cap. II. p. 408. „Elizabeth regina, uxor quondam dicti regis Ludovici, una cum Maria, filia eius, regimen Hungariae gubernat; quae quidem Maria apellatur Rex Hungariae.“

²⁾ Post nempe, quam anno 1387. cum Sigismundo copulata fuisset. Cod. Dipl. Tom. X. Vol. III. p. 62. — Omnium votis 31. Martii 1387. quae dies Domini fuit, ritu solita coronatus est. Dlugoss. Lib. X. Lucius Lib. V. Cap. II. quum antea se „Marchionem Brandenburgensem, Sacri Romani Imperii Archi Camerarium, nec non Regni Hungariae Capitaneum“ scriberet. Cod. Dipl. Tom. X. Vol. I. p. 379. De sua inauguratione Sigismundus in an. 1388. donatione: „pridem, ut puta, in Dominica Ramis Palmarum in anno Domini 1387. — nos cum solita solennitate, in thronum regalem — condescendentes — sacro Regio diademate innuncti sumus et coronati.“ Cod. Dipl. Tom. X. Vol. I. p. 454—458. Memoratu dignum, illa quoque aetate S. Stephani Coronam a Ducali distinctam fuisse.

³⁾ „Anno Domini 1395. die Lunae, XVII. Maii, Maria Hungariae Regina, Sigismundi consors, et Germana soror Hedvigis Poloniae Reginae, Budae moritur.“ — Dlugoss. Lib. X.

⁴⁾ „Sigismundus apud Katona Tom. XI. p. 385. „Medio tempore inclyta principe, domina Maria Regina — rebus exempta ab humanis, et Varadini telluris gremio, supremo decore, commendata.“

De Coronatione Regis Sigismundi, filii Karoli Imperatoris, et Regis Bohemiae.

*Sigismundus omnium votis, vivente Maria, coronatur
Anno 1387. regnatque Quinquaginta Annis.*

Sigismundus Rex, filius Imperatoris, et Regis Bohemiae, de consensu et voluntate communi Prelatorum,

Baronum, et Nobilium Regni Hungarie fuit electus in Regem, coronatusque vicesimo anno etatis sue. ¹⁾ Et regnavit in toto annis quinquaginta, et mensibus novem. ²⁾ Hic post obitum Domine Marie, que decessit sine prole, accepit in uxorem Barbaram, filiam Hermanni Comitis Cilie, ³⁾ ex qua genuit unicam filiam Elizabeth nomine, quam postmodum tradidit in coniugem Alberto Duci Austrie. ⁴⁾ Deinde idem Rex Sigismundus electus fuit in Regem Romanorum, ⁵⁾ et Bohemie — ⁶⁾ Postremo coronatus Rome in Imperatorem. ⁷⁾ Obiit autem Anno Domini millesimo, quadringentesimo tricesimo septimo, ⁸⁾ etatis sue anno Septvagesimo primo, ⁹⁾ sepultusque est in Ecclesia Varadiensi. ¹⁰⁾

¹⁾ Sigismundus 15. Februarii 1368. natus, dum anno 1387. 31. Martii inaugurabatur, omnino annum aetatis vigesimum agebat.

²⁾ A 31. Martii 1387. usque 9. Decembris 1437. quo Znoimae in Moravia decessit, defluerunt 50. anni, 9. menses, atque 9. dies.

³⁾ Windeck in vita Sigismundi Cap. XIX. apud Menken Tom. I. Script. Germ. „Do schrieb mon vierzehnen hundert und acht jare — und — nam er Barbara, die des Graffen Frideriches von Cilien Tochter war, und er si zu Königin machte.“

⁴⁾ Anno videlicet 1411. nondum trimulam. Confer Windeckium Cap. XXIII. et LXXXIX. item Elisabethae Reginae litteras ad Imp. Fridericum III. an. 1440. datas, Tom. II. Analect. Biblioth. Vindob. per Adamum Kollár vulgatas.

⁵⁾ Anno 1410. Windeck Cap. XXVII. electus Francofurti 20. Septembris; dein post mortem Iodoci 21. Iulii an. 1411. annos Imperi a die primae electiois numerabat. Coronatus Aquisgrani 8. Novembris 1414. ut vero Rex Lombardiae, Mediolani 25. Novembris 1431.

⁶⁾ A Conrado Pragensi Archiepiscopo VI. Calendas Iulii 1420. in arcis templo Rex Bohemiae inauguratus. Windeck Cap. LXX. et LXXXIV. Dubravins Lib. XXIV. Byzini in Diar. belli Hussit. ad an. 1420. Ludevig reliqu. MSC. Tom. VI. p. 154. AEn. Sylv. Hist. Boh. Cap. XXXIX. XLII.

⁷⁾ Die XXI. Maii 1433. Romam ingressus, magnaue populi acclamatione acceptus, ipso die Pentecostes, seu 31. Maii in Basilica Divi Petri ab Eugenio IV. Pontifice Imperator Romanorum coronatus est.

⁸⁾ Nona Decembris. Windeck Cap. CXVIII. et CCXIX. AEn. Sylv. Lib. cit. Cap. LIII.

⁹⁾ Quum 15. Febr. 1368. primam lucem aspexerit, et 9. Decembris 1437. decesserit, agebat duntaxat Septvagesimum aetatis annum.

¹⁰⁾ Ipsemet in an. 1406. diplomate apud Pray Hirarch. P. II. p. 117. „facta nempe electione nostrae sepulturae in Basilica Cathedrali Varadiensi.“ et Nicolaus Olahus in sua Hungaria Cap. XVI. „Varadinum, sedes Episcopi, Ecclesia Cathedrali, sepultura Divi Ladislai Regis miraculis clari, et Sigismundi Imperatoris inclita: in qua die noctuque ex eiusdem Caesaris fundatione Psalmi Davidici ad eius tumbam, mutatis per vices personis, concinuntur.“ Confer de illo Ioannis Luczenbacher Zsigmond Országának évsora Annalium Eruditae Societatis Hung. Tom. II. p. 43—59. eius vero Vitam e Codice membr. MSC. Bibliothecae Vaticanae excerptam, et per me commentariis illustratam lege in Eruditae Societatis Hungaricae Annal. Tom. III. Sect. II. p. 145. et sequ.

De Coronatione Regis Alberti.

*A funere autem Sigismundi reduces Hungari Albertum
Regem salutant Anno 1438.*

Pos Regem Sigismundum, electus fuit in Regem Albertus Dux Austriae, gener ipsius, in favorem Elisabeth filie eiusdem Sigismundi, uxoris scilicet Alberti, coronatusque fuit in die Circumcisionis Domini, anno eiusdem millesimo, quadringentesimo tricesimo octavo. ¹⁾ Et regnavit anno uno, et mensibus decem, natusque est ei filius posthumus Ladislaus nomine. ²⁾ Obiit autem in Vigilia Simonis et Iude, ³⁾ Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono, sepultus in Alba Regali.

¹⁾ Idem perhibet Chronicon etiam Mellicense apud Hier. Pez Tom. I. col. 257. nec non Martinus de Senging auctor caevus apud. B. Pez. P. III. p. 232.

²⁾ Anno nempe 1440. ut Ioannes Hugen Cap. 122. narrat: „kam die künigin nider, vnd gebar einem Sun, den si Ladislaum nannten, zu Comarn auff dem Schloss, XXII. tag February, Anno 1440.“ et Cassoviensis Basilicae Divae Elisabethae inscriptio ita habet: „Anno Domini Millessimo Quadringentesimo Quadregesimo, In die kathedre Beati Petri Apli circa Auroram In Castro Comaron ex Preclarissima Regn. Prosopia, Videlicet: Dno Alberto Romanor. Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie. cz.

Rege. Ac Dna Elizabeth Eorde: Regnor. Regina, Olim Filia Invictissimi Principis, et Dni Domini Sigismundi Ronor. Imperatoris, Natus Est Gloriosissimus Princeps Dnus. Ladislaus Verus Rex, Et Heres In Successionem Horm. Regnor. Et Ducatum Hereditarie Possiden: Eodem Eciam Anno in Festo Pentecostes Sacra Regni Hungarie Corona Omni Cum Solennitate In Alba Regali Legitime coronatus.“ Hanc Inscriptionem anno 1829. ipsemet ex originali descripsi; legitur etiam in Libello, cui Titulus: „Cassovia Vetus ac Nova.“ Cossov. 1732. in 12. p. 58 — et 59. Kapraini Hist. Dipl. Tom. I. p. 227. nec non in an. 1829. Dioecessano Schematismo Cassoviensi; ab originali tamen lectione non nihil abludit.

³⁾ Seu 27. Octobris. Adi: Stephani Katona Hist. Crit. Tom. XII. p. 920. et sequ. Et Ioannis Haugen Cap. 121: „Als er — an sant Simon vnd Iudas tag in ein Dorff kam genat Nesmel, oder nach deutscher sprach, zum Langendorff — starb daselbst am blutfluss.“

De Coronatione Regis Ladizlai Quinti, filii Regis Alberti, Et quomodo Uladizlaus Rex Polonie ad coronandum inducitur.

Elisabetha consentiente, Uladizlaus Polonus throni, requique consors eligitur; qui dum iis, quibus petebatur, pactis, Regnum Hungariae acceptat, Regina partu levatur Anno 1440.

Mortuo Alberto, remansit Elizabeth Regina conthoralis eius pregnans, et nesciebatur filium, an filiam esset paritura. Interim Prelati, et Barones miserunt pro Uladizlao Rege Polonie; ¹⁾ sed ante, quam ipse introduceretur, Regina peperit filium Ladizlaum, et contradixit electioni de Rege Polonie facte. Et coronari fecit Ladizlaum puerum trimestrem: Nichilominus inductus fuit Uladizlaus Rex Poloniae, coronatusque Corona alia, de Capite Reliquiarum Sancti Stephani sumpta. ²⁾ Quibus habitis, Regina Ladizlaum filium, simul cum Corona Regni, tradidit ad manus Friderici, Romanorum Regis, et Ducis Austriae. Regnavit autem ipse Uladizlaus in dissensione Regni annis prope quatuor; et in bello contra Turcos,

iuxta Mare, prope Castrum Varna periit Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragésimo quarto. ³⁾ Hic fuit Princeps optimis moribus institutus, religiosus, pius, castus, verax, et magnanimus in armis. ⁴⁾

¹⁾ Elisabetha consilio Dionysii de Szécs Archi Episcopi Strigoniensis persvasa, annuit etiam, sed conditionem adiecit, si filium pareret, ut Legati ad Wladislaum mittendi, si nativitate filii sui comperta, Poloniam nondum essent ingressi, vel cum Rege iam agerent, confestim, abrupta tractatione, in Hungariam revertantur. In litteris Wladislai an. 1440. die 8. Martii editis, Legati censentur, Ioannes Segniensis Episcopus, Matthaeus de Palócz, Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Banus, Ioannes de Perén Magister Tavernicorum, Ladislaus de Palócz Magister Curiae Regiae, Emericus de Marczali Magister Dapiferorum, et Comes Simmegiensis. Vid. Pray Hist. Reg. Hung. P. II. p. 306—307.

²⁾ Quia Elisabetha Regni Coronam Friderico III. oppignoravit. Vide tabulas apud Adamum Kollár Analect. Biblioth. August. Vindob. Tom. II. et Pray Annal. P. II. p. 349. Coronatus est autem XVII. Iulii 1440. ut Dlugossus Lib. XII. memoriae prodidit; et ex hoc Pray Annal. P. II. p. 346. Katona Tom. XIII. p. 85. et sequ. Conf. Vestigia Comitiorum apud Hungaros celebratorum Bud. 1790. in 8. p. 235—243. et L. L. Eccl. Tom. III. p. 444—447. ubi diploma eius inaugurale ex autographo vulgatur.

³⁾ Inscriptio Templi Coronensis in Transilvania apud Sewhandtner Tom. III. edit. 1768. in 4. p. 211. cladis et caedis Wladislai, diem X. Novembris notat. „1444. Clades ad Warnam, in qua Uladislaus Rex, Iulianus Caesarinus Card. autor rupti foederis, interficiuntur, Huniades vix fuga elabitur 10. Novembris.“ Ioannes Haugen Cap. 126. „In welchem streyt könig Vladislaus mit viel trefflichen herrn erschlagen ward. Diss ist geschehen vmb sant Mertens tag, im jar Christi 1444.“ — „Iulianum Cardinalem, inquit Pray Hist. Regum Hung. P. II. p. 330—331. posteriores scriptores, belli huius, et cladis auctorem, invita veritate, faciunt, cum bellum hoc communi Principum consensu susceptum fuisse constet. Nec opus erat, ut Regem a praestito iuramento solveret, quo alioquin, ob non servatas ab Amurathe conditiones, ex natura contractus non tenebatur.“ Immo vero III. ac R. R. Auctor L. L. Eccl. Tom. I. p. 486—489. recitato Wladislai diplomate 4. Augusti 1444. Szegedini in publicis Regni Comitibus edito, docet, inducias cum Amurathe nec initas fuisse. Testatur id etiam Iuliani Cardinalis Oratio a Philippo Callimacho relata, ubi inquit: „Contraxdissem iam tum ab initio, sed acclinationes animos vestros, ad concordiam vidi, quam ut credere possem, oratione mea ad rem erigi.“

4) Chronicon apud Kovachich S. S. Rer. Hungar. Minor. Tom. I. p. 10 „iuxta mare periit anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, ibidem est sepultus.“ et Callimachus Lib. III. paragrapho ultimo scribit: „Turci Regio corpore invento, modicae altitudinis columnam, quae hodie quoque visitur, cum inscriptione rei gestae, in eodem loco statuerunt.“ Epitaphium ergo, quod Petrus de Réva de Monarchia et Sacra Corona edit. Francof. 1659. in fol. p. 37 recitat, posterioris aevi figmentum est, et apud cordatos viros fidem non merebitur.

Mortuo Uladizlao, et Ladizlao puero in manibus Friderici Romanorum Regis existente, Iohannes de Hunyad in Gubernatorem Regni eligitur.

*Uladislao ad Varnam caeso, Ioannes de Hunyad Transsilvaniae Voyvoda, Regni Gubernator eligitur
Anno 1446.*

Post Uladizlaum, et Ladizlao puero in manibus Friderici Romanorum Regis existente, cum status Regni declinaret in periculum; electus fuit in Gubernatorem, felicis memoriae Iohannes de Hunyad, tunc Voyvoda Transsilvanus; 1) qui gubernavit Regnum annos prope octo. 2) Multa egit prelia, sepiissime profligavit Turcos: 3) ipse etiam bina vice a Turcis profligatus fuit. Et reduxit Regnum in meliorem statum, quam acceperat. 4) Demum tradidit Regimen Regni in manus Ladizlai Regis, per quem ob merita sua ereatus fuit in Comitem Bistriciensem Perpetuum. 5) Postremo, repulso Turcorum Imperatore ab osidione Arcis, seu Castri Nandor Albensis, 6) felicitate victorie compos, obiit ibidem in Nandor Alba, 7) Anno Domini millesimo quadringentesimo sexto; sepultusque est in Ecclesia Albensi Transilvana. 8).

1) Anno 1446. 13. Iulii, vide: S. S. et O. O. Regni tabulas in Vestig. Comitior. Bud. 1790. p. 253—261. Kaprinai Hist. Dipl. Hung. P. II. p. 121: „Habeo litteras ex prototypo exscriptas, inquit, in civitate Rivuli Dominarum — quinta decima Ianuarii 1446. datas, quibus se Hungariae regni Vicarium compellat. Ex quo colligere est, Ioannem ante, quam Gubernator deligeretur, Vicarii titulo regno praefuisse.“

²⁾ Hoc se munere an. 1452. Viennae abdicavit mense Decembri; adi Hormayer's Plutarch II. S. 140. Ladislaus Hunyadi erecto in foro Carmelitarum suggestu, Comitem Bisztriciensem, regio amictu ornatus, renunciavit, eique haud aliter, quam Principibus solet fieri, insignia contulit. AEn. Sylv. in Europa Cap. XXII.

³⁾ Amurathem, et Mahometem.

⁴⁾ A cupiditate, avaritiae sordibus, partium studio, et regni ambitu semper alienissimus.

⁵⁾ Editio anno 1453. diplomate, quo praeclare facta illius a iuventute ad hoc tempus bono publico utiliter praestita, insigni laudum encomio complexus est. Conf. Spiess Archivische Neben Arbeiten. I. Th. p. 177. Prai Annal. P. III. p. 25—28.

⁶⁾ Diebus quippe 14. 21. et 22. Iulii 1456. adi: Ioannis Christ Engel Geschichte von Serwien und Bosnien Halle 1801. in 4. p. 407—410.

⁷⁾ Thurótzii Chronicon P. IV. Cap. LVI. Zemlini, quod castrum ad Savi, et Danubii confluentes Belgrado obiacet, mortuum narrat; decessit autem 11. Augusti 1456.

⁸⁾ Corpus, uti Testamento caverat, Albae Carolinae in Transsylvania honorifico Sepulchro, cuius etiamnum lapis ibidem visitur, conditum fuit. Epitaphium lege apud Kovachich S.S. Rer. Hung. Min. Tom. II. p. 1—8. et inter Iani Pannonii Epigrammata Lib. I. Epigr. XVIII. De ortu eius ac nativitate, Praefationem Cod. Dipl. Tom. VIII. Vol. I. an. 1818. Tudományos Gyűjtemény Tom. I. p. 39. et 53. an. 1824. Tom. XI. p. 23. 1827. Tom. VIII. p. 3. Három Értekezés Hunyadi Székely János Születéséről. Pozsony 1825. in 8. Dissertatio Critica Dissertationis Criticae Baiero-Besserinae de Ortu et Nativitate Ioannis de Hunyad. Pest. 1826. in 4. Bajeri Diss. de Ioannis Hunyadi ortu. Ienae 1708. in 4. Benkő Ios. in Eiusd. Transylv. Tom. I. p. 177—182. et in Suppl. p. 559—571. Bessenyei György Hunyadi János élete. Béts 1778. in 8. Leben Joh. Hunyadi; in Siebenb. Quartalschrift. Zredna Ioan. Epistolae apud Schwandtner Tom. II. etc.

De Reductione Ladizlai Regis in Hungariam.

Ladislaus Posthumus Rempublicam gubernare incipit
Anno 1452.

Ladizlaus, filius Alberti, Romanorum, Hungarie, et Bohemie Regis, circa duodecimum etatis sue annum ereptus fuit de manibus Friderici Regis Romanorum: ¹⁾ Corona Regni Hungarie nichilominus per eundem Frideri-

cum retenta. Hic fuit invenis probis moribus pollens, pudicus, fidelis, et pro etate prudens, cepitque regere, vivente adhuc Iohanne Gubernatore. Postea, cum esset in Bohemia, obiit Prage, anno etatis et coronationis sue decimo octavo, sepultusque est ibidem in Ecclesia Cathedrali Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo. septimo. ²).

¹) Ioannes Haugen Cap. 128.: „Im jar nach der geburt Christi 1452. am montag nach sant Augustins tag, besamelten sich die Vngern, Behem vnd Osterreicher, mit sampt dem von Cyli, vnd andern herrn, hetten ob 40. tausent man zv ross vnd fvs. vnd zvgen für die Newstat, begerten an Keyser Fridreichen könig Lasslaw als iren rechten natvrlichen herrn, Do nun der kaiser die macht avch den ernst der landt sahe, vult er in König Lasslaw nit lenger avfhaltten, sonder thet in den antworten. Vnd denselben abent ward er erstlich gen Petersdorff geführt vnd am mitwochen vor Nativitatis Marie, ist der König zv Wien einzogen, vnd in die Bvrg geführt, do er mit grossen freuden vnd ehrn avff das höchst empfangen vnd eingeleit ist worden. Darnach als die Weynachten vergangen warn, ist König Lasslaw mit seinen herrn gen Pressburg zogen, da selbst sind zu in komen all Vngerisch herrn, Geystlich vnd Weltlich, mit sampt den von Stetten, vnd haben im geschworn, vnd die pflicht als irem natvrlichen rechten erbherrn gethon.“ Testantur id hae illius litterae ad Pragenses exaratae „Ladislaus Dei Gratia Hungariae, et Bohemiae Rex, Austriae Dux, et Moraviae Marchio. Honorabiles et Prudentes, Fideles Dilecti! Quoniam prosperos successus rerum nostrarum Sinceritati Vestrae iocundos esse non ambigimus, ut cum iis, qui Maiestatem nostram diligunt, gratulari, laetarique valeatis, notificandum vobis duximus, Celsitudinem nostram, nuper elapsis diebus, Inclytum Hungariae Regnum adivisse, assistantibus nobis Reverendissimo Archiepiscopo Strigoniensi, Comite Palatino, aliisque Praelatis, Proceribus, et Nobilibus Regni praedicti, ipsisque Serenitatem nostram comitantibus, cum laeto populorum occursu, magnaue omnium exultatione usque Budam Regni ipsius praeclaram Urbem pervenisse. Itaque praefati Regni nostri nacti possessionem, accessu nostro tranquilla pace et quiete Nobis firmitus salutamus. Haec Vobis ad vestram consolationem, de nostris prosperitatibus nuntiata, aliis, qui vobiscum gaudent, nota facere non omittatis. Datum Budae die Octava Februarii, Regnorum nostrorum Hungariae Decimo quinto (tertio) Bohemiae vero tertio. Honorabilibus et Prudentibus Magistris Civium, et Consulatui Pragensi. Fidelibus nostris Dilectis.“ Melch. Goldastus de Regno Bohemiae. — Quum Ladislaus eodem,

quo natus est anno, sit coronatus; eosdem regiminis, quos natiuitatis annos numerare solet; in hoc igitur diplomate annus 1453. rescribi debet. Vid. Stephani Katona Hist. Crit. Tom. XIII. p. 865—870.

²⁾ Quippe 23. Novembris 1457. anno aetatis duodevicesimo nondum expleto. Nam si a 22. Februarii anni 1440. ad usque 23. Novembris anni 1457. calculum rite subducamus, non alii profecto, quam octo, ac decem, nondum completi prodeunt anni. Proceres Hungariae Budae congregati eius obitum omnibus Comitatibus, et Civitatibus his litteris nunciarunt: „Hodie ex Bohemia advenit tristissimus nuncius, qui dolorosissimam mortem Ser. D. nostri Ladislai regis apportavit, quam is insperate obiit in festo B. Clementis P. P. et M. sub vespere in civitate Pragensi. Hunc amicitii vestris quemadmodum ingenti cum dolore, nec sine lacrimis significamus; ita cupimus, ut ultima principi optimo devotionis vestrae officia omni honore ac religione persolvi curetis. Datum Budae, Dominico prox. ante festum B. Andreae ap. anno dom. 1457.“ Kaprinai Hist. Dipl. Hung. P. I. p. 318. — Ioannes Haugen vero Cap. 133.: „als ped brüder, graff Lasslau, vnd sein brvder graff Matthias (de Hunyad) an dem Königlichen hoff zvsamen kamenward graff Lasslau, vom Grossgrauen angeklagt, vnd am montag nach Oculi (5. Martii 1458.) fenglich angenommen, vnd mit sampt seinem bruder Matthia, so noch ein knab was, in einem zymer in der Burg verward. Darnach am dritten tag seiner gefengknus, ward graff Lasslaus gegen dem abent, dem Statrichter zu ofen oberantwort, vnd den zu enthaupten heuolhen, das auch von stund an geschach. Vnd als im Vngerischen reich kurzlich darnach eine grosse auffrur der sachen halber erwuchs, weil sich der könig fürchten, zoch mit den seinen herauff gen Wien, vnd furt graff Matthiam wol verwartet mit im. Vnd als er ein zeytlang zu Wien gefenglich gehalten, vnd der könig gen Prag zu ziehen sich erhebt hat, do ward graff Matthias auff das Schloss zum Guttenstein, nicht weit von der Newstatt geführt, vnd daselbst gefenglich gehalten. Als nun der könig zu Prag was, vnd vil freüden vnd ritterspil daselbst hielt, ward er am montag vor sant Clemens tag kranck, vnd ist darnach am mitwochen gestorben, also das er in XXXVI. Stunden gesund, kranck, vnd tod gewesen. Vnd am freytag darnach an sant Katharinen tag, ist er auff sant Wenzelsberg in den Thumb — getragen, vnd daselbst zu kaiser karl. vnd könig. Wentzel gelegt worden. Im jar nach der geburt Christi 1458.“ Epitaphium eius recitat Anonymus Mellicensis in brevi Chron Austr. apud Pez. Tom. II. p. 463. Conf. etiam Matthiae Bel. Notit. Regni Hung. Tom. III. p. 212.



De Coronatione Regis Matthie.

Post eius obitum, mira Dei providentia, Matthias de Hunyad, Rex Hungariae eligitur 1458.

Post mortem Ladizlai Regis, electus est in Regem Hungarie Matthias, felicitis memorie filius Illustris Iohannis de Hunyad Perpetui Comitis Bistriciensis, Anno Domini Millesimo quadringentesimo, quinquagesimo octavo. ¹⁾ Qui tam exteris, ut Bohemis, ²⁾ et Polonis, ³⁾ quam nonnullis incolis Sacre Corone subiectis, sibi plurimum insidiantibus, ut Leo fortissimus invictissimusque restitit. Hic etiam cum validissimo exercitu Regnum Bozne ingressus, Castrum munitissimum Iaycza nomine, e manibus Turcorum gloriose eripuit. ⁴⁾ Deinde victor rediens ad Hungariam, dyademate Sancti Regis Stephani, quod apud Fridericum, Romanorum Imperatorem habebatur, in Civitate Albe Regalis potitus est. ⁵⁾ Postea vero collecto ingenti exercitu, Moldaviam Terram, Provinciam Sacre Corone subiectam, sed per id temporis rebellem ingressus est, ibique habito acerbissimo conflictu, triumphum preclarum, atque memorabilem obtinuit. ⁶⁾ Unde et vexilla plurima, parte victoriae sue, signa Budam usque adduxit; que magna cum celebritate in parochiali Beatissime Marie Virginis Ecclesia affixa hodie conspiciuntur. ⁷⁾ Reliqua autem preclara ac memorabilia facinora Serenissimi atque Invictissimi Domini nostri Regis; quia tanta sunt, quod breviter comprehendi nequeunt, in aliud tempus differenda, ac latius proseguenda erunt. ⁸⁾ Pro quo Domino nostro Illustrissimo atque Gratioso, Optimus Maximusque Deus etiam atque etiam rogandus est: ut eum in pace Tranquilla, iustitiae observatione, suorum dilectione, Regni incremento; et diuturna demum vite incolumitate tenere, servare, et augere dignetur.

Finita Bude Anno Domini M.CCCC.LXXIII. in vigilia Penthecostes, ⁹⁾ per Andream Hess.

¹⁾ Vigesima quarta Ianuarii 1458. in Comitibus Pestiensibus ad diem primam Ianuarii illius anni indictis. Vide Stephani Kaprinai Hungariam Diplomaticam temporibus Mathiae de Hunyad Regis Hungariae. Vindob. 1767. in 4. P. I. p. 318. et 331. cum annum ageret aetatis quintum decimum; ibid. p. 332. opera matris Elisabethae Szilágyi, et avunculi Michaëlis Szilágyi, ibid pag. 342—345. atque opera amicorum paternorum, ibid pag. 345—349.

²⁾ Bohemorum in Hungaria latrocinantium licentiam plus simplici vice coërcuit, Conf. Stephani Katona Hist. Crit. Tom. XIV. p. 105. 292. 447. 512. 704 et Bellum Bohemiae Regi induxit. Tom. XV. p. 133. 178. 262. 284. 323. 349. 373. 445. Anno 1469. electus est in Regem Bohemiae legitima et libera electione; quemadmodum ex Manuscripta Scheda synchrona Aug. Biblioth. Viennensis in an. 1830. Tudományos Gyűjtemény Tom. IV. p. 78. 82. per me vulgata colligitur: „Anno Domini MCCCLXIX. In die inventionis Scte Crucis, quae fuit III. Maii, Serenissimus Princeps, et Dnus Dnus Mathias Vngariae, Dalmacie, Croacie etc. Rex gloriosissimus in Ecclesia Cathedrali Sti Venceslai in civitate olomucensi est electus concorditer, licet eo renitente, nominatus in Regem Boëmiae per infrascriptos Barones, et Dnos Regni Bohemie Katholikos ac Magnificos viros ex toto Regno prefato Procuratores, et quorum erat eligere. Istos videlicet (sequuntur ibidem Electorum nomina) Item ibidem — certi barones et militares Marchionatus Moravie affuerunt. — Et facta est hec electio presentibus ibidem, ac autorisantibus Reverendissimis Patribus ac Dnis etc. Item Dnis Ambasatoribus Imperialis Celsitudinis — Item — presentibus ibidem multis Prelatis, Archiepiscopis, et Episcopis, et aliis maximis viris et Dnis — et aliis quam plurimis Nobilibus, Militaribus et Civitatensibus, ac ceteris viris et patribus religiosis multis.“ etc.

³⁾ Casimirum, Poloniae Regem contra se factione quorundam accitum an. 1471. ad fugam compulit. Katona Tom. XV. p. 495. Polonos vero a Casimiro relictos, an. 1472. ex Hungaria pepulit. ibid. p. 546.

⁴⁾ Anno 1463. Katona Tom. XIV. p. 619. et 652. rerumque in Bosnia a se gestarum seriem ad Pium II. Pontificem an. 1467. perscripsit, ibid. p. 666.

⁵⁾ Postquam Sacram Regni Coronam ingenti lytro redemisset. Vide Tabulas apud Pray Annal. P. III. p. 282—298. Katona Tom. XIV. p. 580. 29. Martii 1464, redimitus fuit. Katona ibid. p. 679. et sequ.

6) Contra Stephanum, Moldaviae Principem anno 1467. causam huius expeditionis fortunamque Bonfinius narrat Decad. IV. Lib. I.

7) De Signis anno 1467. Moldavis ereptis, ac in principe templo B. Virginis Budae suspensis lege Iani Pannonii Lib. I. Epigram. X.

„Rex, tibi, Matthias, haec signa, puerpera Virgo,
Moldavis forti, nuper adempta, manu.
Quae modo barbaricas duxere in bella catervas,
Nunc sacro pendent conspicienda tholo.
O mactum virtute Ducem! cui contigit uni,
In propria duos sternere sede Getas.
At tu, Diva, suis iterum sic annue votis,
Victor ut e Turcis mox tibi plura ferat.“

Edit. Traiecti ad Rhenum 1784. in 8. P. I. p. 458. edit. Buden. an. 1754, in 8, p. 277,

8) Praestitere id postea Ioannes de Turótz, Chronici Dubnizensis Compiler, Antonius Bonfinius, Stephanus Kaprinai, alique passim. Per multa habet Ioannes Haugen quoque, praesertim vero quae bella in Austria gesta illustant: Libri Titulus est: „Die Hungern Chronica inhaltend wie sie anfengklich ins land kommen sind, mit anzeygung aller irer König, vnd was sie namhaftigs gethon haben. Angefangen von irem ersten König Athila, vnd volfüret biss auff König Ludwig, so im 1526 jar bey Mohatz vom Türeken vmbkomen ist. Im druck yetz new aussgangen. Anno 1534.“ — Nomen vero Auctoris, ac Editoris ad calcem refert: „Dieses Buch der Vngerischen Chronicken, ist newlich verteutscht, vnd also zusammen gebracht worden durch herr Hansen Haugen zum Freystein, der aller Durchleuchtigsten König, Fürsten vnd Herrn, herrn Ferdinanden, Römischer auch zu Vngern, Behem, Dalmacien, Croacien etc. König Ertzhertzog zu Osterreich, Hertzog zu Steir, Kernten etc. Rath und Diener. Vnd yetzund in druck verordnet auff kosten vnd darlegen Hansen Metzkers Bürger in Wien. Anno Domini 1534.“ — De Haugeni Chronico Michael Denis, Wiens Buchdrucker Geschicht p. 370. „Dann gleich die Chronik in V. Büchern, die in 158. Capitel geschieden sind — Die ganze Erzählung ist bis auf das 140. Cap. aus der thurotzischen lat. Chronik genommen. Vom. 140. Cap. oder von dem Krieg in Osterreich, durch König Matthias, weis ich nicht, wo der Verfasser geschöpft hat. — Woher Zwittinger habe, dass es aus dem Italienischen verdeuscht worden sey, wüsste ich nicht zu sagen. Eben so wenig wollte ich mit Hanern eine

frühere Ausgabe vermuthen. Aber eine spätere Ausgab. 1536. 4. lerne ich aus Pray Ind. Lib. Rar. P. I. 225. kennen.“ — Altera editio est Augustana, in 4. in cuius fine, cetera inter haec leguntur: „Getruckt in der Kaiserlicher Statt Augspurg durch Philipp Vlhart Anno 1536. — Viennensis itaque editio, quam Illmo ac RR. D. Ocskay Episcopo debeo, omnium ex Germanicis prima et perrara est; Augustana vero secundas tenet: neque pro Turótzii, sed aliorum Chronicorum versione, utraque editio haberi debet.

⁹) Seu 5. Iunii an. 1473.



Index Capitulum

Per Compilatorem inscriptorum.

	Pag.
Ad Venerandum Dominum Ladislaum Prepositum Ecclesie Budensis, Prothonotarium Apostolicum, nec non Vice-Cancellarium Serenissimi Regis Mathie in Cronica Hungarorum Andree (Hess.)	
Prefatio	1
Incipit Prima Pars Cronice de origine Hungarorum de descensu de Scitia in Pannoniam: de bellis contra diversas nationes habitis: ac de expulsionem eorum: et reditu in Scitiam	3
Incipit Prologus Secunde Partis Cronice Hungarorum	34
Hec Secunda Pars Cronice est de secundo ingressu Hungarorum in Pannoniam, et de vita, et morte Regum eorum in dicto Regno hic inde successorum	35
De Generatione S. Stephani primi Regis Hungarie post secundum ingressum de Scitia in Pannoniam, ac de vita, bellis, et morte eiusdem	61
De Morte S. Stephani Regis	73
De sevitia, expulsionem, reingressu, et morte Petri Regis	77
Expulso Rege Petro de Regno, Aba Rex consecratur	79
Aba mortuo Rege, Petrus Rex plenarie Regali Coronam restituitur	87
De morte Petri Regis	100
De Coronatione, Vita, et Morte Regis Andree	101
De Nuptiis Salomonis cum Domina Sophia, quomodo in pueritia per Patrem coronatus est	112
De Coronatione, Vita, et Morte Regis Bele Primi ^{III}	116
De Coronatione, et Vita Regis Salomonis	122
De eo, quod Salomon, et David frater eius liberos non habuerunt	125
De Adventu Cunorum	127
De Pugna Hungarorum cum Grecis, Bulgaris, et Bessis	133
De Discordia Regis Salomonis, et Ducum	139
De Dolositate Regis, bellisque duobus Ducum contra Regem, et de Victoria eorum	141
De Fuga et Expulsionem Regis Salomonis	150
Devicto, effugatoque Salomone, Geysa Dux in Civitate Alba corona Regia coronatur	151

	Pag.
De Coronatione Sancti Regis Ladizlai, fratris Geyse, filiique Bele Primi, et de Vita, et Morte eius	161
De Coronatione Regis Colomanni, filii Regis Geyse Primi, qui fuit filius Regis Bele Primi	178
Mortuo Rege Colomanno, Stephanus Secundus, filius eius in Regem consecratur	183
De Coronatione Secundi Bele Ceci, filii Almus Ducis, filii Lamperti Ducis, qui fuit filius Regis Bele Primi	184
Mortuo Rege Bela Ceco, Rex Geysa Secundus, filius eius primogenitus, coronatur	187
De Coronatione Stephani Tercii, filii Geyse Secundi. Et de Coronatione primo Ladizlai Secundi: deinde Stephani Quarti, filiorum Bele Ceci, vivente adhuc Stephano Tercio	187
De Coronatione Regis Bele Tercii, fratris Stephani Tercii, et filii Geyse Secundi	189
De Coronatione Emerici Regis, filii Bele Tercii, filii Geyse Secundi	190
De Coronatione Regis Ladizlai Tercii, filii Regis Emerici	191
De Coronatione Regis Andree Secundi, filii Regis Bele Tercii	191
De Coronatione Regis Bele Quarti, filii Andree Secundi, et de diffortunio eius	197
De primo adventu Tartarorum in Hungariam	199
De Coronatione Regis Stephani Quinti, filii Regis Bele Quarti	204
De Coronatione Regis Ladizlai Quarti, filii Stephani Quinti	206
De Secundo adventu Tartarorum in Hungariam	208
De Coronatione Regis Andree Tercii, qui fuit nepos Regis Andree Secundi	213
Quomodo in preiudicium Regis Andree, Karolus puer per Papam in Hungariam pro Rege mittitur	216
Mortuo Rege Andrea, Ladizlaus, vel potius Vencezlaus, filius Regis Bohemie, contra Karolum in Hungariam inducitur, et in Albensi Civitate honorifice coronatur	220
Quomodo Otto Dux Bavarie in Regnum contra Karolum inducitur, coronatur, captivatur, et expellitur	226
Expulso Ottone, Karolus in Regem suscipitur, et coronatur	232
De Ferocitate Feliciani	242
De pugna Regis contra Bazarad Voyvodam Vlachorum	246
De morte Regis Karoli	255
Metra de morte Karoli Regis	265
De Coronatione, exercitibus multis, et de Vita, et Morte Regis Lodovici, filii Regis Karoli	266
De primo exercitu Regis contra Saxones partis Transilvanie	268
De Obedientia Alexandri Voyvode Transalpini	268
De Peregrinatione Regine Elizabeth	269
De Exercitu contra Tartaros	276

	Pag.
De Exercitu contra Croatos	278
De Exercitu contra Venetos ad Regnum Dalmacie	279
De Morte Andree Regis	282
De Exercitu versus Neapolim	287
De Fuga Iohanne Regine, et Lodovici eius mariti	291
De Reditu Regis in Hungariam	291
De Prelio commisso et victoria per Stephanum Voyvodam facta	294
De Exercitu et pugna Stephani Voyvode cum gente Lodovici circa Neapolim	296
De Reditu Iohanne Regine, et Lodovici	299
De Secundo introitu Regis in Regnum Apulie	299
De Proditione facta per Stipendiarios	302
De Obtentione Castri Canosil	302
De Captivatione Stipendiariorum Lodovici	303
De Obtentione Salerni, et aliarum	305
De Obsidione Civitatis Averse, et de vulneratione Regis circa eandem	305
De Honore Regi impenso per Romanos	308
De Reditu Regis in Hungariam	309
De Resignatione Regni Sicilie ad manus Domini Pape	309
De Requisitione Venetorum per Regem facta super restituendo Regno Dalmacie	311
De Exercitu contra ipsos moto	312
De Obsidione Castri Castelfrank	313
De Exercitu contra Lithvanos	315
De Exercitu ad Rusciam	318
De Exercitu in subsidium Domini Pape trina vice	322
De Exercitu in subsidium Ducis Austrie	323
De Exercitu ad Terram Bozne	324
De Exercitu in Bulgariam	326
De Exercitu contra Karolum Imperatorem	327
De Exercitu in Moraviam	328
De Exercitu in Poloniam	328
De Exercitu ad Partes Transalpinas	329
De Diversis Expeditionibus contra emulos	331
Sequitur de hiis, que suo tempore evenerunt	332
De Iudeorum expulsionem	332
De Ordine Heremitarum Beati Pauli, et Translatione Ordinis eiusdem	333
De Constructione Claustrum in Naztre pro Heremitis	334
De Constructione Claustrum in Leveld pro Cartusiensibus	334
De Fundatione duarum Capellarum	335
De Conversione Cumanorum ad Fidem	336
De Baptizatione Paterinorum de Rozna	336
De Baptizatione Sclavorum	337

	Pag.
De Recessu Bogdan Voyvode in Moldaviam	337
De Pestilentia, fame, et terre motu	338
De Exemptione Odvarnicorum, et aliorum Conditionariorum	339
De Consortibus Regis, et Liberis	339
Sequitur de gubernatione Regni, pace, et tranquillitate	342
De Vita Regis contemplativa	343
De Morte Regis Lodovici	343
De Coronatione Marie filie Regis Lodovici	345
De Coronatione Regis Sigismundi, filii Karoli Imperatoris, et Regis Bohemie	346
De Coronatione Regis Alberti	348
De Coronatione Regis Ladizlai Quinti, filii Regis Alberti, et quomodo Uladzlaus Rex Polonie ad coronandum inducitur	349
Mortuo Uladzlao, et Ladislao puero in manibus Friderici, Romanorum Regis existente, Iohannes de Hunyad in Gubernatorem Regni eligitur	351
De Reductione Ladizlai Regis in Hungariam	352
De Coronatione Regis Matthie	355



Index Personarum.

A.

	Pag.		Pag.
Abae generatio	32	Agnes, Andrae III. Regis Hung.	
Aba Samuel Rex Hungariae	78 79	secunda uxor	218 219 220 221
Aba Samuel regnandi ius non habuit	80	Alani, iidem, qui Gothi	9 13
Aba Samuel Petri Regis constitutiones antiquat	79	Albertus Rex Hungariae	348
Aba Samuel Austriam et Bavariam vastat	80	Aldarius Rex Gothorum	21 22 30
Aba Samuel ad Pettoviam per Ottocarum Styriae Marchionem profligatur	80	Alexander filius Celen domus Andegavensis in Hungaria servator	244
Aba Samuel in Carinthiam irrumpit, et Henricum III. muneribus placat	81	Alexander, alias Bazarad, Valachiae Vayvoda Carolo Roberto exitialis	249
Aba Samuel ad Henricum III. legatos mittit, eumque ab Hungaria arceat	81	Alexander, seu Bazarad, num sponte sua ad Ludovici Regis obsequium redierit	269
Aba Samuel pace fruens in Hungaros saevit	82	Almus Dux unde ita dictus	35
Aba Samuel in bello occumbit	83	Almi Ducis genealogia	35 36
Abae Samuelis sepultura	85 86	Almus Dux, non Lamberti, verum Geysae I. Regis Hung. natus	179
Abae Samuelis regnandi imperitia	93	Alprosur, seu Pruteni	10
Adalbertus Sanctus, Divum Stephanum Sacro Fonte abluit	47 62	Amade, de Genere Aba	221
Adlecta, Andrae I. Regis Hungariae filia	104	Anastasia Andrae I. Regis uxor	104
Adelheid, Wratislai Bohemiae Ducis coniux, Salomonis soror	151	Anastasia num in Admontensi coenobio sepulta	170
Adelheid Sancti Ladislai Regis uxor	162	Andegavensis Domus Insignia	260
Adelheid Stephani II. Regis Hungariae consors	183	Andrae Ducis natales deffenduntur	102
Aegyptii omnium in orbe antiquissimi	7	Andreas Dux, in necem S. Stephani non conspiravit	79
Agnes Stephani III. Regis Hung. conthoralis	189	Andrae Ducis in exilio fata	88 90
Agnes Belae III. Regis Hung. coniux	189	Andreas Dux per Hungaros revocatus	92
		Andrae Ducis in Hungariam ingressus	92
		Andreas Dux num abortae sub Petro seditionis reus	92 99
		Andreas Dux in Regem coronatur	101
		Andrae Regis cognomen	102 103
		Andreas Dux fratrem Belam ex Polonia, tertia Hung. parte potius spe revocat	161

	Pag.		
Andrae I. Regis uxor, et li- beri	104 107	Balamberis Ducis auspicio Huni in Europam infusi	15
Andreas I. Rex Abbatiarum de Tihany, et Vissegrad fundator	107	Bank Banus Gertrudis Reginae Hung. parricida	192
Andreae I. Regis bellum cum Henrico III. gestum	108 111	Barbara, Hermannii Ciliae Co- mittis filia, Sigismundi alte- ra uxor	347
Andreae I. Regis intestinum cum Bela fratre bellum, ac obitus	114	Basch-Kerdi qui	12
Andreas II. Regni gubernacula suscipit	191	Bátor Opus, eiusque acta 127 144	156
Andrae II. uxores ac liberi	192	Bavari oppidorum Szathmár, ac Némethi conditores	51
Andrae II. in Palaestinam profe- ctio et reditus	194 195	Beatrix, Andrae II. Regis Hung. tertia uxor	192 215
Andreas II. Elisabetham filiam Ludovico Thuringiae Land- gravio collocat	196	Beatrix, Caroli Roberti Hung. Regis secunda consors	238
Andreae II. obitus, et sepultura	197	Becse, et Gregorius Galli	49
Andreas Dux, Stephani V. Re- gis Hung. filius raptus, ac undis mersus	205 214	Bel, idem, qui Iupiter	6
Andreae III. Regis Hungariae Stemma	213	Bela S. Stephani nomen	62
Andreas III. inauguratur	213 215	Belae Ducis nativitas deffendi- tur	102
Andreae III. mors, ac sepul- tura I.	218 221	Bela idem, qui Adalbertus	117
Andreas Dux, Caroli Roberti filius	241 251 252 282 283 284 287 290	Bela Dux non est perduellionis in S. Stephanum reus	79
Anna, Belae IV. Regis filia	199	Belae Ducis in exilio fortuna	88 89
Apostolicus, per excellentiam Romanus Pontifex olim dictus	27	Belae Ducis uxor, et liberi 89 90	95
Arnulphi Imp. annus emortualis	33	Belae Ducis fraternalium bellum	114
Árpád Dux Hungarorum	37 40	Bela I. Rex cum gestis	116 119
Árpádiae Stirpi successio pe- nes liberam electionem addi- cta	15 29 72 106	Bela I. Rex cum ignobiles Albam Regiam ad Comitum convocaverit	120
Ascriens, Sancti Stephani ad Sedem Romanam Legatus	74 174	Bela I. Rex Abbatiae Szegszár- diensis fundator	121
Athlamus Tartarorum Princeps	277	Belae I. Regis obitus, funera- tio, ac memoria	129
Atila ad fluvium Etel natus	320	Bela II. obtinet regnum	184
Atilae habitus, indoles, pugnan- di ratio, tentoria, et reliqua supellex	18 19	Belae II. coniux, ac liberi 184	185
Atila Dux Hunorum	14	Bela II. Aradini comitia cele- brat	184
Atila Rex Hunorum cum ge- stis	17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29	Belae II. obitus, ac memoria	186
Atilae mors, et sepultura	28 29 33	Bela III. Rex Hung. cum gestis, uxoribus, atque liberis	189
Atilae filiorum ambitu regnum Hunorum distractum	30	Bela IV. regni fasces suscipit	197
		Belae IV. coniux, ac liberi	199
		Bela IV. per Tartaros victus	199 200
		Bela IV. Friderici Austriae Du- cis inhumanitatem vindicat	201
		Bela IV. Styriae partem amit- tit	201
		Bela IV. cum Ottocaro Bohe- niae Rege infeliciter pugnat	201
		Belae IV. obitus, ac memoria	202 203
		Benin, Belae I. Regis nomen	116
		Bereka forte idem, qui Belar	7
		Bessenýó Ioannes miles egre- gius	304 343
		Bogdan Moldaviae Vayvoda	337
		Both Ernestus de Altenburg, Ab- batiae S. Iacobi de Lebin fun- dator	49 115 136

B.

Babotsaii Svevi, sub Geysa Du-
ce in Hung. demigrarunt 52

Bonfinius Antonius, Matthiam
de Hunyad Regem Hunga-
riae adit X
Bonfinii Textus corrigitur 132 146
Bonifacius VIII. PP. 216 224
Botond Hungari historia fabu-
losa 59 60
Bubek Stephanus et Georgius 299 319
Buc, et Bucne, Gyulae Tran-
sylvaniae Principis nati 91
Bulchu Hung. Capitaneus 56 57 58
Busilla, Colomanni Regis Hun-
gariae prima uxor 51 183
Buzad Saxo celebris in Hun-
garia familiae Stirps 51 135

C.

Can - Opus Kan - Ap, Hunga-
rorum Nap, seu dies 6
Caroli Roberti Stemma 216
Carolus Robertum Bonifacius
VIII. P. P. solio Hungarico
admoveat satagit 224
Carolus Robertus libera SS. et
OO. voluntate Rex salutatus 232
Carolus Robertus Hungaris La-
dislaus dictus 232
Caroli Roberti contra Mat-
thaeum de Csák bellum 235
Caroli Roberti consortes 237 238 239
Carolus Robertus tecta Alba-
Regalensis basilicae instau-
rat 239 240
Caroli Roberti notius 239
Carolus Robertus Ordini Mino-
rum Lippae coenobium fun-
dat 240
Carolus Robertus cum tota Re-
gia familia vitae periculum
subit 242
Carolo Roberto a caede Feli-
ciani de Zaah fortuna minus
benigna 246
Carolus Robertus bellum Va-
lachicum inprospere gerit 246 249
Carolus Robertus Castri Te-
mes-Vár fundator 249
Carolus Robertus, Andreae filio
regnum paraturus, in Sicili-
am proficiscitur 251
Carolus Robertus Reges Bohe-
morum, atque Polonorum
hospitio excipit 252
Caroli Roberti mors, funeratio,
et panegyris 255 261 263 264 265

Caroli Roberti Epitaphium 265
Carolus, Andreae Siciliae Re-
gis filius 290 292
Casimirus Poloniae Princeps
notatus 244
Casimirus Poloniae Rex 252 254 316
Catharina, Ludovici Regis fi-
lia 340
Celen Alexander Domus Ande-
gavensis in Hungaria serva-
tor 243 244
Cham idem, qui Iupiter 5
Chanadinus num ex Sancti Ste-
phani filia natus 151
Chanadinus Archiepiscopus Stri-
goniensis 255 263 266
Chrimhild Atilae consors 30 31
Clerus Hungariae, Iurium ac
Regni Libertatum tenacissi-
mus 217
Clemens V. Papa 234
Clemens VI. Pontifex 274 309
Conditionales in Hung. servi 185
Colomannus Hung. Rex non fuit
S. Ladislai filius 126 179
Colomannus ante susceptum re-
gimen Episcopus 178 180
Colomannus in Regem inaugu-
ratur 178
Colomannus Hung. Rex Sacro-
rum Canonum peritus 180
Colomannus Rex Dalmatiam
Hungariae adiicit 181
Colomannus Rex in cruciatae
expeditionis ducem electus 182
Colomanni Regis uxores, libe-
ri, mors, tumulus, ac me-
moria 182
Colomannus Rex inter Coelites
haud relatus 169
Colomannus, Caroli Roberti
notius, lauriniensis Episcopus 239
Cornides Daniel corrigitur 131 147
148 179
Constantia, Emerici Regis Hung.
consors 53 190
Constantia, Belae III. Regis nata 198
Constantia Belae IV. Regis fi-
lia 199
Cornis (de) Iaksó notatus 317
Csaba Atilae filius 30 31 32
Csákii Comites de Genere
Akus 221
Csák Matthaeus 235 236
Cumanorum in Hungaria de-
scensus 212
Cunegundis, Belae IV. Regis
Hung. filia 199

Czudar Petrus . . . 317
Czudarorum nomen quare Hungaris invisum . . . 321 322

D.

David Dux, Andreae I. Regis Hung. filius . . . 107 123
Deodatus Comes S. Severini ex Apulia, S. Stephanum ex Sacro Fonte levavit . . . 47
Deodatus Tatensis Abbatiae fundator . . . 47
Detricus Rex Romanorum . . . 15
Dobey Demetrius . . . 293
Duces Hungariae supemo iure Ducatui praefuerunt 106 140 177
Duces Hungariae pariter inaugurabantur . . . 180
Dule Princeps Alanorum . . . 7
Drugeth Villermus Palatinus . . . 266

E.

Ecbertus Bambergensis Episcopus notatus . . . 193
Edna, Cupchech, et Mandula Cumanae . . . 208
Elisabetha, Geysae II. Regis filia . . . 187
Elisabetha Sancta, Andreae II. Regis Hung. nata . . . 192 196
Elisabetha, Belae IV. Regis proles . . . 199
Elisabetha, Ladislai IV. Regis Hung. consors . . . 207 208
Elisabetha, Andreae III. Regis filia . . . 219 222
Elisabetha, Caroli Roberti tertia uxor . . . 239 269 270 271 272 273 284 288
Elisabetha Caroli Roberti uxor notatur . . . 244
Elisabetha Ludovici Regis secunda consors . . . 340
Elisabetha, Sigismundi Regis filia, Alberti consors . . . 349 350
Emericus Sanctus, Divi Stephani Regis filius . . . 61 70 71 105 166 190
Emericus Rex Hungariae . . . 190
Enech Nemrothi uxor . . . 7 8
Engel Christianus corrigitur . . . 210

Ernestus sub Sa'omone in Hungariam demigrat . . . 49
Euphemia, alias Ludmilla, Belae Ducis Hung. filia . . . 108
Euphrosina, Geysae II. Regis Hung. consors . . . 187

F.

Fejér Georgius Praepositus laudatur . . . VI.
Felix Sanctus in Pincis, quo die per Hungaros cultus . . . 219
Fenena, Andreae III. Regis Hung. prima consors . . . 216
FERDINANDUS de ESTE, Archi Dux Austriae . . . 219
Flagellatores Sectarii in Hungaria . . . 202
Fridericus II. Imperator . . . 190
Friderici stirpis Babenbergicae ultimi caedes . . . 201
Fridericus Romanorum Rex . . . 352 353 355

G.

Gara Nicolaus . . . 330 331
Georgius, Andrae I. Regis Hung. nothus . . . 102 107
Gerardus Sanctus . . . 95 97 166
Gereb Ladislans . . . VI. VII. I
Gertrudis, Belae II. Regis filia . . . 185
Gertrudis, Andreae II. Regis Hung. consors . . . 191 192 193
Geysa Dux S. Stephani pater . . . 46 48 53 61 62
Geysa, Belae I. Ducis, postea Regis filius . . . 107
Geysa, alio nomine etiam Magnus . . . 152 160
Geysae Ducis gesta 123 125 126 139 140 143 145
Geysa Dux in iura maiestatica non involavit . . . 139
Geysa Dux Corona aurea donatus . . . 140
Geysae Ducis animus a libidine dominandi alienissimus 140 151
Geysa Dux invitatus regnare compulsus, eius acta, et mors 151 152 154 157 159
Geysa II. Rex Hungariae, cum consorte, ac liberis . . . 187
Gilety Nicolaus . . . 299
Gothi iidem, qui Alani . . . 9

Gregorius Sanctus, huius nomi- nis VII. Pontifex vindicatur	122
Gregorius de genere Katupany Albensis Praepositus nota- tur	218 223
Guth, et Keled Svevi	50
Gysela St. Stephani consors	51 62 67 68 72 75 76
Gyula tertius Hungarorum Ca- pitaneus	41
Gyula Transsylvaniae Princeps per S. Stephanum bello supe- ratus	65

H.

H artvicus Comes de Ortenburg, Ratisbonensis Episcopus, Le- gendae St. Stephani Scriptor	15 62
Haugen Ioannis Chronicon	357
Hedericus Comes de Houmburg Hedervariorum in Hungaria Stirps	47 48
Hedvigis, Ludovici Regis filia	340
Helena, alias Lepa, Belae Ducis filia	107 164
Helena, Belae II. Regis Hung. consors	184
Helena, Geysae II. Regis Hung. nata	187
Helena, Belae IV. Regis Hung. proles	199
Henricus III. Imperator	81 82 108 109 111
Henricus IV. Caesar	122
Hermannus Norimbergensis Ci- binii in Transsylvania conditor	51
Hess Andreas primus in Hun- garia Typographus Chronica Hungarorum Budae impres- sit	VI. VII. 1 2 101
Hodor Caroli opinio enervatur	131
Horváth Stephanus laudatur	VI.
Hulica, Geysae II. Regis Hung. filia	187
Humor et Magor Nemroth filii in Persia nati	7 8
Hungarorum genesis	3 4 5 10
Hungari ex Africa in Asiam de- migrant	7 9
Hungarorum Centum et Octo Generaciones	10 44
Hungari olim Sagittarum ora- culo usi	10
Hungari in Europam transeunt	14 15 36
Hungari albos ad sacrificia ad- hibebant equos	38 40

Hungarae Generationes occupa- tas Pannonias pro libitu in- ter se partiantur	44
Hungarorum excursiones	54 55 56
Hungari, Vata instigante, a Fi- de Christiana deficient	92 93
Hungari apostatae in Christia- nos crudeles	94 97
Hungarorum non pauci iam se- cundum ad etnicas supersti- tiones relapsi	119
Hungarorum in tuenda Regni Libertate studia	225 234
Hungari commoda sua, Patriae saluti postponunt	277
Hungari pugnaturi Sanctos Indi- getes invocabant	277 323
Huni in Pannonias infusi	14
Humorum gesta 15 usque	32
Humorum imperii finis in Eu- ropa	32 33
Hunt, et Paznan Svevi nobilis- simarum in Hungaria Famili- arum stipites	48 49 63
Hunyady Ioannes Regni Hun- gariae Gubernator	351 352 353
Hunyady Ladislaus	354
Hunyady Matthias	354 355 356

I.

I agula Lithvaniae Princeps	340
Iankovich Nicolaus laudatur	VI.
Ilmur Ioannes Archi-Episcopus Colocensis	220 221
Ioannes Ravennensis Archi-Epi- scopus Arianus	28
Ioannes Bohemiae Rex	252
Ioannes Alba Regalensis Eccle- siae Custos notatus	259
Ioannes Archi-Diaconus de Kü- köllő Historiae Ludovici Hung. Regis Scriptor	299 311
Ioannes Frater Ordinis Mino- rum, Ludovici Regis, ut vi- detur, a Confessionibus, ac Historiographus	307 318 320 321
Ioannes de Hunyad Regni Hun- gariae Gubernator	351 352
Iohanna Andreae Siciliae Regis conthoralis	273 283 287 291 299
Iolas num Belae I. Regis Hung. filia	107
Iolanta, Andrae II. Regis Hung. secunda consors	192
Iolanta, Andrae II. Regis Hung. nata	215

IOSEPHUS ARCHI DUX AUSTRIAE, ac Inclyti Regni Hungariae Palatinus . . .	IV.
Indaei Hungaria exacti . . .	333
Iuditha, S. Stephani Regis soror	89
Iuditha Salomonis Hung. Regis consors . . .	111
Iuditha, Stephani III. Regis Hung. coniux . . .	188
Iulianus Caesariensis Cardinalis vindicatur . . .	350
Ivanich Sigismundi in favorem Chronicon Budense recusum	III.

K.

Kanisaii de Genere Osl . . .	300
Kaprinai Stephanus diligens Diplomatum Transscriptor . . .	V. 42
Katona Stephani opiniones minus probatae . . .	72 73 79 103 111 156 167
Kean Dux Bulgarorum . . .	66 130
Keled, et Guth de Hohenstauffen . . .	50
Keledii Saxones in Hungaria . . .	52
Kestuti Lithvanorum Principis cum Ludovico Rege foedus . . .	316
Kenesich Nicolaus, Ludovici, et Andreae Ducum Hungariae mentor . . .	242
Kikinus et Renoldus Hispani . . .	50
Kolta Iacobus, Elias, et Ioannes ob merita in bello Neapolitano parati, Romae remunerati . . .	309
Kisfaludii de Genere Szabolts . . .	221
Konth prius Tóth dictus . . .	283 305 317
Kopaes Palatinus de Genere Borsa . . .	227 239
KOPACSY IOSEPHUS Episcopus Veszprimiensis, Litterarum, ac Litteratorum Maeceenas, Eius Liberalitate Chronicon Budense recusum . . .	III.
Koppán Dux Simigiensis . . .	63
Kopey, Feliciani de Zaah gener . . .	243
Korogi Familiae ob S. Gerardi caedem poena . . .	98
Kund Hungarorum Capitaneus . . .	43
Kythani, iidem, qui Gothi . . .	11 13

L.

Laczk Andreas . . .	276 307
Laczk Paulus . . .	323 324

Laczk Stephanus . . .	202 203 204 206 297 298 300 301 303 307
Lambertus Belae Ducis filius . . .	107 179
Lambertus Comes . . .	126
Ladislans Calvus, Michaelis Ducis filius . . .	61
Ladislans Sanctus, Belae Ducis filius . . .	107
Ladislans Sanctus, ut Dux, Episcopatus Magno Varadinensis Fundator . . .	105 132 174 321
Ladislai Sancti Ducis eximia Pietas et heroica Virtus . . .	128 162 149 150
Ladislans Sanctus Dux, reiecto Salomone omnium votis, invitatus regnare cogitur . . .	161
Ladislai Sancti Nominis etymon . . .	161
Ladislans Sanctus matrimonio illigatus erat . . .	162
Ladislai Sancti consors, et filia . . .	162
Ladislai Sancti Virtutes . . .	163 167
Ladislans Sanctus Dalmatiam, et Croatiam iuribus Hungariae adiicit . . .	164
Ladislans Sanctus, Salomonem in gratiam recipit, vitaeque mediis providet . . .	165
Ladislao Sancto Imperii Fasces oblatis . . .	170
Ladislans Sanctus structuram Ecclesiae Vetero Budensis per S. Stephanum inchoatam consummat . . .	68 154
Ladislans Sanctus Deliciae humani generis . . .	171
Ladislans Sanctus Cruciatæ Expeditionis Dux electus . . .	182
Ladislai Sancti obitus, funeratio, ac memoria . . .	171 173 277 321 348
Ladislao de Sancto, veteris Ecclesiae Hungaricae Hymnus . . .	171
Ladislans II. Rex Hungariae . . .	188
Ladislans III. Rex Hungariae inter Reges haud census . . .	191
Ladislans IV. Stephani V. Regis filius, in tenera aetate patri succedit . . .	206
Ladislans IV. facie admodum decorus . . .	209
Ladislai IV. bella . . .	206 207 208
Ladislans IV. partam victoriis gloriam vitiis obfuscavit . . .	208
Ladislans IV. Rex captus detentus . . .	209
Ladislans IV. Andream fratrem bello impetit, postmodum undis mergi iubet . . .	205 214

Ladislau IV. Curiae Romanae
studiis, ac Ven. Cleri Hunga-
riae laboribus respiscit . 209
Ladislau IV. in retractatos antea
errores lapsus interficit 210 214
Ladislai VI. necis causa adhuc
in incerto posita . 211
Ladislai IV. funeratio, ac memoria 212
Ladislau, Iudex Budensis . 230
Ladislau Transsilv. Vayvoda 228 233
Ladislau Rex Poloniae . 239
Ladislau, Caroli Roberti filius 240 241
Ladislau, Ludovici Regis nepos 319
Ladislau posthumus nascitur . 348
Ladislau posthumus regni gu-
bernacula suscipit 352 353 354
Ladislau de Gereb Praepositus
Budensis . VII.
Lechner Franciscus laudatur VIII.
Leel Hungarorum Capitaneus 42 56
57 58
Lengyel Petrus de Koritnik me-
ritorum intuitu praemiatus . 301
Leo M. Pontifex, Atilam miti-
gat . 27 28
Leustasius Comes Simegiensis
de Genere Rátolth . 319
Levente Dux . 79 88 90 92 102
Lodomerius de genere Monoszló
Archiepiscopus Strigoniensis 217
Lothka Dux Ruthenorum . 254
Ludovicus Sanctus, Episcopus
Tolosanus, Mariae Stephani
V. Regis Hung. natae filius 240
Ludovicus olim Rex Hungariae
futurus nascitur . 240
Ludovicus in Regem Poloniae
cooptatus . 254 316 328
Ludovicus Carolo patri in regi-
mine succedit . 266
Ludovici Regis bella 268 276 277 278
279 281 287 294 296 299 302 303
305 306 311 312 313 315 318 322
323 324 3.6 327 3.8 329 331 337
Ludovici Regis vitae pericula 242 302
305 319 3.0 321
Ludovicus Romam peregrinatur 307
308
Ludovicus Siciliam Clementi VI.
reignat . 309
Ludovicus per Kestutum Lithva-
niae Principem delusus . 317
Ludovicus Rex fluvios, Olth, ac
Etel equo insidens transnatat 320
321
Ludovicus Rex fluvium Szereth
septuaginta quatuor vicibus
transit . 321

Ludovici Regis Sigillum duplex
subreptum . 324 325
Ludovicus Rex Castra Szörény,
et Terts-Vár construit . 330 331
Ludovicus Rex Universitatem
Quinque Ecclesiis fundat . 332
Ludovici Regis gesta . 332 333 334
335 336 337 339 342 343
Ludovici consortes, ac liberi 339
Ludovici obitus, et sepultura 343 344
Ludovicus Tarentinus 289 291 292
296 297 299 303 305 310 311
Ludovicus Caroli Martelli filius
in Hungariam ductus . 290 310

M.

Magor, et Hunor Nemrothi fi-
lii in Persia nati . 7 8
Margarita, Geysae II. Regis
Hung. filia . 187
Margarita, Belae III. Regis
Hung. secunda coniux . 190
Margarita, Belae III. Regis
Hung. nata . 50 189
Margarita, Belae IV. Regis
Hung. filia . 199
Margarita, Ludovici Regis Hung.
prima consors . 276 340
Maria, Stephani IV. Regis Hung.
conthoralis . 188
Maria, Belae IV. Regis Hung. uxor 199
Maria, Stephani V. Regis Hung.
nata, Siciliae Regina . 217
Maria, Caroli Roberti Hung.
Regis prima consors . 237
Maria, Ludovici Regis filia . 240
Maria, Ludovico patri, ut ma-
sculus succedit . 345
Marczali Emericus . 350
Matthias de Hunyad, Hungariae
Rex . 355 356
Matrinus Pannoniae Gubernator 15
Menestarter Ioannes, Budensis
Chronici seculi XV. Transscrip-
tor . V. XII.
Messarii, Messiani, seu Moesiani 42
Michaël Dux . 61
Michaël Ducas Graecorum Im-
perator, Geysae Duci Circu-
lum aureum donat . 139 140
Micislaus II Poloniae Dux 88 89
Micolch, Atilae uxor . 28 29
Mortundorffarii Hispani quando
in Hungariam illapsi . 53
Muglen Henricus, Hungariae
Chronicorum seculi XIV.
Translator germanicus . 192

Myze Palatinus, indignam Ladislai cognomento Cmi, Regis Hung. mortem vindicat 210 212

N.

Nagy Pauli Historiarum Professoris errores . . . 139
Nemroth, a quo Hungari descendunt . . . 4 5 7 8
Nerche Denk Aversae in Italia ad mortem verberatus . . . 305
Nicolaus IV. PP. Hungariam ad Sedem Romanam pertinere allegat 215
Nicotas, Graecorum belli dux 138
Novák Croata notatus . . . 343

O.

Ocskay Antonius, El. Bacensis Episcopus laudatur V. . . 173
Oliverius, et Ratoldus Apulei Colomanno regnante in Hungariam demigrant . . . 51
Ordo Griseorum Monachorum 193
Opor Ladislaus 228 232 233 234
Otto I. Imperator . . . 57
Otto, S. Stephani filius . . . 63
Otto Sanctus, Bambergensis Episcopus . . . 179
Otto, Moraviae Dux 108 143 144 150 151
Ottobis Bavariae Ducis, ac Regis Hungariae sanguinis nexus 226 227 228 229
Órs septimus Hungarorum Europam petentium Capitaneus . . . 42

P.

Palótz Matthaeus et Ladislaus Pauli S. I. Eremitae Sociorum monasteria . . . 333 334
Pázmány Petrus, Archi Episcopus Strigoniensis, et S. R. E. Cardinalis, Hungariae Universitatis Fundator . . . 49
Paznan Svevus, cognominis in Hungaria Familiae propago 48
Paznani nomen Poseniensis Civitas mutuavit . . . 49
Peren Petrus Ludovicum Regem ad Belz castrum in confinibus Tatarorum saucium morti eripit . . . 319

Peren Ioannes . . . 350
Petrus, Hungaris Rex obtrusus 75 80
Petri Regis de origine opiniones variant . . . 75 76
Petri Regis acta, et mors 77 78 87 88 90 91 93 94 100
Pirisca, Sancti Ladislai filia, sexus sui decus . . . 162
Predslava, Colomanni Regis Hung. secunda uxor . . . 183
Pray Georgii errores 29 148 153 169 178
Pruteni, olim Alprosurii dicti . . . 10

R.

Reges Hungariae inaugurationis tempore, ad servandas Regni Libertates iuramento se obstringunt . . . 83 325
Révai Petrus notatur . . . 351
Richsa, sen Elisabetha, Belae Ducis Hung. uxor . . . 89
Robertus Caroli Martelli Siciliae Regis filius in Hungaria captivus . . . 290 310

S.

Sabina, Belae IV. Regis Hung. filia . . . 199
Salomonis Ducis Hung. sponsalia, nuptiae, et coronatio 109 112 114
Salomonis, ut Hungariae Regis gesta 122 123 126 133 137 138 139 141 143 145 150 154 155 156 165 168
Salomonem Ecclesia Hungarica nunquam pro Sancto habuit 169
Sammel, vide: Aba Rex Hung. 78 79
Sarolta, Geysae Ducis consors . . . 41 61 65
Sarolta, Geysae Ducis filia . . . 79
Saraceni qui? . . . 139
Saxones Hungarorum cognati; ab iis montes ad Eid siti Szász-Halom dicti . . . 8 16 17
Schwartner Martini opinio refutatur . . . 123
Scythae, unde ita dicti . . . 8
Seniorum, per Belam I. Regem ad Albensia Comitata vocatorum nomine qui intelligendi 120
Serényi Andreas . . . 281

Sophiae, Belae I. Regis Hungar-
 gariae filiae mariti . . . 107 128
 Sophia Salomonis sponsa et
 uxor . . . 113 170
 Sophia, Geysae I. Regis Hun-
 gariae nata . . . 126
 Sophia, Belae II. Regis Hun-
 gariae filia, in Admontensi
 coenobio sanctamonialis . . . 185
 Siculi qui? . . . 31 32 85 111 135
 Sigefridus Aquilejiensis Patri-
 archa . . . 158
 Sigismundus, futurus Hunga-
 riae Rex, ut Gentis mores
 imbiberet, ac linguam condi-
 sceret, in aula Ludovici edu-
 cabatur . . . 340 341
 Sigismundus in Regem Hunga-
 riae coronatur . . . 345 346 347
 Soos Ladislans . . . 301 304
 Stephanus Sanctus Strigonii na-
 tus et coronatus . . . 47 61 62 69
 Stephanus Sanctus ante Bapti-
 smum, Bela nominatus . . . 62
 Stephanus Sanct. corpore parvus . . . 64
 Stephani Sancti uxor, et libe-
 ri . . . 61 62 63
 Stephanus Sanctus Hungariam
 Sedi Romanae non obtulit 215 225
 Stephani Sancti bella . . . 63 64 65 66
 Stephanus Sanctus maximam
 hodiernae Moraviae partem
 amisit . . . 175
 Stephanus S. monasterii O. S. B.
 supra Montem Panoniae siti
 structuram perficit . . . 64
 Stephano Sancto, qui Hunga-
 riae Episcopatus tribuendi . . . 174
 Stephanus Sanctus Albae Regiae
 Basilicam condit . . . 66
 Stephanus Sanctus Romam pe-
 regrinatus . . . 68
 Stephanus Sanctus se regimine
 abdicare intendebat . . . 70
 Stephanus Sanctus de successo-
 re sollicitus . . . 71 76
 Stephani Sancti obitus . . . 73
 Stephani Sancti merita, et laudes . . . 74
 Stephani Sancti, Sacrum Cor-
 pus elevatur . . . 166
 Stephani Sancti, Sacra Dextera
 incorrupta . . . 69 167
 Stephanus II. Colomanno patri
 succedit, improlisque moritur . . . 183
 Stephanus II. Rex Praepositur-
 rae Ord. Praemonstratensium
 in colle supra Varadinum fun-
 dator . . . 183

Stephanus III. Rex Hung. 187 188
 Stephanus IV. Rex Hungariae 188
 Stephanus V. Baelae IV. Regis
 filius . . . 199
 Stephanus V. rerum in Hunga-
 ria potitur . . . 204
 Stephanus V. Rex Bulgariam
 Hungariae adiicit . . . 204
 Stephani V. Regis Hung. prae-
 matura mors, causa obitus,
 ac sepultura . . . 204 205
 Stephanus Dux, Caroli Roberti
 filius . . . 251
 Sylvester II. P. P. Sanctum Ste-
 phanum Regis Hungariae no-
 mine honorat, Corona donat,
 Apostoliquae Titulum ei tri-
 buit . . . 225
 Synadene, Geysae I. Regis Hun-
 gariae consors . . . 126 140 180
 Sveti Bolug Maroti filius . . . 32 33 39
 . . . 40 54
 Szabolts Hungarorum Capita-
 teneus . . . 41
 Széch de Genere Balug . . . 300 319
 Széchényi Franciscus Musei Na-
 tionalis Hungarici Stator IV. V.
 Szilágyi Elisabetha Matthiae de
 Hunyad Hungariae Regis mater 356
 Szilágyi Michaël . . . 356

T.

Tana, unus ex Hungarorum
 maioribus . . . 3 4
 Tata, Hungaris olim pater spi-
 ritualis . . . 47
 Thomasina, Andrae III. Regis
 Hung. mater . . . 215
 Thomas Archi-Episcopus Stri-
 gonienis . . . 231 233
 Toxus pater Geysae Ducis . . . 14 60
 . . . 61 102
 Turótziani Chronici Textus e-
 mendatus . . . 43 45 50 86 95 100 101
 . . . 116 131 142 143 191 217
 Typographi Hungariae, qui
 saeculo XV. inclauerunt . . . X.

U.

Udvarnici, conditionarii servi 339
 Újlak Nicolaus Aversae in Italia
 laesus . . . 305
 Ulricus Sanctus Hungaros ad
 Entzesfeld, et Merkenstein
 profligat . . . 58

Uladislaus Polonus in Regem Hungariae electus . . .	349	Vencellinus Bavarus . . .	48 63 64
Urbanus Hungarus, seculi XIV. mirus aeneorum tormentorum artifex . . .	138	Venceslaus Bohemus . . .	220 222 223
Űrményi Ioannes Archi-Episcopus Colocensis memoria dignus . . .	220 221	Vérbults Capitaneus Hungarorum . . .	42 57
Urschlingensis Vernerus . . .	294 295 296 300	Vesszós Philippus Carolum Duracii Ducem capite plectit . . .	289 290
Ursula Sancta cum Sociabus per Hung. Atilanos caesa . . .	23	Vid Comes, malae memoriae . . .	134 136 138 140 143 144 125 151
V.		Vilhelmus Austriae Dux . . .	341
Valani iidem, qui Alani . . .	7	Viske, Toyzlan, et Pezli Hungariae Libertatis assertores . . .	79
Varkoch Thomas siccarius templorum Dei . . .	173	Volfard Tentonicus in Civitate Neapolitana Ludovici Regis Capitaneus . . .	292 300 301
Vass Desó . . .	329	Volfger Comes de Hounburg . . .	47
Vata, et Ianus antesignanis, plerique Hungarorum a Fide Catholica deficient . . .	93 98	Z.	
Vazul Dux Hungariae . . .	71 72 73 76 79 103 163	Zaah Feliciani parricidium . . .	242 245
		Zápolya Sigismundi in Divi Ladislai Regis Lypsana impietas . . .	173
		Zeba, Feliciani Zaah filia . . .	43
		Zoltan dono S. Stephani Princeps Transsilvaniae . . .	66

Index Rerum,

In complexu praecipuarum.

A.

	Pag.		Pag.
Aegyptus a Chami filio Misraim dicta . . .	4	Aquisgranensis Capella per Ludovicum Regem constructa . . .	335
Aethyopia, quae et minor India . . .	11 12	Argentina civitas per Atilam diruta . . .	20 58
Africae incolae Hungari . . .	4 5	Asia Hungarorum patria . . .	7
Agriae Emericus Rex tumulo illatus . . .	190	B.	
Alba Regia per S. Stephanum condita, et prima libera ac Regia Hungariae civitas . . .	40 41 66	Babylonia Africae quando condita . . .	5
Albae Regiae sepulti Reges, Reginae, ac Principes . . .	74 182 187 188 189 191 237 241 262 344 348	Bakony Bél Abbatia . . .	99
Alba Iulia Transsilvaniae, quando Carolina dicta . . .	42	Bárzsonyos mons unde ita dictus . . .	112
Albae Iuliae Ioannes de Hunyad sepultus . . .	351	Bán-Hida ad oppidum Sveti-Bolog per Hungaros victus . . .	32 33
Ammonia Africae nomen a Chamo iudicatum . . .	6	Bascardia Regnum Hungarorum . . .	10 12
Apostoli Titulus S. Stephano tributus . . .	74	Basilicae quae olim notione acceptae . . .	100 125

Bosnia Coronae Hungariae obnoxia	324 355
Brecsburg	38
Buda cuius consilio, et per quem condita	203
Budae conditi Reges Hungariae	304 218
Bulgaria Hungariae subiecta	204 218

C.

Calendarii Romani in Chronologia, Veteres minus exacti	203
Camerae Lucrum quid?	118
Cameram semper pro Fisco Regio acceperere Veteres	118
Carniolia per Hung. depraedata	54
Carinthia per Atilam infestata	25 54
Cassoviensis Templi inscriptio	348
Catholici Titulus Hungariae Regibus ab olim tributus	118
Cellis in Marinis Ludovicus Rex Hung. Basilicam a fundamentis exicitat	335
Census Saxonum	268
Chanadiensis urbis nomen unde derivandum	83
Chanadini Ladislaus cognomento Cunus terrae mandatus	212 130
Christianissimi Reges Hungariae passim vocati	159 325
Chronicorum summa utilitas	VII.
Coenobii varia significatio	69
Contra praepositio, loco Prosumta	165
Convenarum in Hungaria multitudo	46 53
Corbaviae Comitum orgines	279
Corona Hungariae non est graecae originis	74 140 225
Corona Geysae Ducis est a Michaelē Duca Graecorum Augusto profecta	140 160 180
Corona Sacra Beati Stephani, Regni Hungariae gloria	226 230
Coronae Sacrae Regni Hungariae per Ottonem Bavarum domum reiectae fata	228 230
Coronae Sacrae Regni Hungariae internus valor	230
Coronam festis diebus Reges gestare solebat	83 123 227
Coronensis Templi inscriptio	350
Croatia Regno Hungariae subiecta	364 278
Czudar nomen Hungaris inuisum	323

D.

Dalmatia Hung. subiecta	164 181
Deludere Veteribus idem, ac pudicitiam violare	192
Demesiensis Praepositura	121
Demetrii S. Abbatia	65 117
Dencia Regnum Hungarorum	10 12
Dentu Moger	13
Dextera Sacra, Sancti Stephani corrupta	68 167
Divisiones Regnorum inter Principum filios aevo medio haud insolitae	105
Don, seu Tanais	10 11 13
Ducatus in Hungaria	104 105 106 142 152

E.

Egressiensi in monasterio Andreas II. Rex humatus	197
Elevatio Sanctorum Corporum, aevo medio idem, ac Canonisatio	167
Erdél Hungaris, Transsilvania	37
Equi albi per Hungaros ad sacrificia adhibiti	39
Equi albi triumphantium fuere	119
Equi dextrarii qui?	48
Equiaa palpa quid?	95
Etul, Volga seu Rha	10 11 12
Evilath, seu Persia	7 8

F.

Fabula in contumeliam Septem Hungariae Ducum conficta	46
Fertő, Veteribus Hung. lacus	155 156
Flasco quid?	129
Fulda per Hungaros exusta	57

G.

Galliae per Hungaros vastatae	23 55
Generationes Hungarorum Centum et Octo	10 12
Generationes Hungarorum occupatas Pannonias pro libitu inter se partimuntur	44
Georgia, seu Corosminia	11 12
Gissingensis Abbatia	48
Graecia per Hungaros depraedata	59
Gyák, Hungaris fama notatus	46

H.

H abót Abbatiae origines . . .	52
Hastiludium	260
Herba Periarum	38
Herbam porrigere, qua notione acceperint Veteres	40
Hispaniae nomen unde derivan- dum	22 23
Hungariae Inclytorum Statuum, ac Ordinum in comparanda Nicolai Jankovich Collectione Liberalitas	IV.
Hungariae in Regno multi Con- venae	46
Hungaria nunquam fuit Romano Imperio obnoxia	88 109
Hungaria, regnante Andrea I. in Regnum, ac Ducatum di- visa	104 105 106
Hungaria quae, in ipsa Hunga- ria?	152
Hungariam S. Stephanus Sedi Romanae non obtulit	215 225
Huntensis Comitatus nomen un- de repetendum	49
Hymnus de S. Ladislao	171

I.

I ász Berény, olim Belén - Szállás	212
Igfán sylvae	146
Imperantes Orientis, ac Occi- dentis bene meritos Duces Co- ronis donabant	140
Insulae Budensis varia nomina .	203
Iuria, seu Corosminia	11 12

K.

K is Várdaënsis Templi vetus Inscriptio	168
Krenfeld Budae Regio	31

L.

L ancea investiturae symbolum .	88
Lebiniensis Abbatiae exordia . .	49
Legenda Sancti Stephani	62
Leventa veteribus Hungaris Pu- gil	162
Lex Scythica	14 40 45
Lithvaniae Insignia	320

M.

M anu fidem dare, mos secu- larium	139
Marochia, seu Manritania	22
Memphis in Inferiori AEgypto .	4 6 7
Misraim nomen AEgypti	4
Mogoria, Regnum Hungarorum .	10 12
Moldavia per Hungaros subingata .	276
331 332 337 338 355	
Monasterii varia notio	86 153 262
Monyoród Abbatia	148 150
Morót Hungaris Moravus?	33
Mubi Praedium Hungaris Cannae .	200

N.

N émet Újvár oppidi exordia . .	48
Neszmél, Germanis Langendorff .	349
Nitria Arx, Urbs, et huius no- minis Episcopatus	157 174 176
Nubia Hungarorum patria	4 5
Nyír, Hungaris sabulum	129
Nyírség terrae in Hungaria tractus	142

O.

O lomucensis Episcopatus initia .	176
Oraculum sagittarum Veteribus Hungaris usitatum	10

P.

P annoniae per Hungaros oc- cupatae	15 17 36 39
Pannoniae in Sacro Monte Ab- batia quando fundata?	62 64
Pauperes Sancti Lazari	45
Pauperes Sancti Stephani	69
Persia, olim Evilath dicta	7 8
Péts Váradinensi in monasterio Bela coccus educatus	184
Phison fluvius	8 155
Pii Reges Hungariae	82 120 186
202 257 267 332 336 350 353	
Pilisiensi in monasterio Gertru- dis Regina sepulta	192
Polonia Hungariae unita	328 349
Potestas quid?	215
Praedia Solaria quae?	121
Polae in Istria Salomon Rex se- pultus	169
Pragae Ladislaus posthumus tu- mulo illatus	353

Pyramides in Nubia per Hunga-
ros erectae 4 5

Q.

Quinque Ecclesiensis Basilicae
num Petrus Rex conditor . . . 100
Quinque Ecclesiis Petrus Rex
tumulus 100

R.

Rakos campus 148
Rascia Coronae Hung obnoxia 324 331
Regiminis forma ab exordiis in
Hung. est Monar. Aristocrat. 106
Regna ad Sacram Hungariae Co-
ronam spectantia, cur subie-
ctae Partes dictae 279
Religio Veterum Hung. 26 38 57 93 94
Russia Rubra Sacrae Coronae
Hungariae Iuribus obnoxia 318

S.

Saar in monasterio Aba Rex
conditus 85
Saar Abbatia 86
Sajó amnis Hungaroris Allia 200
Seythiae confusa descriptio 10 11 12 13
Sellarum usum Huni docuere Ro-
manos 26
Semmar campus in Nubia, ibi
turris Babyl quaerenda . . . 4 5
Septem Hungari 8 44 58
Siebenburg Transsilvaniae nomen
unde repetendum 37
Sibilia, Hispalis, seu Sevilla 21 22
Siccambria 16 17 24 68
Sicilia Sedi Romanae per Ludo-
vicum Regem resignata . . . 309
Silisiensis Abbatia 110
Solaria Praedia quae? 121
Solis nomina Bel, Belus 6
Strigonii Reges sepulti 188 202
Struthio, Caro. i Roberti Insigne 261
Styria 23 54 201
Susdalia 11 13
Svevia 55
Szász - Halom montes 16 17
Szeg-Szárd Abbatia 121
Szeg-Szárd in monasterio Bela
I. Rex humatus 121
Szent Ióó Abbatia 167
Szereth fluvius 321
Szörény Castrum per Ludovi-
cum Regem constructum . . . 330

T.

Tanais 4 10 11 13
Tárnokvölgy 16 17
Tatensis Abbatia 47
Temesvarinum per Carolum Ro-
bertum conditum 238 249
Terstvár quando erectum? . . . 331
Tihányiensis Abbatia 107
Tihányiensi in monasterio Au-
dreas I. Rex sepultus 115
Torneamentum quid? 260
Transsilvania Coronae, Hunga-
riae subiecta 65
Tulna Civitas Austriae 16 80

V.

Vaczinm urbs, ac eius nomi-
nis Episcopatus 144 148 152
Vaczii Geysa I. Rex terrae man-
datus 159
Valachia Hungariae subiecta 246
268 329 330
Varadinensis Episcop. initia 132 174
Varadini Roges sepulti 171 183 197
238 345 347
Varadinensis Praepositura Minor 177
Varadinensis Praepositura Ord.
Praemonstratensium 183
Varna clade Uladislai Regis no-
tata 350
Varnae Uladislans Rex Hunga-
riae tumulus 350 351
Vásár-nap; Hungaris dies do-
minicus unde dictus 118
Venetiarum exordia 26
Vernacula Lingua, seculo adhuc XVI.
Hung. Ling. Laica audiebat 181
Veronica, Christi Imago Romae
existens ita dicta 273 308
Vértes Hungariae montes cur
ita dicti 110 112
Vissegrád Abbatia 107 166

Z.

Zala Abatia 146
Zasti Abbatia 147
Zeiselmauer Austriae oppidum 16 17
Zempliniensis Comitatus . . . 241
Zircziensis Abbatia 116
Zsitva Tó 94 95

Syllabus Erratorum,

Quae sensum turbant.

Pag.	Linea	Nota	Errata	Corrige
VII.	30	Nota	Referentur	Referuntur
9	4	Nota 4	Danibium	Danubium
40	3	Nota 2	804	894
45	2	—	Amputantis	Amputatis
64	5	Nota 9	geniore	genitore
84	6	—	remiseret	remitteret
94	30	—	Sint Collecta	Sit Collecta
95	4	Nota 9	1006	1606.
99	2	Nota 10	Belli	Bél in
104	9	—	natinus	quatinus
156	28	—	Salomoni	Salomonis
157	2	—	audiciam	audaciam
158	9	—	frandis	fraudis
159	32	—	guavem	gravem
174	ult. et	—	Torótzienis	Scepusiensis
175	prima	—		
176	44. 45.	—	Cordici missali poso- niensi	Codici missalis poso- niensis
177	42	—	Sexemalis	Sexennalis
179	25	—	Seniorum	Seniorem
181	12	—	mortibus	montibus
182	14	Nota 3	pepingunt	depingunt
185	5	—	per	pro
209	19	Nota 3	aspirare	aspicere
213	24	—	applicut	applicuit
132	26	—	tricentesimo	tricentesimo decimo
270	38	—	Cmitem	Comitem
279	8	—	ad	ac
280	12	—	Begis	Regis
282	32	—	pedicere	predicere
341	11	Nota 9	Iulii	Iulii
349	3	Nota 3	genat	genant

NB. ad Pag. 171. Notam 2. In Missali seculi XIII. Annos Romanis, non vero Arabicis Numeris exaratos esse, serius adverti.